Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
G
26
NAPOLI

# ANTIQVITATIS ECCLESIAE

## OPVS GEOGRAPHICO-HIERARCHICVM

# ANTIQVITAS ECCLESIAE

## DISSERTATIONIBVS MONIMENTIS AC NOTIS ILLVSTRATA

OPERA ET STVDIO

EMANVELIS A SCHELSTRATE
S. T. D.
BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTI
Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe Canonici, &c.

## TOMVS II.

CONTINENS OPVS GEOGRAPHICO-HIERARCHICVM

[illegible] Eccleſiarum pr[illegible] a C[illegible] & Apo-
ſto[illegible] Apoſtolorum [illegible] Petr[illegible] Succeſſoribus
[illegible] Pontifi[illegible] fa[illegible]

In quo Epiſcopalium, & Metropolitanarum totius orbis Eccleſiarum, trium Exarchalium, & quinque Patriarc halium Sedium, ac Romanæ in primus Cathedræ inſtitutio, iura, & priuilegia dilucidè explicantur, Prouinciarum, & Diœceſium Orientalium & Occidentalium Notitiæ a primis naſcentis Eccleſiæ exordijs vſque ad hæc fermè tempora ex M. SS. codicibus pro magna parte nunc primùm erutæ Diſſertationibus, Appendice, & monumentis Geographicis illuſtrantur.

OPVS POSTHVMVM

ROMÆ, Typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.
Anno M. DC. XCVII.

*Superiorum permiſſu.*

# AD LECTOREM.

EMANVEL à Schelſtrate natus Antuerpiæ anno reparatæ ſalutis 1646. die xi. Martij, puer adhuc liberalibus diſciplinis inſtitutus, & Philoſophiæ curſu feliciter emenſo, cum in Belgio, & Gallia clariſſimos viros animaduertiſſet, qui vt antiquam Eccleſiæ in fide ac ritibus traditionem confirmarent, veterem diſciplinam, & quædam præcipua facta in examen reuocantes, ad Sanctorum Patrum ſcripta, monumentaque Eccleſiaſtica illuſtranda ſeſe totos contulerant, eorumdem æmulatione commotus, & ſacræ Theologiæ iam lauream aſſequutus, ad huiuſmodi ſtudium animum intendit. Quod vt commodiùs præſtaret, amplam ſibi librorum ſupellectilem vndique conquiſitam comparauit, ſubſidiumque à Græcis literis mutuando, Conſtantinum Rhodocanacidem, cuius opuſculum in Lexico Schreuelij annectitur, præceptorem adhibuit; ſub quo breui tantùm profecit, vt eius *Grammaticæ ſupplementum* addidiſſet, niſi hoc, ac tot aliæ elucubrationes nondum ab ipſo abſolutæ immaturo fato interceptæ fuiſſent, vt ex relictis ab eodem aduerſarijs apparet. Ne igitur ſibi vni tantùm prodeſſet, ad illuſtranda etiam ipſe Eccleſiaſticæ Antiquitatis monumenta omnem operam, atque diligentiam contulit. Eccleſiaſticæ autem Antiquitatis tempus ad pacem vſque Religioni per Conſtantinum datam ſibi præfixiſſe viſus eſt, priora nempe tria ſæcula cum initio quarti, ſaltem quod ad Chronologiam, ac geſta attinet, complectendo. Quonam verò ætatis anno laborem hunc Emmanuel inchoauerit, non liquet. Hoc tamen certiſſimum eſt, quòd in recenſendo, conſummandoque opere illo, quod *Antiquitas illuſtrata* inſcripſerat, triennium inſumpſit; ſiquidem illud edidit Antuerpiæ in 4. anno 1678. licèt eiuſdem approbatio facta

per Cenſorem, & Canonicum Cathedralis Eccleſiæ Antuerpienſis Antonium Hoefslak præceſſiſſet, vt ibidem legitur, ab anno 1675. die 20. Decembris.

Ne quis verò iure poſſet obijcere, illum ab alijs dicta recitaſſe tantùm, & ex aliorum laboribus exſcripta ad gloriam ſibi comparandam exhibuiſſe, in ipſa Præfatione declarauit, quænam erant grauiſſimæ quæſtiones, & quos hinc, & inde Patronos præſeferebant, tùm verò quid ipſe præſtiterit. Et quidem non abſtinuit ab illis vocibus num. 1. *nunc primùm*. num. 2. *vberiùs fortaſſe, quàm hucuſque factum eſt, expoſuimus*; num. 3. *nouam hanc, & grauem obiectionem hactenus inſolutam enodamus*; num. 4. *graſſanti huic, & ſpecioſo propoſito errori totis viribus omnium, quod ſciam, primi obſiſtimus*; num. 6. *nulli latiùs, quod ſciam, pertractarunt*; num. 8. *quod mirari lubet ab eruditis non fuiſſe animaduerſum*. Et in fine concludit: *Hiſque habes ſpecimina quædam noſtri Operis, reliquis omnibus omiſſis, quæ in vnoquoque ferè capite, aut noua methodo, aut teſtimonijs primò erutis confirmata occurrent*. Qui ſic igitur publicè, & in ipſo limine loquitur, non exſcripſiſſe ab alijs, ſed auctor doctrinæ dicendus eſt, vel ſaltem elegiſſe cum laude, quod latebat educens, non quod patebat exhibens. Quinimmò de nouitate ſententiarum, dum Pariſijs erat, ab eruditis accuſabatur; & in eadem præfatione num. 10. ſcribit, ſe culpatum circa baptiſmum Conſtantini, quam antiquiſſimam opinionem probat ipſe teſtimonio etiam clariſſimi, & eruditiſſimi viri Ioannis Mabillonij.

Sed quod plurimi faciendum videtur, ſe iuuenem adhuc non modò veteres, recenteſque legiſſe auctores in eo Opere oſtendit, ſed etiam magiſtris ipſis clariſſimis ſiuè in Gallia, ſiuè in Belgio interdum aduerſatur, quamuis modeſtè, & reuerenter abſque dicterijs, & procul omni iactantia; ita ut in ipſis ſuis primitijs ſemina iecerit magnarum quæſtionum, quas ſi non ſoluit exactè, poſitis ſaltem ante oculos non leuibus rationibus, lectorem retinet, ne in oppoſitam ſtatim ſententiam pedibus tranſeat. Neque citrà plauſum exceptus

eſt

eſt liber editus; ſiquidem ad hanc rem comprobandam ſufficiat duos doctos viros teſtimonij gratia in medium proferre. Alter ex orthodoxis ſit eruditiſſimus Ioannes Cabaſſutius Gallus Congregationis Oratorij, qui cum animaduerteret, omnes penè eruditos, & ſcholaſticos, quos ipſe in priore editione ſuæ Notitiæ Conciliorum anno 1669. in 8. ſequutus fuerat ad paginam 92. de Antiocheno Concilio malè ſentiens, quòd Arianorum eſſet Conuentus, lecto volumine Antiquitatis illuſtratæ, in eoque validis perpenſis rationibus, quæ pro illius Concilij defenſione pag. 295. à Schelſtratio afferuntur, adeò delectatus eſt, vt in noua, & ampliori editione eiuſdem ſuæ Notitiæ Conciliorum in folio Lugduni 1680. eas omnes pag. 133. referre cenſuerit, idemque Concilium tueri; quod & reliqui docti factitarunt: adeo vt Antiocheni Concilij defenſionem integro libro peractam Schelſtratius edere anno ſequenti tunc tantùm voluerit, cùm aliorum inſignium virorum ſuffragia ſententiæ ſuæ conſonare conſpexit. Alter ex heterodoxis ſit Lutheranus Ioannes Erneſtus Tentzelius, apud quem in Diſſertatione habita Wittembergæ die 3. Ianuarij 1683. in ipſo exordio, facta mentione Antiquitatis illuſtratæ laudatur Schelſtratius, vt *vir doctus, & in Antiquitate Eccleſiaſtica egregiè verſatus*. Et duorum aliorum voluminum editione in medium adducta, ſubdit Tentzelius: ***multa eruditione, & copioſis ex Antiquitate Eccleſiaſtica obſeruationibus referta eſſe non diffiteor.***

Eodem præterea tempore, quo protulit opus Antiquitatis illuſtratæ, quod Chronologiam, Ius Canonicum, Concilia, Pontificum decreta; Capita primaria Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ complectitur, atque inſignes quæſtiones enodat ante annum ſaltem 1678. inſudarat difficili Spartæ de Antiocheno Concilio, vt ipſe monet in epiſtola præfixa ad Epiſcopos Burgenſem, & Antuerpienſem. En eius verba, quæ principium ſunt eiuſdem epiſtolæ. ***Iamdudum menti inhæſerat alia planè, quàm eruditis placuit, de Synodo Antiochena opinio. Cumque re altiori indagine diſquiſita lucidè apparuiſſet, quantus Antiquitatis Eccleſiaſticæ theſaurus in ſuppreſſione***

***iſtius***

*iſtius Concilij manſiſſet neglectus, eruendo tam illuſtri diſciplinæ veteris monimento operam ab annis aliquot ſedulò impendi, vt vario tractatu ornatus ſub auſpicijs veſtris Orbi appareret longè ab omni næuo alienus. Creuit iam in molem operis ſtructura, nec Acta modò, & totius Synodi hiſtoria contra communem Scriptorum ſenſum parantur edenda, ſed & præcipua fidei Catholicæ myſteria, antiqui Chriſtianorum ritus, priſca Epiſcoporum iura ex Canonibus Antiochenis illuſtrata celeberrimo veſtro nomini aptantur nuncupanda.*

Non igitur vni tantùm inhiabat operi Schelſtratius, ſed pluribus eodem tempore, vt qui laudabili ſacræ eruditionis ſiti magis ac magis in diem tenebatur, totum exoptaſſet haurire Iordanem. Non tamen idcircò res præcipiti calamo committebat, ſed temporis vtebatur beneficio, & ſepoſitam parumper ſcriptionem ad ſeueriorem limam poſteà reuocabat. Quamobrem, vt ſuperiùs notatum eſt, quamuìs anno 1675. librum *Antiquitatis illuſtratæ* peregiſſet, illum tamen triennio poſt, anno videlicet 1678. edidit. Et licet volumen de *Antiocheno Concilio* tunc temporis penè abſolutum videret, illud tamen publici iuris facere diſtulit; ſic enim ſupracitato loco epiſtolæ ſatìs innuit: *Verum dum huic qualicunque labori noſtro animus impalleſcit.... obſeruantiam in vos meam aliud in tempus protraherem.*

Secundo itaque loco anno 1679. librum edidit Antuerpiæ de *Eccleſia Africana*, quem Eminentiſſimo Cardinali Hieronymo Caſanate, non modò eruditorum Mecænati, ſed & ſumma eruditione conſpicuo, ad teſtificandam erga tantum virum gratiſſimi animi ſui memoriam dicatum voluit. Quippe eum licèt incognitus, nulliſque adhuc priuatis meritis ſibi deuinctum in petitione Canonicatus, & Cantoratus in Cathedrali Antuerpienſi patronum ſibi per literas aſciuerat, eiuſdemque accuratiſſima commendatione apud ſummum Pontificem Innocentium XI. votis potitus fuerat. Quales autem, & quantæ in eo libro ponantur, & reſoluantur quæſtiones, norunt profectò illi, quibus Africana Eccleſia viſa eſt ſemper exotica protuliſſe.

Ter-

Tertio deinde loco diù iam meditatum, ſuppreſſumque de Antiocheno Concilio volumen ſuum anno reparatæ ſalutis 1681. edidit Antuerpiæ in 4. At quot præclara ibidem traduntur, eaque recondita, nec hactenus obuia eruditione explanata? Porrò ibidem, vt ipſe etiam aduertit Tentzelius Diſſertatione ſuprà citata, duo prætereà promittit volumina; alterum ſcilicet *Actorum Orientalis Eccleſiæ contra Lutheranos*; alterum verò *Actorum eiuſdem Orientalis Eccleſiæ contra Caluinianos*, pro quibus inquirendis, ac exſcribendis ſummam adhibuit operam, Pariſios idcircò iterum, iterumque contendens, vt cum viris eruditis, & præcipuè cum doctiſſimo Mabillonio rē perpendens, ea veritati conſona liberiùs proferret. Dumque ea in Latinum vertit, & publica luce, quamprimùm donare geſtit, inopinatè, & præter omnem ſpem ſuam accitur Romam à præfato ſummo Pontifice Innocentio XI. deſignatus iam ſecundus Cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ, cura potiſſimùm, & ſtudio prædicti Eminentiſſimi Cardinalis.

Romam igitur Schelſtratius non peregrinus, & hoſpes, vt antea, ſed Ciuis, & acceptiſſimus aduenturus, ægrè, vt ipſe morti proximus fatebatur, domeſticam Bibliothecam ſuam, non vti cæteri patrios lares, affines, & amicos relinquebat. Paruit tamen libentiſſimè, & ſecundi Cuſtodis munere ſuſcepto, conſtituit, quarto loco volumen ſcribere *De ſenſu Decretorum Concilij Conſtantienſis ſeſſ.* 4. *&* 5. vnde magna moles pendebat. Multa igitur in rem ſuam meditatus, ſcrutatuſque penitùs Acta omnia eiuſdem Concilij, tum ea, quæ per manus eruditorum paſſim vagantur, tum ea, quæ in Vaticana Bibliotheca reconduntur, cuius omnia manuſcripta penitus inueſtigauit; cumque omnia exemplaria in ſuum conſilium conſpirare videret, antiquiora quædam ſelegit tanquam futuri aliquando operis ſui maxima, & præcipua fundamenta, eaque in exiguum libellum redacta, non Romæ, ſed in Patria anno 1683. typis mandanda curauit. Quem quidem libellum, licèt paucarum paginarum, non contemnendum, immo ſuis conatibus maximè aduerſum

exiſtimauit Ludouicus Maimburgus in eo Tractatu hiſtorico, quem Gallicè ſcripſit de Romana Eccleſia, eiuſque Epiſcopis, vbi quatuor in Schelſtratio oppugnando capita inſumpſit, caput nimirum vigeſimum ſecundum, vigeſimum tertium, vigeſimum quartum, & vigeſimum quintum. Cæterùm nota dignus non videtur Schelſtratius, qui cum eſſet ſecundus Cuſtos illo in opuſculo ſe Vaticanæ Bibliothecæ Præfectum denominat; ſequutus eſt enim exemplum Abbatis Stephani Gradij ſui prædeceſſoris, qui olim eodem munere inſignitus, in Diſputatione de opinione probabili, quam edidit anno 1678. ſe tali titulo inſcripſerat, neque abs re, cum tam primus, quàm ſecundus Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos verè præficiatur.

Vix per quatuor menſes cum dimidio in Patria commoratus, iterùm Romam accerſitur, aſſumptus in locum defuncti Gradij præfatę Bibliothecæ primarij Cuſtodis quaſi per gradus ad ampliores dignitates aſcenſurus. In Vrbem igitur reuerſus, apudque omnes in ſummo pretio habitus, & præſertim apud Chriſtinam Suecorum Reginam Magni Guſtaui filiam, & magnum noſtri ſæculi ornamentum ſcripſit quinto loco *Apologeticum Tractatum contra diſſertationem Tentzelij de Diſciplina Arcani*, quam hic Author heterodoxus contra Schelſtratij doctrinam de Concilio Antiocheno illuſtrato ediderat anno 1683. ſed ipſe Schelſtratius poſtremò Romæ acceperat. Eundem verò Tractatum, in quo multarum quæſtionum nodi ex illo arcano eruti diſſoluuntur, typis mandauit anno 1685., & præfatæ Reginæ tanquam Palladi ſuæ in æternum grati animi teſtimonium dedicauit.

Prodierat interim ſuprà indicatus Maimburgi Tractatus hiſtoricus de Romana Eccleſia, eiuſque Epiſcopis, qui verborum illecebris, ſtilique elegantis lenocinio incautos homines ad ſui lectionem mirificè rapiebat. Hunc ſibi refellendum ſtatuit Schelſtratius ad hoc adductus non tantùm, quòd ab eo grauiter ſugillabatur, verùm etiam vt veritatem, cuius vnius fuit ipſe ſemper ſtudioſiſſimus, ab eo ſcriptore ſubdola arte obſcuratam, in optimo lumine collocaret. Scri-

pſit igitur ſexto loco contra prȩfatum librum Apologiam multa eruditione refertam, vulgauitque Romæ in 4. ſequenti anno 1686., vbi in epiſtola ad Lectorem docet prædictum ſcriptorem in libro ſuo non modò dubia pro veritate irrefragabili venditare, ſed etiam falſa, idque potiſſimùm in tribus ad oculum demonſtrat. Primò in explicatione decreti vnionis Concilij Florentini de Papæ auctoritate ex Teſtu Græco καθ' ὃν τρόπον καὶ *Iuxta eum modum qui*, pro *quemadmodùm* & vel *etiam*. Secundò in eo, quòd Ioannes XXII. obligarit Eccleſiam ad negandam viſionem Beatorum ante Iudicij extremi diem. Tertiò in eo, quòd Eugenius IV. Baſilienſium decreta, aliàs reprobata, approbauerit, & Pius ſecundus in ſua Bulla retractationis faſſus ſit, opinionem de ſuprema Concilij auctoritate eſſe antiquiſſimam. Ne quis verò nimiùm credat Maimburgo certiſſima, & indubitata ſe adducere iactanti, ſubdit poſtea Compendium Chronologicum verè aureum, vbi à Piſano Concilio anno 1405. inchoato vſque ad Conſtantienſis terminationem recenſet, quæ ad cauſam ſpectant Pontificiam, de auctoritate Concilij, ſingula capita, vel paragraphos probando ex editis, & m. ſſ. Poſt Compendium Chronologicum exhibet octodecim veritates, vel à ſe primùm in lucem erutas ex m. ſſ. Codicibus, vel firmatas eorum auctoritate; quibus veritatibus anneċtuntur vndecim errores in præfata Maimburgi hiſtoria deprehenſi. Sequitur poſtremò ipſa Apologia tribus Diſſertationibus eo felici euentu & exitu comprehenſa, vt Maimburgus deinde non tanti ab eruditis factus ſit; cum vbique extantia Concilij Conſtantienſis Acta diligenter ab orthodoxis, atque heterodoxis excuſſa fuerint, an videlicet Schelſtratij dictis cohȩrerent. Quotquot autem de præfati Concilij decretis deinde ſubſcripſere, Schelſtratium omnes adducunt, laudantque. Tùm appendicis loco exſcribit ex Actis Conſtantienſibus partes quaſdam, quarum elenchum initio Apologiæ præmittit.

Anceps poſt hæc, an in patriam remearet (Canonicatum enim cum dignitate Cantoratus in Antuerpienſi Cathedrali, vt ſupra dictum eſt, obtinebat) ab Innocentio XI. ſummo

 Pon-

Pontifice inter Canonicos Lateranenſes adſcitur anno 1687. Dimiſſo igitur Antuerpienſi Canonicatu, depoſitoque conſilio in Patriam redeundi, & aſſumpto habitu violaceo, quo primus Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos inſigniri ſolet, nouam ſcribendi materiam nactus eſt; occaſione Patriarchatus Occidentalis, quem Decanus Londinenſis oppugnans inter cæteros Schelſtratium, impudenter negauerat in eo libro, quem ſcripſit Anglica lingua *de originibus Britannicis*, vulgatumque publici iuris fecit. Præfatum ergo Auctorem exiſtimans ſuum eſſe refellere Schelſtratius ſcripſit ſeptimo loco *De Patriarchatu Occidentali*, Tractatumque Romæ edidit in 4. anno 1687. cum nota in fronte libri nuper obtenti noui Canonicatus Lateranenſis per literas C. L., qui poſtea in Anglicanam linguam verſus eſt.

Ad octauum numerum, qui nota perfectionis eſt, dum poſtea feſtinat, licèt alia multa prælo iam parata non deeſſent, omnibus tamen præfert primi operis perfectionem, ideſt *Antiquitatis illuſtratæ*, quam ſibi diſplicere non raró dictitabat, magis exactam, accuratamque compilationem. Diſplicebat autem præcipuè, vt ipſe aiebat, hiſce de cauſis; tum quia libro in illo quædam legebantur ieiunè dicta, quædam verò non adeò diligenter excuſſa, vel ſaltem prolata ob ipſum præſertim anguſtius antiquitatis ſpatium ad tria tantùm ſæcula deductum. Nouum igitur opus Antiquitatis illuſtratę priori longè copioſius magno conamine aggreſſus eſt, idque in ſex Tomos diſtribuere cogitauerat, iuxta numerum totidem ſæculorum, ad quæ opus illud protrahere deſtinabat; itaut primus Tomus contineret *Opus Chronologicum*, correſpondens Diſputationi præuiæ prioris editionis. Secundus contineret *Opus Geographico-Hierarchicum* de Eccleſiarum inſtitutione per Chriſtum, & Apoſtolos facta, deque Metropolium inſtitutione, reſpondens Diſſertationibus primæ, & ſecundæ primæ Partis in priori. Tertius complecteretur *Opus Synodicum* de Canonibus Conciliorum, deque collectionibus Canonum, & de Pontificum decretis, reſpondens Diſſertationi ſecundæ Partis, immò etiam cap. 5. Diſſertationis 3.

Quar-

Quartus Tomus comprehenderet *Opus Rituale* de Sacramentarijs, libris canonum Pœnitentialium, & ordinationum, de quibus nihil in prima editione. Quintus contineret *Opus de Martyrologijs, Actis Sanctorum, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſcriptis ſuppoſititijs, & in dubium reuocatis*, reſpondens Diſſertationi tertiæ, & vltimæ Partis ſecundæ. Sextus denique Tomus complecteretur *Opus de difficilioribus capitibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, reſpondens Diſſertationi primę Partis ſecundæ, ſed ibi tantùm priorum trium ſæculorum geſta recenſebantur.

Hos autem, Lector, Tomos ſex videre poteris tibi promiſſos in Primo Tomo Chronologico, quem abſolutum edidit in folio ſub initium anni 1692., atque Secundi Tomi *Geographico-Hierarchici* eodem anno impreſſam integram primam Diſſertationem ipſe videre non potuit immatura morte ſublatus, quam ſibi ex nimia applicatione arceſſiſſe credibile eſt. Etenim poſt longam, & difficilem ægrotationem in menſe Octobri anni ſuperioris contractam, quam vix euaſerat, & poſt bimeſtrem ruſticationem, quam ſibi ad parandas vires ex medicorum conſilio non libens indulſerat, acriùs ad intermiſſa ſtudia redierat, abſoluebat enim tunc temporis Primum Tomum, Secundum inchoabat, parabat Tertium. Neque, cum tot laboribus fatiſceret, ab alijs munijs ſibi temperabat, & præſertim Eccleſiaſticis in Baſilica Vaticana, cuius iam erat Canonicus, tranſlatus ad hanc ab illa Lateranenſi ſub initium anni 1688. adeò properè, vt ipſe dicere ſolitus eſſet, ſe in annuo Catalogo Lateranenſium Canonicorum deſcriptum non reperiri; quandoquidem poſt editionem illius adſcitus fuerat, & ante nouam deſcriptionem alterius Catalogi tranſlatus ab Innocentio XI., in cuius parentalibus orationem habuit coram Purpuratorum Senatu in Baſilica Vaticana 21. Aug. 1689. typis vulgatam. Et licèt ex Pontificio indulto ab omnibus Canonicis oneribus eximeretur, numquam tamen, vt qui erat religioſiſſimus, Eccleſiæ deeſſe voluit. Cum verò per tempus quadrageſimale acriùs laboribus inſiſteret, & ab eſcis carnalibus omninò abſtineret, febrim

con-

contraxit vel ſibi non intellectam, vel pro nihilo habitam; adeò vt feria ſecunda maioris hebdomadæ monitus à medicis decumbere, vix tandem ad amicorum preces, ac inſeruientium lacrymas acquieuerit. Sed heu quàm ſerò ! nimis enim morbus inualuerat. Siquidem die Sabbati ſancti quinta Aprilis, noctis hora prima præſentibus multis Vaticanæ Baſilicæ Canonicis, alijſque amicis, omnibus diuinæ gratiæ ſacramentis munitus, poſt modiciſſimam virium corporis depreſſionem obdormiuit in Domino, anno ætatis ſuæ, vt dictum eſt ſuprà, quadrageſimo tertio, dolentibus cunctis tanti viri iacturã, quin etiam ipſo Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio XII. qui ad illum ægrotantem miſerat iam Malpighium, clariſſimum medicum ſuum; cuius illicò ea vox fuit ſe miſſum ad luctum, & mærorem, quando homo de Romana Eccleſia tam benè meritus in ipſo ætatis flore extingueretur. In prima autem, ac diuturnori ægrotatione frequenter inuiſus eſt ab ipſis quoquè Eminentiſſimis Cardinalibus, præter plurimos Aulæ Prælatos, & ferè aſſiduos Vaticanæ Baſilicæ Canonicos, præterque alios tum eruditione, tum pietate inſignes viros, quibus magna cum animi ſubmiſſione explicabat promptiſſimam erga Deum voluntatem ſuam, addebatque, ſe mundum ab eo tempore reliquiſſe, quo in æternum Patria ſalutata, inter primarios Romanæ Vrbis ciues, nullo ſuo præmiſſo merito allectus fuerat, ſic Deo diſponente, vt Antuerpienſem Canonicatum in Vaticanum, & exiguam bibliothecam ſuam in Pontificiam commutaret. In ſecunda verò ac breuiſſima ægritudine non adeò frequentes habuit inuiſores, tum quia morbi violentia citò illum eripuit; tum quia aderant ſacri Dominicæ paſſioni dies, qui homines Chriſtianos in ijs, quæ Dei ſunt, occupatiſſimos tenent.

Secundus hic itaque Tomus cum Auctore ſuo conſepultus quoquè videbatur; vir enim eiuſdem Auctoris amicus, qui ſolicitus erat de operis perfectione, illumque adhuc viuentem in multis adiuuerat, lapſus in morbum triennalem, curam hanc amicis alijs demandare coactus fuit; ſed parùm feli-

lici-

liciter, vt qui eſſent in pluribus occupati. Diuturno tandem morbo Dei benignitate liberatus, ſed nouis ingruentibus curis præpeditus, neque ad multa, quæ ſupererant, manus extendere valens, diuque in ordinando Indice nimis moleſto deſudans, vix hoc anno deſtinata perficere potuit. Huius autem Tomi poſthumi præſtantiam recognoſcere, Lector, poteris ex Diſſertationibus in re grauiſſima, & Appendice, in qua habes Itinerarium nomine Antonini Auguſti cum noua collatione, & Hieroclis Grammatici Comitem peregrinationis, ſeu Notitiam Prouinciarum cum collatione facta à clariſſimo Luca Holſtenio, vnà cum Supplemento eiuſdem auctoris per eumdem Holſtenium deſcripto ex Codice antiquiſſimo Farneſiano, nec non alia multa præclara.

An tertius Tomus lucem publicam viſurus ſit, manifeſtum adhuc non eſt; licèt enim ab auctore ita recognitus fuerit, vt ex illius teſtimonio iam morientis prelo dignus videatur, caret tamen Appendice. Quo verò ad reliquos Tomos, nempè quartum, quintum, & ſextum, in quibus multa eſſent ad Rempublicam literariam augendam perutilia, parauerat quidem ipſe pretioſa non pauca; ſed opus foret aliquo doctiſſimo viro, qui pium eiuſdem Auctoris conſilium promouere vellet. At quis eſt, qui falcem in alienam meſſem mittere ſibi facilè perſuadeat?

Huic autem ſecundo Tomo viderat Schelſtratius lucem non modicam allaturas Tabulas Geographicas. Et quia delineandi ſtudio non parùm delectabatur, Tabulas multas ad hoc ipſum vel conceperat, vel adumbrauerat. Erat itaque vna de Imperij Romani Diœceſibus iuxta Sexti Rufi deſcriptionem, cui etiam Eccleſiaſticam Prouinciarum diſtributionem iuxta Nicæni Concilij decreta putauerat eſſe conſonam. Annotauerat proinde ibi Metropoles Eccleſiaſticas, ac Diœceſes ſuis diſtinctionibus terminatas, & identidem quidquid ſibi viſum erat egregium. Vrbes verò diſtinxerat, alias Patriarchali nota, alias Exarchali, & alias Metropolitana. Atque hæc quidem Tabula ferè perfecta erat, & ad vmbilicum ducta, vtpotè generalis. Altera ſuccedebat particularis, in qua

ſo-

ſolum apparent diſtinctæ Diœceſes Hiſpaniarum, & Galliarum, nuda in reliquis eadem Tabula. Aderant & pro Britannia binæ cum quibuſdam ponderatioibus, & cruce Regis Arturi in Inſula Vallonia ſepulti. Erat quoquè Tabula Romani Patriarchatus magna ex parte completa quoad Metropoles tantùm: necnon Tabula Alexandrini Patriarchatus duplex; ſed vna quaſi rudimentum alterius; quæ vel perfecta, vel parùm deficiens à complemento; repræſentat enim inter cætera mirabiles in Ægypto pyramides, ipſamque olim Ægypti Regiam Alexandriam. Videre quoquè erat Tabulam Patriarchatus Antiocheni ſimul, & Hieroſolymitani, ſed imperfectam; vbi Hieroſolymæ tantùm proſpectus ex parte vna. Aliæ deinde ſequebantur Tabulæ peculiares, quarum prima oculis exhibebat Topographiam Montis Sinai iuxta picturam à Monachis Sinaitis Romam allatam proximis annis, eamque Auctor contulerat, & correxerat cum delineatione Ioannis Baptiſtæ Fontanæ ex relatione Stagnenſis Epiſcopi in Codice Vaticano. Secunda referebat iconographiam Eccleſię Montis Sinai cum peculiari delineatione altaris antiqui, & recentioris, Synthroni, & Ciborij, portæ Sancti Sanctorum, necnon arcæ, vbi corpus Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris aſſeruatur, & ipſam denique externam Eccleſiæ faciem. Tertia, & vltima Tabula Hieroſolymitani Patriarchatus deſcriptionem continebat, in qua repræſentatur Mons Taborius, Mons Sinai, Ciuitas Hieruſalem vetus, & noua, & ipſum denique Templum ſancti Sepulchri iuxta exteriorem proſpectum, & interiorem ſectionem; ſed indiget hæc Tabula, ſicut & reliquæ, ſuprema manu. Ad quod rogatus celeberrimus in Geographia Lubinus, renuit alienis laboribus ſe immiſcere. Ignoſces igitur, benigniſſime Lector, ſi deſiderium tuum hac in re minùs expletum videris.

Cæterùm ſicut hæc innuiſſe ſufficit volenti huius ſecundi Tomi ſupplementum aggredi, ita ſatis erit pro reliquis quatuor Tomis indicare ideam, & diſpoſitionem operis ex ſcheda poſt Auctoris obitum reperta, addendo quæ ad ſingulos Tomos, vel Partes pertinere poſſunt, ſcripta relicta. In illa au-

tem ſcheda ordo *Antiquitatis illuſtratæ* in ampliori editione ſic adumbratur,

*PARS III.* ſed notabatur ibi *II.*

*Diſſertatio I. de Canonibus Conciliorum.*
*Diſſertatio II. De Collectionibus Canonum.*

*APPENDIX.*

*Variarum collectionum ex M.SS. Codicibus pro maiori parte nunc primùm erutarum.*

Ad hanc Partem inter ſcripta relicta pertinent *Variæ collectiones Canonum*. Item *Concilia Hiſpanica* in 4. Item *Concilium Conſtantienſe* in folio. *Concilium Baſilenſe* in 4. *Decreta Pontificum.*

*PARS IV.* ſed notabatur ibi *V.*

*De ritibus veteris Eccleſiæ.*

*Diſſertatio I. De veteris Occidentalis Eccleſiæ ritibus.*
*Diſſertatio II. De veteribus Orientalis Eccleſiæ ritibus.*

*APPENDIX.*

*Variorum Ritualium ex M.SS. Codicibus pro magna parte nunc erutorum.*

Ad hanc ſpectant inter ſcripta relicta *De Ritualibus* in folio. *Rituale ex Archiuio Baſilicæ Vaticanæ*, & *Diſſonantia Breuiarij Ambroſiani, & Romani F. Mutij.*

*PARS V.* ſed ibi notabatur *V.*

*De Martyrologijs, & Sanctorum Actis.*

*Diſſertatio I. De Martyrologijs, eorumque Auctoribus.*
*Diſſertatio II. De genuinis Martyrum, & Sanctorum Actis.*
*Diſſertatio III. De ſuppoſititijs Sanctorum Actis.*

## *APPENDIX.*

*Martyrologiorum, & Notitiarum ad ea ſpectantium.*

Inter ſcripta relicta nullum inuenitur ad hoc ſpecialiter, niſi fortè in illis, quæ præfixum habent titulum, & ſunt duo Tomi in 4. *PARS II. & III.*, ſeu *III., & IV.*; *PARS III. & IV.*, ſeu *V. & VI.*

## *PARS VI.*

*De præcipuis factis Eccleſiaſticis hodie apud Eruditos controuerſis.*

*Diſſertatio I. De factis trium primorum ſæculorum vſque ad Nicænum Concilium.*

*Diſſertatio II. De factis ſæculi IV. & V.*

*Diſſertatio III. De factis ſæculi VI., & VII.*

## *APPENDIX*

*Monumentorum, & Actorum ad ſuperiora ſpectantium ex M. SS. Codd. nunc primò pro maiori parte erutorum.*

Ad hanc fortaſſe ſpectabunt aliqua in prænotatis duobus Tomis in 4.

*PARS III.* vt ibi notabatur, ſed eſt iungenda *PARTI V.*

*De ſcriptis veterum diſcernendis.*

*Diſſertatio I. De genuinis veterum operibus.*

*Diſſertatio II. De Pſeudo-hæreticorum ſcriptis.*

*Diſſertatio III. De ſcriptis ſuppoſititijs, & in dubium reuocatis.*

## *APPENDIX*

*Variorum monumentorum, & Catalogorum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & hæreſibus ex M. SS. Codd. in lucem erutis.*

Annotatio ibidem erat. *Vide Cod.* 6431., *in quo nonnullæ notæ ad hæreſes à Gratiano, ni fallor, enumeratas. Cod.* 1626.

1626. *pag.* 677. *Catalogus eorum, qui contra hæreſes ſcripſerunt.*

Ad hanc ſpectant relicta *Opera deperdita, & ſuppoſita per ſæcula* in folio. Quærendum quoquè in Tomis II., & IV., an ſit aliquid inde excerpendum.

Atque hæc dicta ſint ad complementum nouæ editionis *Antiquitatis illuſtratæ.* Sed præter illud argumentum ſcripſit alia, & reliquit edenda, nempè primò *Acta Orientalis Eccleſiæ contra Lutheranos* in folio, quæ iam ſub prelo ſunt. Secundò *Acta eiuſdem Orientalis Eccleſiæ contra Caluinianos.* Atque hæc quidem antequàm ad ſecundam Vaticanæ Bibliothecæ cuſtodiam vocaretur, vt ſuprà annotatum eſt. Cæterùm inter opera, quæ imperfecta reliquit, vnum reperitur, quod profectò magnæ fuiſſet vtilitatis, ſi ad maturitatem perueniſſet, nempè *Modus dignoſcendi ex forma characterum ſiue Græcorum, ſiue Latinorum ſcripturæ vetuſtatem.* Extat & aliud *De Baſilica Vaticana* in folio: & inter ſchedas præter alia multa, videre eſt quoquè *Catalogum Archiepiſcoporum Neapolitanorum Ioannis Diaconi.*

Ex quibus omnibus tam editis, quàm edendis, tam perfectis, quàm imperfectis liquidò apparet, quantus, & qualis vir fuerit Schelſtratius, & quantum de ſacra Antiquitate promeritus, pro qua tot labores, tot vigilias, tot ſumptus ſpontè tolerauit, plura certò daturus in diem, ſi vitam produxiſſet. Quòd ſi quis doctus næuos aliquos in eius Operibus deprehenderit, vel ſaltem deprehendere ſe poſſe exiſtimauerit, pro tua humanitate, Lector, recogites, velim, Scriptorem nullum à nota cenſuræ immunem abire: quæ enim alicui placent, alteri diſplicent, & rara eſt magnorum ingeniorum concordia. Hinc profectò videmus crebra illa, & acerrima inter litteratos viros prælia, & contentiones, adeout de veritate, qua nihil mundius, diſputantes non reuereantur in contumelias, ac probra ſatyrico ſtilo ſæpiùs erumpere. Quod quantum fuerit à Schelſtratio alienum, videre eſt in præfatione, ſeu epiſtola præfixa ad Concilium Antiochenum ab ipſo illuſtratum, in qua viros omnes noſtri ſæculi doctrina inſi-

gnes recenſendo, licèt diuerſi diuerſa eadem de re ſentiant, eos ſummis laudibus extollit. Atqui dum ipſi mordicus inter ſe contendunt, ſeque mutuò proſcindunt, afferentibus ſingulis pro fulcimine ſententiæ ſuæ quandoquè pretioſa, vel ſaltem non contemnenda, eos Reſpublica literaria ſuo magno cum profectu commendat, & veneratur. Cæterùm quemadmodum Deus ipſe cuilibet regioni propria dona diuiſit, non quælibet tamen incommoda amouendo (neque enim omnis fert omnia tellus) ad eum præcipuè finem, vt Regna, & Prouinciæ commercia ſecum inuicem faciliùs exercerent, neque altera alteram contemneret; ita quoſdam in viris egregijs eminere næuos permiſit, vt nemo de ſe gloriari poſſet, nec ſuperbè, ſed modeſtè de ingenio ſuo ſentiendo, ab alijs diſceret, dum doceret.

Vna contra Schelſtratium heterodoxorum querela eſt, quòd videlicèt abreptus nimium ſit ſtudio Pontificię auctoritatis. Sed illud *nimium* profectò nimium eſt; non enim ille quidquid pro Auctoritate Pontificia ab alijs vulgabatur, ſtudio abreptus in ſua transferebat, ſed id tantùm, quod in ſacra Antiquitate, cuius lectione mirificè tenebatur, inconcuſſum, & ſolidum reperiebat. Quare cùm in Patribus, in Concilijs, in vetuſtis monumentis legeret obedientiam ſum̃am per tot ſæcula Romano Pontifici præſtitam, eiuſque ſupremam auctoritatem ab omnibus receptam: quid mirum, ſi pro Sede Apoſtolica, immò pro clariſſima veritate tam acriter decertauerit? Atqui nouum non eſt, eos, qui pro Romana Sede caput ſuum deuouere, accuſari ab illis de ſtudio partium, qui in eamdem perfidè coniurarunt.

Ex noſtratibus autem culpant aliqui incoſiderantiã in Schelſtratio; ſed immeritò, neque enim, vt dictum fuit, quidquid primo animi impetu paginis conſignauerat, ſtatim euulgabat, ſed cogitabundo ſimilis diu noctuque mente recoquebat, quod antea ſcripſerat, talibuſque in cogitationibus ſic aliquando defixus erat, vt extra ſe raptus videretur. Atque hinc eſt, cur ſæpe ſæpius occurrentes amicos non aduerteret, eorumque ſalutationes quaſi ſurdis auribus excipiens,

piens, tacitus pertranſiret: Vnde facilè anſam maleuoli arripuerunt Schelſtratium faſtus, & ſuperbiæ inſimulandi. At ſi quis eum, licèt ignotus, proximè conueniſſet, adeò mitem, humanum, & affabilem reperiebat, vt tantam in illo viro comitatem miraretur. Sed Aduerſarios facilè mendacij redarguit illius in ſcribendo modeſtia, quam vbique ſuis in operibus expreſſam reliquit. Immo ſi quis ea attentè conſideret, & qualem ille Antiocheni Concilij defenſionem primus ſuſceperit, cui tot alij poſtea ſubſcripſerunt: quot Conſtantienſis Concilij Acta iam propemodùm obliuione conſepulta primus inuenerit, publicauerit, elucidauerit, ex quibus multorum in Romanam Sedem audaciam retunditur: quot denique abſtruſiſſimas quæſtiones primus in medium protulerit, & ingenioſè enodauerit; eruditi, de re litteraria optimè meriti, & eximiè docti nomen Schelſtratio non denegabit.

PRÆ-

# PRAEFATIO

RECTE à Leone Magno obſeruatum fuiſſe arbitror, ideò Populum Romanum ad orbis dominium perueniſſe, vt faciliùs per eius Prouincias ſe fides Catholica diffunderet: *Vt namque huius inenarrabilis gratiæ*, inquit magnus ille Pontifex, *per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum Regnum diuina prouidentia præparauit, cuius ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum vndique Gentium vicina, & contigua eſſet vniuerſitas. Diſpoſito namque diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarentur Imperio, & citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen Ciuitatis.* Cum igitur duodecim Apoſtoli accepta per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum imbuendum Euangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent; Petrus quidem Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij, cæteri verò per varias eius Prouincias diſperſi fidem Gentibus annuntiarunt, & peruenerunt ad Populos in ſolo Barbarico, hoc eſt in regionibus extra Imperium degentes, quibus in tenebris, & vmbra mortis conſtitutis lux claritatis ad modicum tempus refulſit. Eccleſiæ namque inter barbaras Gentes ab Apoſtolis conſtitutæ, aut tam parua incrementa habuerunt, aut tam citò deletæ ſunt, vt quarto ſæculo nulla earum mentione habita S. Optatus Mileuitanus in Africa Epiſcopus libro 3. contra Parmeniannm ſcripſerit, Eccleſiam intra fines Imperij conſtitiſſe: *Non enim*, inquit, *Reſpublica eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica eſt*, *ideſt*, *in Imperio Romano*. Eccleſia igitur in Republica potiſſimùm creuit, ideoque Eccleſiarum adminiſtratio ad formam Imperij accomodata fuit. Vnde non abs re feciſſe videbimur, ſi Prouinciarum notitiam exhibeamus, & quæ ad Geographiam ſacram ſpectant, ita hoc Tomo proſequamur, vt Eccleſiarum inſtitutioni dignoſcendæ inſeruiant.

Porrò cum Eccleſiæ partim à Chriſto Domino, partim ab Apoſtolis, eorumque Principe Petro, & Petri ſucceſſoribus inſtitutæ ſint, ita demùm partiri commodè tractationem videbimus, ſi duo ſumma operis capita ſtatuamus, quorum primo Eccleſiæ inſtitutionem à Chriſto factam, altero eius ordinationem ab Apoſtolis diſpoſitam dilucidamus. Primum itaque ab Eccleſiæ inſtitutione per Chriſtum facta inchoamus, quæ cum in Iudæa ortum habuerit, Diſſertatione pri-

ma

ma agimus de varia Iudęæ in Tribus, Tetrarchias, & Regna diuiſione, oſtendimuſque tunc in Tetrarchias diuiſam fuiſſe, dum Chriſtus in ea fidem prædicare cœpit, ſic tamen, vt Tetrarchia Iudææ & Samariæ à Romanis contributa eſſet Syriæ, dum Chriſtus Hieroſolymis ſub Pontio Pilato Prouincię Præſide paſſus fuit.

Inueſtigamus proinde Regiones, in quibus Chriſtus Euangelium prædicauit, & num in partibus Tyri & Sydonis, quæ Gentilium ſuperſtitioni addictæ erant, fidem annuntiauit. Ratio quoque redditur, cur Chriſtus ante paſſionem diſcipulis ſuis prohibuerit, ne in vias Gentium abirent, aut ciuitates Samaritanorum intrarent: poſt paſſionem verò liberam vbique prædicandi poteſtatem conceſſerit Apoſtolis, quorum diuiſionis tempus, & modus inquiruntur; regiones, ad quas ſinguli profecti ſunt, indicantur; & quòd Petrus bis Romam venerit, ibidemque Cathedram Epiſcopalem 25. annis tenuerit, antiquorum ſcriptis, & veterum Eccleſiarum monimentis comprobamus. Sicque huic Diſſertationi de prima religionis Chriſtianæ propagatione à paucis hactenus inueſtigata finem imponemus.

Diſſertatione ſecunda aliam quæſtionem ab omnibus ferè Theologis & eruditis prętermiſſam elucidamus, quam nimirum authoritatem Apoſtoli à Chriſto acceperint, & in quibus munijs obeundis authoritate pares fuerint, ac quænam munia Apoſtolica cum alijs quàm Apoſtolis, diuinitus communicata ſint. Vbi oſtendimus ſolicitudinem omnium Eccleſiarum, quam ſinguli Apoſtoli à Chriſto acceperunt, nequaquam à ſingulis Apoſtolis ad ſucceſſorem tranſmiſſam fuiſſe. Quod ex eo confirmamus, quia nulla illarum Eccleſiarum, in quibus Apoſtoli ſederunt, vel Epiſcopos inſtituerunt (ſi Petri Sedem excipias) vniuerſalem illam curam, ſolicitudinemque geſſit. Enumeratis proinde Cathedris Apoſtolicis, demonſtramus in ſola Petri Cathedra ſolicitudinem totius Eccleſiæ ad ſucceſſores tranſmitti debuiſſe, quia ſolus Petrus ordinarius Eccleſiæ Paſtor conſtitutus fuit, vt ex ſacræ Scripturæ locis, Conciliorum generalium actis, ſanctiſſimorum Pontificum decretis, antiquorum Patrum teſtimonijs, Græcorum, ac Latinorum ſcriptis, Pariſienſis quoque Vniuerſitatis, & perpetuo Gallicanæ aliarumque Eccleſiarum ſenſu oſtendimus contra Neotericos quoſdam, qui Primatum Petri, eiuſque ſucceſſorum impetere auſi ſunt.

Tertia Diſſertatione inquirimus, quænam hęc Eccleſia ſit, in qua Petrus Cathedram ſuam conſtituit, & in qua eius ſolicitudo Eccleſiarum ad ſucceſſores Epiſcopos permanauit. Oſtendimus autem contra noſtri temporis Hæreticos, primò Petrum Romæ fuiſſe: Secundò erecta

ꝺa ibidem Cathedra Epiſcopali munus Pontificium obijſſe: Tertiò Romanos Epiſcopos Petro in Sede Epiſcopali, & Cathedra Apoſtolica ſuccedere: Quartò Romanos Pontifices auctoritate Apoſtolica per orbem Catholicum vſos ſemper curam totius Eccleſiæ geſſiſſe. Quintò demùm omnes totius orbis Catholici Eccleſias Romani Pontificis Primatum agnouiſſe, quod peragratis terrarum orbis regionibus, ex ſingularum Prouinciarum Eccleſijs tot monimentis, teſtimonijſque euincimus, vt nullus hac de re ambigendi locus reliquus eſſe poſſit, tamque patentem veritatem, aduerſarij, licèt inuiti, fateri cogantur.

Diſſertatione IV. & reliquis reliquatum Eccleſiarum inſtitutiones ab Apoſtolis factas proſequimur, & quo pacto Monarchicum Eccleſiæ regimen Ariſtocratico temperatum ſit, explicamus. Quarta igitur Diſſertatio verſatur circa inſtitutos ab Apoſtolis in ciuitatibus Epiſcopos, & in Prouincijs Metropolitanos; oſtendimuſque diſpoſitionem Prouinciarum Eccleſiaſticarum ab ipſo naſcentis Eccleſię exordio factam eſſe iuxta diſpoſitionem Prouinciarum Imperij: adducimus proindè Notitias Imperij ſub Auguſto, Hadriano, & Conſtantino Magno factas, vt probemus Epiſcopales, & Metropolitanas Eccleſias, prout citiùs, aut tardiùs inſtitutæ ſunt, iuxta Imperij diſpoſitionem fuiſſe diſtributas. Patet id de Prouincijs tam Orientalibus, quàm Occidentalibus, quas ab Apoſtolorum temporibus tot Metropolitas habuiſſe conijcimus, quot ad fidem conuerſæ fuerunt; indeque Petrum epiſtolam miſiſſe ad Chriſtianos diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ; Paulum verò per Corinthiorum Metropolim omnibus fidelibus, *qui ſunt in vniuerſa Achaia*, ſcripſiſſe, & Titum Prouinciæ Cretæ pręfeciſſe, *vt conſtitueret per ciuitates Epiſcopos*. Ex quibus verbis colligimus Titum Metropolitanum fuiſſe, Gortynæ nimirum Metropoleos Epiſcopum, vt contra nuperum Scriptorem probamus ex pleriſque teſtimonijs, quibus conſtat, à tempore, quo Titus Gortynæ pręfuit, Eccleſiam illam Metropolitanam dignitatem ſemper ſeruaſſe, ſicut Cæſarea ab Apoſtolorum temporibus Metropolis Palęſtinę effecta, ſupra Hieroſolymitanam auctoritatem retinuit vſque ad ad Hieronymi tempora, qui docet Nicęnis regulis confirmatum fuiſſe, *vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit*.

In Gallia quoquè, Hiſpania, Africa, & Illyrico à prima Gentium conuerſione fuiſſe Metropolitas per Prouincias conſtitutos, varijs antiquorum teſtimonijs comprobamus. Secus de Italia dicendum, cui non quidem Metropoles ſeptemdecim pro totidem Regionum, aut Prouinciarum ciuilium numero, ſed duos tantummodò tribuendos

eſſe

eſſe conſtat, Romanum nimirum, & Mediolanenſem. Oſtenditur autem, id factum eſſe ex ſpeciali Italię diſtributione, quæ in duas partes diuiſa, poſteà duobus Vicarijs ſubiecta fuit, Vicario nimirùm Italiæ nomine parebant, & Vicario Vrbis, cui cæteræ decem Regiones ſuberant, quæ quia ſub Vrbis Vicario erant, Suburbicarię dicebantur. Ex quibus non obſcurè colligitur, vnde orta ſit quęſtio de Suburbicarijs Eccleſijs. Sicut enim Epiſcopus Mediolanenſis tanquam Metropolitanus ſibi ſubiectas habebat ſeptem Regiones Vicarij Italię, quę primis temporibus non niſi vnam Prouinciam Eccleſiaſticam conſtituebant; ita Epiſcopus Romanus tanquam Metropolitanus decem Regionibus præerat, quæ vnam Prouinciam Eccleſiaſticam efficiebant. Quandonam autem cęteræ dignitates Metropolitanę in Italia conſtititę ſint, latiùs inquirimus.

* Diſſertatione Quinta tractamus de inſtitutione Eccleſiarum Exarchalium, & Patriarchalium in quinque Orientis Diœceſibus. Sicut enim Apoſtoli Metropolitanos in Prouincijs ſuper plures Epiſcopos ſtatuerunt; ſic in maioribus Orientalis Imperij Diœceſibus, quæ ſingulæ plures Prouincias ſub ſe complectebantur, ex Apoſtolico inſtituto maiores dignitates Eccleſiaſticæ conſtitutæ ſunt. Probamus id de Diœceſi Aſiana, ſupra quam conſtitutus fuit Exarcha Epheſinus: de Diœceſi Pontica, quæ ſubdita fuit Exarcho Cæſareenſi Cappadociæ: & de Diœceſi Thracica, quæ Exarcho Heracleenſi paruit, vſquedum Byzantium Sedes Romani Imperij euaſit, eiuſque Epiſcopi Regiæ Vrbis ſplendore elati præfatos Exarchatus inuaſerunt, & eorum autocephalia deleta Patriarchicum in illos ius ſibi aſſumpſerunt: quod exemplum quoquè imitati Hieroſolymitani Epiſcopi in auulſas à Patriarchatu Antiocheno tres Palæſtinas ius Patriarchicum ſibi vindicarunt. Verùm hæc primùm quinto ſæculo contigēre; cum anteà præter tres Exarchatus in Oriente duo dumtaxat Patriarchatus, Alexandrinus nimirùm in Diœceſi Ægypti, & Antiochenus in Diœceſi Orientis reperirentur. Erant Antiochia & Alexandria duæ maiores Ciuitates Imperij, quæ magnitudine, & nobilitate ferè cum Romana certabant. Antiochiæ igitur Petrus Sedem Patriarchalem inſtituit, Alexandriam verò diſcipulum ſuum Marcum, qui Sedem Patriarchalem ibi conſtitueret, miſit; & licèt nomen Patriarchæ tunc nondum vſu receptum fuiſſe comperiatur, res tamen notiſſima fuit, quandoquidem eius dignitatis iura iam tum vtrique collata fuiſſe oportuit, dum Antiochenus, & Alexandrinus Epiſcopi munus Patriarchicum in ſuis Diœceſibus exercebant. Quæ enim potior iuris eiuſdem teſſera, quàm conſecrare Metropolitas, conuocare Epiſco-

pos ad Concilia, de illorum cauſis cognoſcere? At hæc omnia tam Alexandrinus per totam Ægyptum, quàm Antiochenus per Orientis Diœceſim egerunt, vti latiùs probamus adductis antiquorum teſtimonijs, & reiectis Ioannis Launoij, ac Decani Londinenſis cauillationibus, quibus ille Patriarchas olim eoſdem, ac Metropolitas fuiſſe contendit, hic verò Patriarchas ante Nicænum Concilium nullos Metropolitas ſub ſe habuiſſe autumat.

Diſſertatione Sexta agimus de Patriarchatu Romano, cuius iura in totum Occidentem pleriſque veteris Eccleſiæ monimentis, & antiquorum Patrum teſtimonijs comprobamus. Reiectis igitur Salmaſij & ſequacium Hæreticorum ſomnijs de arctanda intra Regiones Suburbicarias Romani Pontificis auctoritate, oſtendimus eas paruiſſe Romano Pontifici, tanquam Metropolitæ, cuius Prouincia Eccleſiaſtica pro dignitate Sedis Apoſtolicæ per decem Regiones Suburbicarias à Tuſcia, & Vmbria vſque ad Siciliam protendebatur. Quòd autem Romanus Epiſcopus vltra has Regiones ordinationis iura exercuerit, vel ex antiqua Italiæ Prouincia patet, in qua Epiſcopos Rauennates, alioſque ordinare ſolebat, vti & ſæpe per omnes Occidentis Prouincias vel Epiſcopos miſit, vel ordinauit, omneſque Occidentales Epiſcopos ad Patriarchale Concilium euocauit, mandato eius parentibus tam Gallis, quàm alijs nationibus. Ex quibus omnibus conſtat de ſenſu genuino canonis ſexti Nicæni, quo ſtatuitur, vt Epiſcopus Alexandrinus poteſtatem habeat Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis, quia Epiſcopo Romano parilis mos eſt, vt nimirùm *Regiones Suburbicarias*, ſicut habet Ruffini paraphraſis, *& omnem Occidentis Prouinciam*, vt addit antiqua Codicis Vaticani lectio, *ſpeciali ſolicitudine gubernet*. Confirmatur hæc lectio præclaro antiquiſſimorum Epiſcoporum teſtimonio, quod extat in epiſtola Concilij Arelatenſis Primi per Sirmondum edita, vtpotè quo Syluestro Papa dicitur: *Qui maiores Diœceſes tenes*. Scribunt hæc Epiſcopi Diœceſium Africæ, Italiæ, Galliarum, Hiſpaniæ, & Angliæ, quibus cum de toto Occidente ſolùm deſint Epiſcopi Diœceſis Illyricianæ, aliud teſtimonium adiungimus Theodoſij Echinienſis Ciuitatis Epiſcopi, vtpote qui nomine Stephani Lariſſenſis in Theſſalia Metropolitæ adductis antiquiſſimorum Pontificum litteris probauit, ex ijs conſtare, *quòd, quamuis in toto mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi vindicet principapatum, ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vendicarit*.

His Diſſertationibus pro more noſtro adiungimus Appendicem, qua Notitias Eccleſiarum à primis temporibus, quibus inſtitutæ ſunt, vſque

vſque ad noſtram ætatem complectimur. Cum autem primi Eccleſiarum inſtitutores in diſtributione Prouinciarum imitati ſint ordinem Prouinciarum Imperij: ad hanc materiam elucidandam plurimùm me collaturum credidi, ſi primam Romanarum Prouinciarum inſtitutionem inquirerem, & quæ in rerum Romanarum ſcriptoribus inueni ante cætera omnia in medium adducerem. Diſſertatione igitur præuia, vndecim capitibus totidem Romanarum Diœceſium Prouincias perluſtro, & quo tempore ſingulæ inſtitutæ ſunt, ex antiquiſſimis Gentis illius monimentis demonſtrare ſtudeo. Poſt hanc Diſſertationem Notitias Patriarchatuum Orientis, Metropolium, & Epiſcopatuum Orbis Catholici ex M.S.S. Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ, aliarumque nunc primùm typis deſcribo; typis ab alijs editas correctiores profero; vel notis neceſſarijs, vt Nili Doxapatrij tractatum de quinque Thronis Patriarchalibus, illuſtro; quæque de eorum auctoribus, vt de Hieroclis Grammatici ætate latebant, explico: & ne in hac materia quidquam deſideretur, chartas ſeu Tabulas Geographicas magno labore confectas, nec minori diligentia exaratas adiungo.

# SYNOPSIS

Diſſertationum, & Capitum

*Quæ in hoc Tomo Secundo continentur.*

## DISSERTATIO I.

*De locis vbi Chriſtus, & Apoſtoli fidem prædicarunt. pagina* 1.

*Caput I. De varijs Iudææ nominibus, eiuſque terminis & terræ diuiſionibus. pag.* 2.

*Caput II. Quomodo Iudæa in Tetrarchias diuiſa fuerit, quando Chriſtus in ea fidem prædicare cœpit? pag.* 14.

*Caput III. In quibus regionibus Chriſtus Euangelium prædicauit? & num ante paſſionem eius extra Iudææ terminos fides annuntiata ſit? pag.* 23

*Caput IV. Quòd Apoſtoli poſt Chriſti paſſionem in Iudæa permanſerint vſque ad diuiſionem: Diſcipuli verò plures regiones peragrarint. pag.* 32.

*Caput V. An & quomodo Apoſtoli diſpertitis ſibi regionibus imbuendum Euangelio mundum ſuſceperint? pag.* 39.

*Caput VI. Qua ratione Apoſtolica prædicatio totum terrarum orbem breui temporis ſpatio peruaſerit? pag.* 48.

*Annales prædicationis Apoſtolicæ per varias regiones, & ciuitates. pag.* 54.

*Synopſis prædicationis Apoſtolorum, eiusque Diſcipulorum. pag.* 72.

## DISSERTATIO II.

*De Authoritate Apoſtolorum, & quòd Petrus Collegij Apoſtolici Princeps, & Caput Eccleſiæ à Chriſto Domino conſtitutus ſit.*

*Caput I. An & in quibus munijs obeundis Apoſtoli authoritate*

*pa-*

*pares fuerint? pag.* 75.
*Caput II. Quòd inter munia, quæ alijs, quàm Apoſtolis, communicata fuerunt, reputanda non ſit ſolicitudo omnium Eccleſiarum;* & *quòd eam poſt diuiſionem ne quidem omnes Apoſtoli ſemper exercuiſſe reperiantur. pag.* 85.
*Caput III. Quòd excepta Petri Cathedra nulla alia ſolicitudinem omnium Eccleſiarum ab Apoſtolis acceperit. pag.* 98.

*Propoſitiones ſelectæ à Sacra Facultate Theologiæ Pariſienſis inter innumeras ex* 4. *libris Antonij de Dominis Archiepiſcopi Spalatenſis de Republica Eccleſiaſtica, cum cenſura. pag.* 106.

*Caput IV. Quòd in ſola Petri Cathedra auctoritas Apoſtolica gubernandi vniuerſam Eccleſiam ad Succeſſores tranſmiſſa ſit. pag.* 108.
*Caput V. Quòd Petrus Ordinarius Eccleſiæ Paſtor conſtitutus ſit, vlterius ex Scriptura* & *traditione oſtenditur. pag.* 114.
*Articulus I. Quod Matthæi* 16. Tu es Petrus &c. *agatur de Primatu Eccleſiæ Petro tribuendo, ibid.*
*Articulus II. De Clauibus Petro promiſſis num in ſignum Primatus,* & *immediatè potiùs Eccleſiæ, quàm Petro traditæ ſint. pag.* 128.
*Articulus III. Quòd Ioanni* 21. Paſce oues meas, *Petri Primatus inſtitutus ſit. pag.* 139.

## DISSERTATIO III.

*Quòd Primatus Petri ad eius in Cathedra Romana Succeſſores tranſmiſſus ſit. pag.* 146.

*Caput I. Quòd B. Petrus Romam venerit. pag.* 148.
*Caput II. Quòd Petrus Romæ Cathedram ſuam inſtituerit, ibidemque Epiſcopatum geſſerit. pag.* 156.
*Caput III. Romanos Epiſcopos in Sede Epiſcopali,* & *Cathedra Apoſtolica ſuccedere. pag.* 164.
*Caput IV. Quòd Romani Pontifices Apoſtolica auctoritate per orbem vniuerſum vſi ſint,* & *curam totius Eccleſiæ ſemper geſſerint. pag.* 174.
*Caput V. Quòd omnes totius orbis Eccleſiæ Primatum Romani Pontificis agnouerint. pag.* 189.

*Arti-*

*Articulus I. Quòd Palæſtina, & Syria Romani Pontificis Primatum ſuſceperint. pag. 190.*
*Articulus II. Quòd Pontus, Aſia, & Thracia ſupremam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem admiſerint. pag. 194.*
*Articulus III. Quòd Illyricum Romani Pontificis Primatum venerabundè agnouerit. pag. 200.*
*Articulus IV. Quòd Galliarum Eccleſiæ ſemper profeſſæ ſint Primatum Romani Pontificis. pag. 202.*
*Articulus V. Quòd Hiſpaniarum Eccleſiæ Primatum Romani Pontificis à primis ſæculis prædicarint. pag. 206.*
*Articulus VI. Quòd Africana Eccleſia Romani Pontificis Primatum ſemper receperit. pag. 208.*
*Articulus VII. Quòd Ægyptus Romani Pontificis Primatum agnouerit. pag. 211.*
*Articulus VIII. Quòd reliquæ per Orbem Eccleſiæ Romani Pontificis Primatum venerabundè ſuſceperint. pag. 213.*

## DISSERTATIO IV.

*De inſtitutione Epiſcoporum, & Metropolitanorum in Ciuitatibus, & Prouincijs Imperij. pag. 218.*

*Caput I. De varia diſtributione Imperij in Diœceſes, & Prouincias, earumque regimine ſub vno, aut pluribus Imperatoribus vſque ad Barbarorum inuaſionem. pag. 221.*

*Notitia Auguſti. pag. 222.*
*Notitia Hadriani. pag. 227.*
*Notitia Imperij à Conſtantino M. vſque ad Arcadium, & Honorium. pag. 231.*

*Caput II. De inſtitutis ab Apoſtolis per Ciuitates Epiſcopis. pag. 237.*
*Caput III. An & quomodo Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerint? pag. 245.*
*Caput IV. De inſtitutione Metropolitanorum in Metropolibus Prouinciarum Romani Imperij. pag. 258.*
*Caput V. An & qua ratione in Diœceſi Italiæ inſtitutæ fuerint Metropoles Eccleſiaſticæ. pag. 264.*
*Caput VI. De Prouincijs Africæ, & earum diſtributione, & cur per ſingulas inſtituti ſint Primates, qui Epiſcopo Carthaginenſi parebant. pag. 277.*

*Caput VII. De inſtitutis in Hiſpaniæ Diœceſi Eccleſijs, & Metropolitanis Epiſcopis. pag. 284.*

*Caput VIII. Quandonam fides in Gallijs prædicare cœperit, ibidemque Prouinciarum diſtributio, ac Metropolium erectio facta ſit? pag. 292.*

*Capnt IX. De Illyrico, eiuſque Prouincijs, & Metropolitanis Epiſcopis. pag. 303.*

## DISSERTATIO V.

*De inſtitutione Exarchorum, & Patriarcharum in quinque Orientis Diœceſibus. pag. 312*

*Caput I. De tribus maioribus Imperij Romani Ciuitatibus, & inſtituta ibidem à B. Petro maiori dignitate Patriarchali. pag. 316.*

*Caput II. De Exarchorum inſtitutione in tribus Diœceſibus Aſiana, Pontica, & Thracica. pag. 323.*

*Articulus I. De Diœceſi Aſiana, & Proconſularis Aſiæ Prouincia, & quomodo, ac quando Aſiana Eccleſia Exarcho ſubiecta fuerit? pag. 324.*

*Articulus II. De Cæſareenſis Cappadociæ Epiſcopi Exarchatu ſuper Ponticæ Diœceſis Eccleſias. pag. 332.*

*Articulus III. Quòd Diœceſis Thracica Exarchum Heracleenſem habuerit. pag. 337.*

*Caput III. De Patriarchatu Alexandrino. pag. 341.*

*Articulus I. An & quando Epiſcopi, & Metropolitæ in Ægypto inſtituti fuerint? pag. 345.*

*Articulus II. De Ordinatione Patriarchæ Alexandrini: an & quo ritu olim peracta fuerit? pag. 352.*

*Articulus III. De auctoritate, qua Patriarcha Alexandrinus in totius Ægypti Eccleſias vſus eſt. pag. 362.*

*§. I. De Iure Patriarchæ Alexandrini in ordinandis Ægypti Metropolitanis, & Epiſcopis. pag. 363.*

*§. II. De Auctoritate Patriarchæ Alexandrini in conuocandis ad Concilium totius Ægypti Epiſcopis, & iudicandis eorum cauſis. pag. 369.*

*Caput IV. De Patriarchatu Antiocheno, eiuſque & Patriarchæ iuribus. pag. 376.*

*Caput*

*Caput V. De Patriarchatu Hieroſolymitano : quomodo, & quandonam inſtitutus ſit, ac in quas Prouincias ius Patriarchale exercuerit ? pag.* 387.

*Caput VI. De Patriarchatu Conſtantinopolitano. Et quandonam Epiſcopi Conſtantinopolitani tres Exarchatus ſibi ſubiecerint? pag.* 395.

## DISSERTATIO VI.

*De Iure Patriarchatus Romani. pag.* 409.

*Caput I. De Suburbicarijs. pag.* 410.

*Caput II. Ruffini expoſitionem de Suburbicarijs, ſi illæ ſumantur pro decem Prouincijs in Notitia expreſſis non conuenire menti Nicænę Synodi. pag.* 416.

*Caput III. Quòd Romanus Epiſcopus ſit Patriarcha totius Occidentis. pag.* 423.

*Caput IV. Quòd Epiſcopus Romanus iura Patriarchalia per totum Occidentem exercuerit. pag.* 436.

*Articulus I. De exercitio iuris Patriarchici Romani in ordinandis Occidentis Metropolitis, & firmandis ſuo iudicio Epiſcoporum electionibus. pag.* 437.

*Articulus II. De exercitio iuris Patriarchici in conuocando ad Synodum totius Occidentis Epiſcopos. pag.* 452.

*Articulus III. De exercitio iuris Patriarchici Romani in Occidentem ex relationibus, & iudicijs de cauſis maioribus. pag.* 469.

*Caput V. Num contra Romanum Epiſcopum creari poſſit alius in Occidente Patriarcha ? & quid ea de re ſentiat Gallicana Eccleſia ? pag* 480.

*Caput VI. Concluſio prædictorum in his poſtremis Diſſertationibus. pag.* 490.

# APPENDIX

## Ad Tomum II.

*Continens antiquas Imperij & Eccleſiæ Notitias ex varijs manuſcriptis Codicibus tum Græcis tum Latinis pro maiori parte nunc primùm editas, & Notis ac Diſſertatione Præuia illuſtratas. pag. 493.*

## DISSERTATIO PRÆVIA.

*De Romani Imperij in Prouincias diuiſione. pag. 495.*


*Caput I. De Italia & Prouincijs contiguis. pag. ead.*

*Caput II. De Africæ Prouincijs. pag. 496.*

*Caput III. De Ægypti Prouincijs. pag. 498.*

*Caput IV. De Orientis Prouincijs. pag. 501.*

*Caput V. De Ponti Prouincijs. pag. 507.*

*Caput VI. De Aſiæ Prouincijs. pag. 510.*

*Caput VII. de Thraciæ Prouincijs. pag. 513.*

*Caput VIII. De Illyrici Prouincijs. pag. 515.*

*Caput IX. De Prouincijs Galliæ. pag. 517.*

*Caput X. De Hiſpaniæ Prouincijs. pag. 519.*

*Caput XI. De Britanniæ Prouincijs. pag. 522.*

# MONVMENTA ET NOTITIÆ.


*I.*

*Dimenſuratio Prouinciarum ex manuſcripto* 220. *annorum Cod. Vat.* 244. *cum Var. lect. ex Cod. Vat.* 247. *pag.* 525.

*I I.*

*Deſcriptio de ſitu locorum ex manuſcripto Cod. Bibliothecæ Reginæ Suecorum modò Vaticano-Alexandrinæ. pag.* 529.

*I I I.*

*Itinerarium Antonini Auguſti ex manuſcripto Codice Bibl. Vatic.* 1833. *longè correctius, quàm hactenus fuit editum, cum varijs lectionibus editionis Lugduni.*

*Itinerarium Prouinciarum Antonini Auguſti. pag.* 569.

*I V.*

*Expoſitio totius mundi, & Gentium edita à Iacobo Gothofredo, græcè & latinè Geneuæ* 1628. *in* 4. *hic latinè tantùm. pag.* 621.

*V.*

*Notitia vtriuſque Imperij Orientalis & Occidentalis Arcadij Honorijque temporibus. pag.* 633.

*V I.*

*Breuis deſcriptio finium ſanctiſſimorum Patriarcharum, & Apoſtolicarum Sedium enumeratio ex manuſcriptis Codicibus Vaticanis* 1167. & 1183. *collatis correctiùs edita, græcè & latinè. pag.* 635.

*V I I.*

*Notitia Prouinciarum & Ciuitatum Galliæ Honorij Auguſti, vt vide-*

*videtur, temporibus condita, cum Gallias in ſeptem Prouincias diſtingui mos erat, ex Iacobi Sirmondi Tomo I. Conciliorum Galliæ. pag. 638.*


*V I I I.*

*De Ciuitatibus Metropoles, vel quales ſub ſe habent ciuitates, ex peruetuſto Codice 238. Bibliothecæ Reginæ Sueciæ modò Vaticano-Alexandrinæ peſſimè temporum iniuria habito, & ante 700. annos ſcripto. pag. 641.*

*I X.*

*Notitia Prouinciarum ex 600. annorum Codice manuſcripto Vaticano num. 1338. pag. 643.*

X.

*Notitia Prouinciarum ex manuſcripto 600. annorum Codice Bibliothecæ Sueciæ Reginæ nunc Vaticano-Alexandrinæ. pag. 649.*

*X I.*

*Notitia Epiſcopatuum Africæ ex primæ diei collatione Carthaginenſi anno 411. habita, ex ijs Epiſcopis, qui interſuerunt. pag. 652.*

*X I I.*

*Nomina Epiſcoporum Catholicorum diuerſarum Prouinciarum, qui Carthaginem ex præcepto regali venerunt pro reddenda ratione fidei die Kalendas Februarias Anno 6. Hunerici Regis. pag. 656.*

*X I I I.*

*Diuiſio Prouinciarum Hiſpaniæ, & earum Sedium ex Codice Hiſpalenſi D. Laurentij, qui anno 962. ſcriptus eſt. pag. 663.*

## *XIV.*

*Sedium Hiſpanienſium numerus, ſeu Metropolium Hiſpanicarum cum Sedibus ſibi ſubiectis, ex Codice manuſcripto literis Gothicis Eccleſiæ Ouetenſis. pag.665.*

## *XV.*

*Diuiſio Prouinciarum Hiſpaniarum ſecundùm Regem Wambam factum tempore Quirici, & Archiepiſcopi Toletani. pag.667.*

## *XVI.*

*Ordo Sedium & Thronorum ſubiectorum Patriarchæ C. P. ex diſpoſitione Leonis Sapientis Imper. gr. lat. ex manuſcripto Codice 848. Bibliothecæ Vatic. pag. 668.*

## *XVII.*

*Ordo Præſidentiæ ſanctiſſimorum Patriarcharum & Sedium aliarum ex eiuſdem Leonis Sapientis diſpoſitione Lat. ex Cod. 1184. Biblioth. Vatic. pag. 672.*

## *XVIII.*

*Notitia Prouinciarum Imperij Orientalis Hieroclis Grammatici Comes peregrinationis Gr. Lat. ex Codice manuſcripto Bibliothecæ Barberinæ, quo continentur Lucæ Holſtenij Geographica, qui hanc Notitiam ex manuſcripto Bibliothecæ Vaticanæ deſcriptam contulit cum alio Codice Altempſiano & correxit. pag.689.*

*Supplementum Hieroclis Grammatici deſumptum ab eodem Luca Holſtenio ex manuſcripto antiquiſſimo Bibliothecæ Farneſianæ. pag. 713.*

## X I X.

*Nili Doxapatrij Archimandritæ Notita Patriarchatuum; ſeu de quinque Patriarchalibus Thronis iuſſu Regis Rogerij Commentarius concinnatus anno mundi iuxta Græcos* 6051. *hoc eſt Chriſti* 1043. *Hic tantum Lat. habetur verſio ex Gr. pag.* 721.

## X X.

*Notitia Antiocheni, & Hieroſolymitani Patriarchatuum longè correctiùs, quàm antea fuerit, edita. Ex* 500. *annorum Codice pergam. manuſcrip. Vatic.* 2002. *vbi Hiſt. Guillelmi Tyrij de bello ſacro. pag.* 738.

## X X I.

*Deſcriptio Parochiæ Hieruſalem. Ex manuſcripto Codice* 196. *Biblioth. Reg. Suec. nunc Vaticano-Alex. ante* 450 *annos conſcripto. pag.* 744.

## X X I I.

*Notitia Eccleſiarum Patriarchalium Vrbis Romæ, & Eccleſiarum Suffraganearum Romani Pontificis edita à Baronio Tomo XI. Annalium ex Vaticano Codice ſacrorum rituum. pag.* 745.

## X X I I I.

*Notitia Eccleſiarum tempore Cæleſtini III. anno* 1225. *conſcripta à viro religioſo, & Milone eius Abbate. Ex Codice* 145. *Vat. collata cum Prouinciali Cod.* 1253. *Bibliothecæ Vaticano-Alexandrino. pag.* 747.

## X X I V.

*Notitia Eccleſiarum Vrbis, & Orbis ante* 350. *annos ſcripta ex manuſcripto Cod. Vatic.* 2923. *coll. cum* 3986. *pag.* 759.

XXV.

*Expoſitio Imperatoris D. Andronici Palæologi Senioris, quem locum nunc teneant Metropoles, quæ Conſtantinopolitano Throno ſubiectæ ſunt. Edita in fine Codini edit. Pariſ. cura P. Iacobi Goar. Gr. lat. pag.* 774.

XXVI.

*Ordo Thronorum Metropolitanorum, quorum aliqui dicuntur Exarchi Hypertimi, alij ſolùm Hypertymi. Gr. lat. ex Codice manuſcrip. Vatic.* 1185. *coll. cum edito à Goare in calce Codini in Hiſt. Byzantina. pag.* 784.

XXVII.

*Status hodiernus Patriarchicus C. P. deſcriptus Conſtantinopoli: ſeu Catalogus Prouinciarum ſeu Metropolium, & Epiſcopatuum Throno C. P. hodie ſubiacentium. Gr. lat. collatus cum Tho. Smith Anglo de ſtatu hodierno Eccleſiæ Græcæ. pag.* 787.

*De* Tabulis Geographicis vide Epiſtolam ad Lectorem.

*Imprimatur.*

Si videbitur Reuer. Patri Sacri Palatij Apoſtolici Mag. Datum Romæ hac die 1. Februarij 1692.

*Stephanus Ioſeph Menattus Epiſcopus Cyrenen. Viceſger.*

# APPROBATIO

ANtiquitatis illuſtratæ Tomum II. ſeu Opus Geographico-Hierarchicum Illuſtriſſimi D. Emmanuelis à Schelſtratte S.T.D. Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe Canonici &c. quod illum titulum præfert, *Antiquitas Eccleſiæ de inſtitutione Eccleſiarum per orbem vniuerſum à Chriſto, & Apoſtolis, ac Apoſtolorum Principe Petro, eiuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus facta, Diſſertationibus, monumentis, ac notis illuſtrata*, ex commiſſione Reuerendiſſimi P. Magiſtri Sac. Pal. Apoſt. F. Thomæ Mariæ Ferrari perlegi: vbi Auctoris præclariſſimi ſolidam doctrinam, eruditionem eximiam, ſtudium in Apoſtolicam Sedem ſincerum, ac modeſtiam in ſcribendo, ſiue heterodoxos, ſiue orthodoxos è recto itinere deuiantes redarguat, quamuis mihi aliàs notam, ſuſpexi, eique plurimos annos ex intimo cordis affectu à ſupremo numine precatus, vt reliquos Tomos in Eccleſiæ Catholicæ ſplendorem, ac doctiorum vtilitatem poſſit complere, votum meum pleniſſimum profero, dignum eſſe hoc opus, quod publicis typis editum omnium manibus peruoluatur. Ita cenſeo Romæ ex Collegio Vrbano de Propaganda Fide hac die 31. Ianuarij 1692.

*Ioannes Paſtritius Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ Doctor, ac in eodem Collegio Theologiæ Polemicæ Lector.*

*Imprimatur.*

Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædic. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.



# DISSERTATIO PRIMA.

## DE LOCIS

# VBI CHRISTVS ET APOSTOLI

## FIDEM PRÆDICARVNT.

VBI Mundi Regiones,in quibus olim Chriſtiana Religio propagata fuit & illuſtriores Eccleſiæ inſtitutæ ſunt , perluſtrandas ſuſceperam , Iudęa in primis occurrit, felix & nobiliſſima Regio , in Mundi medio ſita, vbi fides noſtra ortum habuit , & vnde ad cæteras terrarum partes peruenit . Cum enim Chriſtus in illa prædicauerit, & Apoſtoli ibidem in fundanda Eccleſia diù verſati ſint , antequàm diſtributis ſibi Mundi Prouincijs Euangelium Orbi vniuerſo annuntiarunt ; planum fit & perſpicuum , Iudææ Eccleſiam , quæ Chriſti , & Apoſtolorum prędicatione fundata eſt , licèt non authoritate, tempore tamen primã fuiſſe , proindeque hoc in Opere , quod Eccleſiarũ inſtitutiones complectitur , non immeritò primum locum obtinere . A Iudæa igitur incipientes hac Diſſertatione perquiremus , quibus in locis Chriſtus & Apoſtoli fidem prędicarunt, & quandonam , ac in quas terrarum partes Apoſtoli profecti ſunt , vt de propaganda vbique religione Chriſti mandatum adimplerent .

# CAPVT PRIMVM.

## *De varijs Iudææ nominibus, eiuſque terminis & terræ diuiſionibus.*

1. *Iudææ varia nomina, quorum primum* terra Chanaan *à Chanaano Chami filio, & Noemi nepote obtinuit, eſtque terra, quæ ab Oriente Iordanis ripis, ab Occidente Maris terminis, à meridie Arabiæ regione, à Septentrione Libani montibus terminatur.*

2. *Intra terminos Chanaan terra Philiſtæorum in quinque Satrapias diuiſa, ad littus maritimum ſita erat, cuius incolas Philiſtæos Deus ad exercitium Iudæorum ibidem reliquit, à quibus proindè terra illa ſecundum* Palęſtinæ *nomen accepit.*

3. *Tertiò* terra promiſſionis *vocatus eſt tractus ille, qui citra & trans Iordanem duodecim Tribubus diſtributus fuit, vt ex Ioſepho oſtenditur.*

4. *Quartò* terra Iſraël *vocata eſt ab Iſraële, qui duodecim filios genuit, à quibus totidem Tribus ortum duxerunt: ſuper has autem regnauit Salomon, cuius Regnum Iſraëlis dictum fuit, & quam latiſſimè patuit, & in duodecim Eparchias ab eo diuiſum fuit.*

5. *Quinto* Iudęa *dicta à Iuda, à quo Tribus Iuda, Regnum Iuda, & Iudæa ipſa nomen acceperunt. Iudæa autem Machabæorum temporibus vocata fuit præſertim à Romanis, qui ſub Pompeio bello eidem illato, multas ciuitates antiquis habitatoribus reſtituerunt, alias Syriæ adiunxerunt.*

6. *Iudææ Regnum ſub Auguſto auctum, qui varias regiones & ciuitates ei adiecit, vt Herodi Regi Iudæorum gratificaretur: quo mortuo filij eius tripartitò totum Regnum, ſi tres ciuitates græcanicas excipias, obtinuere, vt ex Ioſepho monſtratur, qui eorum ditiones* Tetrarchias *vocat.*

7. *Harum Tetrarchiarum prima ad Philippum ſpectabat, cuius termini ex Ioſepho illuſtrantur.*

8. *Peræa & Galilæa Herodis Antipæ Tetrarchiam conſtituebant, Galilæç verò fines inueſtigantur.*

9. *Tertia Tetrarchia Archelai fuit, & Samariæ, Iudææ, ac Idumææ regionibus conſtabat, quarum limites adferuntur.*

10. *Tetrarchia Archelai ab Auguſto in Prouinciam redacta, & Syriæ contributa fuit, reliquis Tetrarchias ſuas vſque ad finem vitæ regentibus, quas omnes poſt eorum mortem Agrippa obtinuit.*

11. *Regnante Claudio, Agrippa è vita decedit, & Iudææ regiones in Prouinciam redactæ per Procuratores reguntur, qui ad Præſides Syriæ referebant.*

1. ANtequàm perquiramus, in quibus Iudæę locis Chriſtus & Apoſtoli prædicarunt, præmittenda ſunt nonnulla de varijs terræ illius nominibus, eiuſque terminis, & diuiſionibus. Iudæa enim non vno, ſed pluribus nominibus olim inſignita fuit: alio namque vocabulo terra Chanaan, alio Palęſtina, alio terra promiſſionis, alio terra Iſraël, alio terra Iudęæ nuncupabatur. Ac primò quidem nomen terræ Chanaan à Chanaano Chami filio & Noëmi nepote obtinuit totus ille terrarum tractus, qui inter Sidonem, Gazam, Sodomam, & Leſam interiacet, tradente Moyſe Geneſeos 10. cap. *Factique ſunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram vſque Gazam, donec ingrediaris Sodomam, & Gomorrham, & Adamam, & Seboim vſque Leſa.* Sidon, cuius primo loco Scriptura meminit, eſt ciuitas maritima Phœniciæ, & ab illa per littus maritimum terra Chanaan vſque ad Gazam, quam ſecundo loco commemorat, fines ſuos occiduos proferebat: à Gaza

per

per Geraram ad Sodomam auſtrales fines: Sodoma autem, aliæque ciuitates, quas tertio loco adiungit, ſitæ erant ad Iordanis ripas in Pentapoli, quam Deus ob peccatum peſſimum euertit, excepta vna ex quinque ciuitatibus, cui ad Lothi interceſſionem Deus pepercit: vnde Moyſes Deuteronomij cap. 29. verſu 23: tantùm quatuor Pentapolis ciuitates enumerat, adducens exemplum ſubuerſionis *Sodomæ, & Gomorrhæ, Adamæ, & Seboim, quas ſubuertit Dominus in ira & furore ſuo*. Has igitur ciuitates, antequàm ſub Mari mortuo ſepultæ eſſent, inter terminos terræ Chanaan Moyſes Geneſeos 10. cap. aſſignauerat, quibus ſi Leſam, ſiue, quod idem eſt, Lais ſeu Dan ciuitatem fonti Iordanis proximam adiungas, habebis limitem orientalem, & à Leſa ad Sidonem fines boreales, atque ita quatuor limites, per quos Scriptura terram Chanaan deſignat Geneſ. 10. & Deuteron. 11. vti etiam Numerorum 34. vbi terræ Chanaan limes Occidentalis Mare mediterraneum ſtatuitur, quod ibi *magnum* vocatur: Septentrionalis mons Libani, qui ibidem *altiſſimus* dicitur: Orientalis Iordanis fluuius à fonte eius vſque ad Mare mortuum, quod eodem loco *ſalſiſſimum* nuncupatur: meridionalis demùm à mari mortuo vſque ad Torrentem, qui alibi Fluuius Aegypti nominatur; quamuìs Deut. c. 11. limes iſte appelletur *Deſerti*, ſcilicet illius, vnde Arabia incipiebat.

2. Porrò ex Numer. c. 34. vbi terminus meridionalis terræ Chanaan ſtatuitur Torrens Aegypti, patet omninò, Geraram & Gazam, quæ intrà terminum illum ſitæ erant, fuiſſe partem terræ Chanaan; idque etiamſi eſſent ciuitates Philiſtæorum: de Gerara enim refert Moyſes Geneſeos cap. 26. quòd eam Abimelech Rex Palæſtinorum inhabitauerit temporibus Iſaaci Abrahami filij. Exorta enim fame, inquit Moyſes, *abijt Iſaac ad Abimelech Regem Palæſtinorum in Gerara*. Gerara igitur ad Philiſtæos ſpectabat, ſicut & Gaza, cuius Regulum Scriptura Ioſue 13. cap. inter Regulos Philiſtæorum numerat: *Terra Chanaan*, inquit, *quæ in quinque Regulos Philiſthijm diuiditur, Gazæos, & Azotios, Aſcalonitas, Gethæos, & Accaronitas*. Vbi notandum eſt, Philiſtæos partem terræ Chanaan inhabitaſſe, eoſque ſub quinque Regulis conſtitutos fuiſſe, quos Scriptura Iudicum cap. 3. *quinque Satrapas Philiſtinorum* vocat, vnde quinque Satrapiæ, id eſt quinque Prouinciæ Philiſtæorum dictæ ſunt 1. Regum, cap. 6. Porrò Philiſtæi has Prouincias inhabitantes fuerunt populi fortiſſimi, quos Deus in terra Chanaan longo tempore reliquit ad exercitium Iudæorum, ſiue vt loquitur Scriptura libro Iudicum, cap. 3. *vt erudiret in eis Iſraëlem, & omnes, qui non*

*nouerant bella Chananæorum*. Quocircà mirũ non eſt, quòd perpetuò bella cum Iudæis geſſerint, quæ in libris Iudicum, & Regum deſcribuntur: comminante quandoque Deo per Prophetas Philiſtæorum ruinam, quam Ezechiel cap. 25. his verbis prædixit: *Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd fecerunt Palæſtini vindictam, & vlti ſe ſunt toto animo interficientes, & implentes inimicitias veteres; proptereà hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego extendam manum meam ſuper Palæſtinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis*. Poſſemus autem tempora aſſignare, quando Deus manum ſuam in Philiſtæos extendit, ſi veteres illarum gentium Annales vſque ad nos perueniſſent; his tamen deficientibus, ex libris ſacris memoria repetendum eſt, quod lib. 1. Machabæorum, cap. 5. de Iuda Machabæo dicitur: *Declinauit in Azotum in terram alienigenarum* (ſic ibi Philiſtæi vocantur) *& diruit aras eorum, & ſculptilia Deorum ipſorum ſuccendit igni, & cœpit ſpolia ciuitatum, & reuerſus eſt in terram Iuda*. Et c. 10. de Ionatha: *Et ſuccendit Azotum, & ciuitates, quæ erant in circuitu eius, & accepit ſpolia eorum* ..... Et infrà: *Et mouit inde Ionathas caſtra, & applicuit ea Aſcalonem: & exierunt de ciuitate obuiam illi in magna gloria, & reuerſus eſt Ionathas in Ieruſalem cum ſuis habentibus ſpolia multa*. Quibus locis traditur, Machabæos quidem inuaſiſſe ciuitates Philiſtæorum, & quaſdam eorum igni ſuccendiſſe, at Aſcalonem intactam reliquiſſe. Quamobrem dum Romani bellum Iudæis inferre cœperunt, Azotus antiquis habitatoribus reſtituta fuiſſe dicitur; nihil verò de Aſcalone legitur, quia Aſcalon penès antiquos habitatores permanſerat, à quibus alijſque Philiſtæis tota terra Chanaan nouiſſimis Romanorum temporibus alterum Palæſtinæ nomen accepit, quod corruptum vocabulum eſt à Philiſtæis deriuatum, vt D. Hieronymus in quæſt. ſuper Geneſim ad verbum *Chaſluim*, quod cap. 10. verſu 14. legitur, adnotat his verbis: *Chaſluim, qui deinceps Philiſtijm appellati ſunt, quos nos corruptè Palæſtinos dicimus*.

3. Porrò antequàm terra Chanaan Palæſtinæ nomen obtinuit, *Terra promiſſionis* vocata eſt à repetita ſæpiùs Dei promiſſione ſemini Abrahæ facta, quæ promiſſio legitur inter alia Geneſeos 15. vbi Deus loquens ad Abraham: *Semini tuo*, inquit, *dabo terram hanc à fluuio Aegypti vſque ad fluuium magnum Euphratem*. Quo loco duo termini aſſignantur, Euphrates, & fluuius Aegypti; terra autem illis interiacens ſemini Abrahæ promiſſa Terram promiſſionis conſtituit, quæ in duas partes diuidebatur, quarum altera à fluuio

Aegy-

Aegypti vſque ad Iordanem protendebatur, & totam terram Chanaan comprehendebat; altera à Iordane vſque ad Euphratem pertingebat. Has duas partes filij Iſraël in duodecim Tribus diuiſerunt, manentibus trans Iordanem in terra verſus Euphratem Tribubus Ruben, & Gad, ac dimidia Tribu Manaſſis; reliquis autem Tribubus eis Iordanem profectis in terram Chanaan. Quarum Tribuum diuiſionem Scriptura exhibet Ioſue 13. cap. & ſequentibus, ac nouiſſimis his temporibus Charta Geographica illuſtrauit Philippus de la Rue, qui Gazam, & Aſcalonem in Tribu Symeonis collocat: qua tamen in re Charta ipſius correctione indiget, ſi Ioſephum ſequi velimus, qui libro 5. Antiquitat. cap. 1. limites Tribuũ his verbis deſcribit. *Cumque ad ſortes ventum eſſet, Tribui Iudæ obuenit tota ſuperior Iudæa pertinens vſque Hieroſolyma: latitudo verò eius Sodomiticum lacum attingebat, in hac ſorte vrbes erant Aſcalon, & Gaza. Secundo loco Symeonis ſortita eſt Idumææ partem Aegypto, & Arabiæ conterminam. Beniamitæ deindè regionem ſortiti ſunt, quæ à Iordane amne vſque mare protenditur: latitudo verò eius patet Hieroſolyma inter & Bethela: anguſtiſſima autem hæc ſors fuit, propter agri bonitatem; Hieroſolyma enim, & Hiericbuntem acceperunt. Ephrami autem Tribus terram à Iordane vſque Gadara in longum protenſam ſortita eſt, in latum patentem à Bethelis vſque Magnum campum. Manaſſetidis item dimidia pars agrum à Iordane vſque Dora vrbem; latitudine vſque Bethſana, quæ nunc Scythopolis vocatur. Poſt hos Iſſacharis in longum patentem à flumine vſque Carmelum montem; latitudinis verò mons Itabyrius fuit terminus. Zabulonitæ vſque Geneſaritem lacum terram Carmelo & mari contiguam ſunt ſortiti. Quæ autem regio poſt Carmelum ſita eſt, conuallis ex re nomen habens tota Aſeritis ceſſit, quà ad Sidonem eſt obuerſa. In hac portione fuit vrbs Arce, alio nomine Actipus. Quæ verò ad Orientem ſpectant vſque Damaſcum vrbem, & ſuperior Galilæa Nephthalitis obtigit, vſque Libani montem, & Iordanis fontes, qui ex hoc monte oriuntur, qua fines ſunt Arces vrbis verſus Septentriones ſitæ. Porrò Danitæ adepti ſunt, quicquid vallis ad occidentem ſolem vergit, Azoto & Doris terminati. Horum eſt Iamnia, & Gitta, & totus ager, qui ab Accarone pertingit vſque montem, à quo Iudæ Tribus initium fecit.*

4. Atque huic terræ promiſſæ diuiſioni in duodecim Tribus factæ ſucceſſit alia in duodecim Eparchias, in quas Salomon lib. 3. Regum, cap. 4. Regnum ſuum diuiſiſſe perhibetur his verbis: *Habebat autem Rex Salomon duo-*

*duodecim Præfectos ſuper omnem Iſraël*. Vbi terra Iudæorum ſub nomine *Iſraëlis* ſignificatur, quod nomen ab Iſraële Iſaaci filio & Abrahami nepote obtinuit, vtpotè qui duodecim filios genuit, Ruben, Symeonem, Leui, Iudam, Dan, Nephtalim, Gad, Aſer, Iſſachar, Zabulon, Ioſephum, & Beniamin. E quibus excluſo Leui, ſi Ioſephi loco ponas Ephraim & Manaſſen eius filios, quos Iacob Geneſeos 48. ſibi adoptauit, habebis duodecim filios Iacobi ſiue Iſraëlis, ex quibus duodecim Tribus ortæ ſunt, quæ regnum Iſraelis ſub Salomone conſtituebant, ſub quo quàm latiſſimè terra Hebræorum patuit. Vt enim lib. 3. Regum, cap. 9. v. 20. Scriptura teſtatur, filios Amorrhæorum, Hethæorum, Pherezæorum, Heuæorum & Iebuſæorum, *quos non potuerant filij Iſraël exterminare*, *fecit Salomon tributarios*. Et ciuitates ac vicos in ómni terra poteſtatis ſuæ muniuit, ædificauitque, & inter cæteras vrbes *Palmiram in terra ſolitudinis*, vt eodem capite, verſu 18. Scriptura refert. Erat autem Palmira vrbs ſolitudinis Euphrati proxima, ſcribente Ioſepho lib. 8. antiq. cap. 2. quòd Salomon *ingreſſus in deſertum, quod eſt ſuper Syriam, eiuſque regionis potitus, vrbem ibi maximam condidit duorum dierum itinere à ſuperiore Syria diſtantem, ab Euphrate verò vnius: ad magnam autem Babylonem inde ſex dierum via protendebatur. Quarè à reliquis cultæ Syriæ partibus hæc vrbs tam procul habitetur, cauſa eſt hæc, quòd mediterranea per deſertum petentibus, ibi demùm fontes ac putei reperiuntur. Hac igitur vrbe extructa, & mœnibus validiſſimis cincta, Tadamoram eam appellauit, quo nomine etiam nunc à Syris vocitatur; Græci Palmiram nominant*. Ex quibus Ioſephi verbis facilè colligimus, terram Iudæorum tempore Salomonis vſque ad Euphratem ſeſe extendiſſe, quod Scriptura lib. 3. Regum, cap. 4. verſu 24. teſtatur, dum refert, quòd *Salomon obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, à Taſpha vſque ad Gazam*. Taſpha enim ad ripam Euphratis ſita erat.

5. Demùm terra Hebræorum *Iudæa* dicta fuit à Iuda vno ex duodecim Iacobi filijs, à quo primum Tribus Iuda, deinde Regnum Iuda, ac demùm Iudæa ipſa nomen acceperunt, quę tria omninò diſtinguenda ſunt. Terra enim Tribus Iudæ ſtrictioribus illis limitibus continebatur, quos ex Ioſepho ſuprà aſſignauimus: Regnum verò Iudæ latioribus patebat à morte Salomonis, quando Regno Hebræorum inter Roboamum & Ieroboamum diuiſo, Regnum Iudæ terram duarum Tribuum Iudæ & Beniamin complectebatur, reliquæ verò decem Tribus Regnum Iſraëlis con-

conſtituebant, vt libro 3. Regum, cap. 12. exhibetur. Iudæa denique latiſſimè patens totā Hebręorum terram comprehendebat. Sic enim terram iſtam Romani vocarunt ab illis temporibus, quibus cum Machabæis fœdus inierunt, quod libro 1. Machabæorum, cap. 8. refertur. Vndè Strabo lib. 16. affirmat, quòd *terra mediterranea vltra* Phœniciam *vſque in Arabes inter Gazam & Antilibanum Iudæa nominetur*. Hoc autem nomen terra illa retinuit, poſtquàm à Romanis tributaria facta eſt, quod ſub Pompeio contigit, qui Iudæorum regimini plures ciuitates ademit, & vel antiquis habitatoribus ſuis reſtituit, vel Syriæ Romanorum Prouinciæ contribuit, vt Ioſephus lib. 14. antiq. Iudaïcarum, cap. 8. affirmat: *Pompeius*, inquit, *Hieroſolyma quidem Populo Romano fecit ſtipendiaria, Vrbes verò, quas eorum ciues ſibi ſubiugauerant in CœleSyria ademptas illis iuſſit proprio parere Præſidi, & totam gentem priùs elatam rebus proſperis contraxit intra veteres terminos. Gadara deindè paulò ante diruptà inſtaurauit in gratiam liberti ſui Gadarenſis Demetrij: reliquas verò Hippon, Scythopolim, Pellam, Dion, Samariam, Mariſſam, Azotum, Iamniam, Arethuſam ſuis reſtituit babitatoribus, eaſque in mediterraneis, præter varijs bellis dirutas. Maritimas verò Gazam, Ioppen, Dora, Stratonis turrim, quæ ab Herode magnificè condita, & portubus, atque templis exornata, Cæſarea mutato nomine appellata eſt, has omnes Pompeius liberas eſſe iuſſas Prouinciæ contribuit.* Inter ciuitates, quas à Iudæis abſtulit Pompeius, & antiquis habitatoribus ab eo reſtitutas fuiſſe ſcribit Ioſephus, enumeratur Azotus, de qua ciuitate egimus ſuprà: inter alias verò, quas Prouinciæ Syriæ contribuit, Stratonis turris recenſetur, quæ tamen non ſemper à Iudæa auulſa fuit, quandoquidem Herodes Iudæorum Rex ciuitatem illam magnificè condidiſſe, portubus atque templis exornaſſe, eamque à nomine Cæſaris Cæſaream vocaſſe feratur: quod certè numquam Herodes feciſſet, niſi ciuitatem illam ſub dominio ſuo habuiſſet.

6. Quamuis igitur Pompeius, qui teſte Tacito lib. 5. Hiſtoriarum, cap. 9. *Romanorum primus* Iudęos *domuit*, nonnullas eorum ciuitates Syriæ contribuerit; non ijdem tamen Prouinciæ Syrię termini permanſerunt; nam eodem Tacito referente: *Poſtquàm in deditionem Marci Antonij Prouinciæ ceſſerunt ..... rursùm Iudæos C. Soſius ſubegit, & Regnum ab Antonio Herodi datum victor Auguſtus auxit.* Quibuſnam ciuitatibus Auguſtus Regnum Herodis auxerit, non memorat Tacitus, narrat tamen Ioſephus lib. 1. belli

li, cap. 15. vbi Herodem Cæſari Auguſto in Aegyptum proficiſcenti non ſolùm adhæſiſſe, ſed & tanta copia de omnibus, quæ Cęſaris exercitui neceſſaria erant, proſpexiſſe refert, vt *pro his meritis paruum eſſe Herodis Regnū tam Cæſar, quam milites exiſtimarent; ideòque* Cæſar *non ſolum cæteros eius honores auxerit, verùm etiam Regno partem finium addiderit, quam Cleopatra dempſerat. Et prætereà Gadara, Hippon, Samariam, maritimarumque inſuper ciuitatum Gazam, & Anthedonem, & Ioppen, & Pyrgum Stratonis .... donauit .... Poſt primam verò Actiada etiam regionem, quæ Trachon vocatur, eius ditioni ſubdidit, eique continentem Batanęam, itemque Auranitim.* Addit demùm, quòd poſt mortem Zenodori, domus Lyſaniæ conductoris, *terram omnem, quæ inter Trachonem, & Galilæam erat, eidem attribuit.* Habes hìc regiones, & ciuitates, quibus Auguſtus Regnum Herodis auxit, quodque poſt mortem Herodis eius filijs donauit, exceptis tribus ciuitatibus: *Nam*, inquit Ioſephus libro 17. antiquitatum, capite 13. *Gazam, Gadara, & Hippon græcanici inſtituti vrbes Cæſar ob id ſeparatas à Regni terminis Syriæ contribuit.* Poſt mortem itaque Herodis, inquit Tacitus loco ſuperiùs citato, *liberi eius tripartitò rexere.* Liberos autem Herodis nominat Ioſephus Archelaum, Herodem Antipam, & Philippum, quos Tetrarchas ab Auguſto ſuper Iudęam conſtitutos ſcribit lib. antiq. 17. cap. 13. idque diuiſis fermè inter eos Iudææ regionibus, prout Herodes teſtamento conſtituerat. Cum enim Herodes morti proximus eſſet, *mutata voluntate mutauit etiam teſtamentum*, inquit Ioſephus lib. 17. cap. 10. *Antipam enim, quem prioribus tabulis Regni ſucceſſorem deſtinauerat, Galilææ ſimul, ac Peręæ Tetrarcham conſtituit. Regnum verò Archelao largitus; Trachoniticam, Gauloniticam, Batanęam, & Paneada regiones Tetrarchiæ nomine aſſignauit Philippo filio, germano fratri Archelai: Iamniam autem, Azotum, & Phaſaëlida Salomæ ſorori ſuæ attribuit, & argenti ſignati quingenta millia. Cæſar autem*, pergit Ioſephus cap. 13. *auditis* Antipa, & Archelao, *Archelaum non Regem declarat, ſed dimidia parte ditionis, quæ Herodis fuerat, ei conceſſa, Ethnarcham eum conſtituit: Regnum quoquè pollicitus, quamprimùm ille ſe tali honore dignum redderet. Huic tranſamnana regio ceſſit cum Galilęa, & ducenta talenta annua. Batanęa verò cum Trachonitide, & Auranitis cum parte quadam Zenodori (vt vocant) domus obtigit Philippo, & centum talenta annui redditus; Archelao verò Iudæa & Idumæa, præterque has Samaria, cui*

*ex authoritate Cæſaris tributorum quarta pars remiſſa eſt, eò quòd cæteris tumultuantibus ſoli quieti manſerant in officio. In eius ditione comprehendebantur vrbes, Stratonis turris, Sebaſte, Ioppe, Hieroſolyma. Nam Gazam, Gadara, & Hippon, græcanici inſtituti vrbes, Cæſar ob id ſeparatas à Regni terminis Syriæ contribuit. DC autem talenta quotannis redibant è ſua ditione ad Archelaum. Atque hoc fuit Herodis filiorum patrimonium.*

7. Præclara ſunt hęc Ioſephi teſtimonia de Tetrarchijs filiorum Herodis, quarum termini accuratè examinandi ſunt; ac primò quidem ditionis Philippi, quam vltra Iordanem poſitam à monte Libano, & Hermon ad vltimas maris Tiberiadis oras pertigiſſe, auctor eſt Ioſephus lib. 3. de bello Iudaico, cap. 2. ſcribens: *Gamalitica, & Gaulanitis, & Batanæa, & Trachonitis: quæ etiam Regni Agrippæ partes ſunt. Eadem verò terra incipiens à monte Libano, & fontibus Iordanis, vſque ad Tiberiadi proximum lacum latitudine panditur; à vico autem, qui appellatur Arphas, ad Iuliada oppidum longitudine tendit, & habitatur ab incolis Iudæis, Syrisque permixtis.* Trans Iordanem igitur poſita erat Tetrarchia Philippi, cuius termini ab aquilone Libani, & Hermonij montes; à meridie non quidem Iturça inter mare Tiberiadis, & mare mortuum, vt charta geographica à Iacobo Cantelio edita, ſed Regio Peræę à mari Tiberiadis ad mare mortuum protenſa, vt charta à Sampſone Pariſijs excuſa demonſtrat. Peræa enim eſt Regio illa, quæ trans Iordanem poſita ad Tetrarchiam Herodis Antipę ſpectabat, quam Ioſephus his verbis deſcribit ibidem: *Peræa longitudo eſt à Macherunte in Pellam, latitudo verò à Philadelphia vſq; ad Iordanem. Et Pella quidem, quam ſuprà diximus, ſeptentrionalis eius eſt tractus; occiduus verò Iordanis; meridianum autem Moabitis regio terminat; ab oriente autem Arabia, & Silbonitide, nec non & Philadelphia, itemque Geraſis clauditur.* Pella vltimis maris Galilæi oris reſpondet, & cum ab his ſeptentrionalis eius tractus partibus Peræa vſque ad Moabitidem regionem ſe extendat, Ituræa inter Pellam & Peræam Galilęæ trans Iordanem fluuium regionem media eſſe non poterat, ſed totus ille tractus vltra Iordanem, quem Tribus Ruben, & Gad, ac dimidia Tribus Manaſſis poſſidebant, partim ad Philippum, partim ad Herodem Antipam pertinebat, ad quem vltimum ſpectauit quoquè Galilęa cis Iordanem poſita, de qua nonnulla alia obſeruatu digna occurrunt.

8. De Galilęa autem Plinius lib. 5. cap. 14. affirmat: *Pars Iudææ Syriæ iuncta, Galilæa, vocatur.* Neq; nomen Galilæę nouum

eſt, nam Ioſue capite 13. verſu 2. *omnis Galilæa* in terra Iſraël collocatur: & libro 3. Regum, cap. 9. *Dedit Salomon Hiram (*Regi Tyri*) viginti oppida in terra Galilææ; & egreſſus eſt Hiram de Tyro, vt videret oppida, quæ dederat ei Salomon*. Ex quo loco non modò colligimus, Galilæç nomen iam inde à Salomonis temporibus regioni illi inditum fuiſſe, ſed etiam Tyrum maritimum Phœniciæ oppidum extra Galilæç terminos extitiſſe, indeque Ioſephum intelligi poſſe, qui terrā Tyriorum à Galilæa diſcernit, & montem Carmeli, quem Galilęorum aliquando fuiſſe affirmat, ſuo tempore ad Tyrios ſpectaſſe aſſerit. Audiendus proinde Ioſephus, qui libro 3. de bello Iudaico, cap. 2. ita Galilæç limites deſignat: *Duæ autem ſunt Galilææ, quæ ſuperior, & inferior appellantur, eaſque Phœnice, & Syria cingunt. Diſcernit verò ab occidente Ptolemais territorij ſui finibus, & quondam Galilæorum, nunc autem Tyriorum mons Carmelus; cui coniuncta eſt Gaba ciuitas Equitum, quæ ſic appellatur, eò quòd Equites ab Herode Rege dimiſſi, coloni eò deducebantur. A meridie autem Samaritis, & Scythopolis vſque ad flumen Iordanem. Ab oriente verò Hippene, & Gadaris, ſed & Gaulanitidis definit: qui etiam Regni Agrippæ fines ſunt. Septentrionalis autem eius tractus Tyro, itemque Tyriorum finibus terminatur. Inferioris quidem Galilææ longitudo à Tiberiade vſque ad Zabulon, cui vicina eſt in locis maritimis Ptolemais, protenditur. Latitudine autem patet à vico Xaloth, qui in magno campo ſitus eſt, vſque ad Berſaben; vndè etiam ſuperioris Galilææ latitudo incipit, vſque ad Bacam vicum, qui terram dirimit Tyriorum. Longitudo verò eius à Thella vico Iordani proximo vſque ad Meroth extenditur.* Hæc Ioſephus de Galilæa, *in qua*, inquit, *ciuitates crebræ ſunt, & vbique multitudo vicorum propter opulentiam populoſa, vt qui ſit minimus, ſupra quindecim millia colonorum habeat*. Quamobrèm tam magnitudine, quàm opulentia, & hominum multitudine Galilæam cæteris Iudæç regionibus præſtitiſſe, quiſque facilè iudicabit, qui memoria repetet, tot clari nominis vrbes in ea olim fuiſſe, quot Scriptura in veteri Teſtamento commemorat, ex quibus Chriſti temporibus ſuperfuerunt Nazareth, Cana, Naim, Capharnaum, Betzaida, aliæque.

9. Perluſtratis duarum Tetrarchiarum regionibus, reſtat tertia, quæ ad Archelaum ſpectauit, & Samariæ, Iudęæ, ac Idumææ regionibus conſtitit. Porrò Samarienſis regio Iudęæ contermina, Phœniciæ, & Galilçæ iungitur: vnde Ioſephus libro 3. de bello Iudaico, capite 2.

Sa-

*Samarienſis autem regio inter Iudæam quidem, & Galilæam ſita eſt. Incipiens enim à vico in planicie poſito, cui nomen eſt Ginæa, in Acrabatenam deſinit Toparchiam: ſed natura nihil à Iudæa diſcrepat, nam vtraque montoſæ ſunt, & campeſtres, agriſque colendis molles, atque optimæ, necnon & arboribus plenæ.* Et infrà: *Harum confinium eſt Anuath vicus, qui etiam Borceos appellatur, Iudææ limes à ſeptentrione. Meridiana verò pars eius, ſi in longitudinem metiare, adiacenti vico Arabum finibus terminatur, cui nomen eſt Taria. Latitudo ſanè à Iordane flumine vſq; ad Ioppem explicatur. Media verò eius eſt Hieroſolyma: vnde quidam non ſine ratione vmbilicum eius terræ eam vrbem vocauerunt. Sed nec marinis quidem Iudæa delicijs caret, ad Ptolemaidem vſque locis extenta maritimis.* Hæc de Samaria, & Iudæa Ioſephus, omittens Idumęam, quæ Iudęę contermina erat, infelix regio, & vix in nouo Teſtamento memorata: vnde & nos eam hoc loco omittendam potiùs, quàm deſcribendam cenſemus. Porrò regionis Iudæę vrbes recenſere ſuperuacaneum exiſtimo, cum notæ ſint ex ſacris litteris Iericho, Ioppe, Lydda, Aſcalon, Bethleem, Rama, & alię, quas omnes poſt mortem Herodis Archelaus Ethnarchiæ titulo obtinuit, accuſatus verò apud Auguſtum à Samaritanorum, & Iudæorum primoribus decimo poſt mortem Herodis anno amiſit. Ipſo namque Viennam Galliæ in exilium miſſo, eius patrimonium & theſauri fiſco adiudicata ſunt; regiones verò in prouincię formam redactæ, & Syriæ attributæ, vt ex Ioſepho patet, qui libro 18. cap. 1. narrat, Quirinum à Cæſare in Syriam miſſum, in Iudęam veniſſe, *iam attributam prouinciæ Syriæ.* Et lib. 2. de bello Iudaico, cap. 8. à Tiberio ſubinde miſſum eſſe Pilatum: *Miſſus autem à Tiberio in Iudæam Pilatus, curandam regionem accepit.*

10. Quamuis autem Archelai Tetrarchia, iam inde ab Auguſti temporibus in prouinciam redacta fuerit, non obinde tamen duo alij Tetrarchæ Herodes Antipas, & Philippus Tetrarchijs ſuis orbati fuerunt, ſed eas vſque ad finem vitæ rexerunt. *Archelai Ethnarchia*, inquit Ioſephus libro 2. de bello Iudaico, cap. 8. *in prouinciam redacta, reliqui, id eſt Philippus, & Herodes, qui cognominabatur Antipas, Tetrarchias ſuas regebant ..... Hic quidem iuxta fontes ipſos, è quibus Iordanis flumen exoritur, in Paneade condidit ciuitatem, quam Cæſaream vocauit, aliamque in inferiore Gaulanitide, quam Iuliadem nominauit. Herodes verò in Galilæa Tiberiadem, in Peræa autem cognominem Iuliæ.* Cæſarea, cuius hoc loco meminit Ioſephus, eſt Cæ-

ſarea Philippi, vt in Scripturis vocatur; Tiberias verò lacui illi adiacet, qui nomen maris Tiberiadis à ciuitate illa in honorem Tiberij ab Herode Antipa ædificata obtinuit, cuius frequens mentio in Euangelijs occurrit. Porrò cum poſt mortem Tiberij Caius Caligula orbem Romanum gubernandum ſuſcepiſſet, Agrippæ Ariſtobuli filio Romæ exiſtenti Tetrarchiam Philippi tradidit. *Succedens in Imperium Caius Cæſar*, inquit Ioſephus loco citato, *abſoluit Agrippam vinculis* (eum enim Tiberius in carcerem coniecerat) *& Tetrarchiam Philippi (iam enim is deceſſerat) ei tradidit, Regemque appellauit*. Huic autem & idem Caius Herodis Tetrarchiam paulò poſt conceſſit. Cum enim Herodes Antipas anno Ethnarchiæ ſuæ 42. comperiſſet, Agrippam ex priuato Regem effectum, Regij nominis obtinendi ſtudio Romam cum vxore ſua peruenit. *Herodes*, inquit ibidem Ioſephus, *venit ad Caium, à quo ob auaritiam vehementer increpitus ad Hiſpaniam fugit; ſecutus eum quippe fuerat accuſator Agrippa, cui etiam Tetrarchiam illius Caius Cæſar adiecit*. Et mortuo Caio, cum Agrippa Romam rediſſet ſub Claudio, eique ad obtinendum à Senatu, & militibus imperio, ope & conſilio aſtitiſſet, *Agrippam*, inquit Ioſephus libro 2. cap. 10. *protinùs donat Regno paterno vniuerſo, adijciens ei etiam illam, quam Auguſtus Herodi donauerat, Trachonitidem ſcilicet, & Auranitidem: præter hæc autem aliud quoquè Regnum, quod Lyſaniæ vocabatur. Et populo quidem donationem hanc per edictum indicauit, Patribus autem præcepit, vt inciſum æreis tabulis in Capitolio collocarent*. Ex quo Ioſephi loco conſtat, non modò Tetrarchiam Herodis Antipæ, ſed omnes quoquè regiones Iudææ, Samariæ, & Idumææ, quas Auguſtus in prouinciæ formam redegerat, iam inde ab Herodis magni obitu iterum poteſtati Iudęorum ſubiectas, Regi ipſorum Agrippæ paruiſſe, cuius mentio fit in Actibus Apoſtolorum ſub Herodis nomine: capite enim 13. Herodes, qui Iacobum gladio interemiſſe, & Petrum in carcerem conieciſſe fertur, eſt hic Herodes Agrippa: Cęſareę autem deceſſit conſumptus à vermibus, vt ibidem Scriptura narrat, cui concinit Ioſephus, qui de eo refert, tantùm tribus annis regnaſſe ſuper vniuerſam Iudæam, cumque muris Ieroſolymam circumdare cœpiſſet, *Deceſſit in Cæſarea*, inquit, *relinquens filium nomine Agrippam, qui cum admodùm paruulus eſſet, Claudius Regnum in prouinciam redegit, in cuius procurationem miſſus eſt Ceſtius Feſtus; poſt hunc autem Tiberius Alexander: qui nihil de conſuetudine patria immutantes gentem*

*in pace tenuerunt*. Hactenùs Ioſephus loco citato.

11. Sub Imperio igitur Claudij Iudæa, Samaria, Galilæa, aliæque regiones trans Iordanem poſitę, quę nunc Tetrarchis, nunc Regibus Iudęorum paruerant, in prouincię formam redactæ ſunt à Romanis, quę ſub Cumano Iudeæ curam poſt Alexandrum obtinente tumultuari cœperunt. Hunc autem ſubſequutus eſt Feſtus, quo Iudæam curante cum Agrippa Regis Agrippæ filius primùm Chalcidis, poſteà Trachonitidis, Batanęę, & Gaulanitidis, aliarumque regionum trans Iordanem ſitarum Regnum à Claudio obtinuiſſet, Nero illi quatuor vrbes addidit: *In Peræa ſcilicet regione Abilam, & Iuliadem, in Galilæa autem Taricheam, & Tiberiadem; reliqua autem Iudææ Felici procuranda dedit*. Hęc Ioſephus lib. 2. de bello Iudaico, cap. 12. qui alios Iudęę Procuratores commemorat Albinum, & Florum, quos à Syrię Pręſide hac ratione diſtinguit, quòd huic ſubordinati eſſent, vnde libro 2. cap. 13. *Donec autem in Syria Ceſtius Gallus prouinciam regebat, neque auſus quiſpiam Iudæorum eſt, aduersùs Florum ad eum mittere legatos*. Ex quo loco patet clariſſimè, vti priùs, ita & nunc Iudęæ, Samariæ, & Galilęæ regiones contributas fuiſſe prouincię Syrię, cuius metropolis erat Antiochia, in qua Pręſides reſidere ſolebant, ſicuti & Procuratores Iudęę in Ciuitate maritima Cęſarea. Quarè Ioſephus libro 2. cap. 15. affirmat, quòd Florus *Cæſaream reuerſus ſit*, & cap. 16. ex Cęſarea *retulerit ad Ceſtium* Antiochiæ commorantem, *& Iudæos defectionis criminatus ſit*. Ob hanc verò defectionem, alioſque gentis illius tumultus miſſo per Neronem Veſpaſiano Iudęa armis Romanis oppugnari cœpta eſt. Subſtituto autem in Neronis locum Veſpaſiano, Titus eius filius tantam Iudæis cladem intulit, tantaque vi, & fortitudine Ieroſolymam oppugnauit, vt vrbem illã ſecundo Veſpaſiani anno ceperit, & excidium illius à Chriſto Domino prædictum executus non reliquerit lapidem ſupra lapidem, fatente Ioſepho libro 7. cap. 18. ita dirutam, & ſolo æquatam fuiſſe, *vt qui ad eam acceſſiſſent, habitatam aliquando eſſe, vix crederent*. Et *ita quidem*, inquit ibidem Ioſephus, *Hieroſolyma capta eſt ſecundo anno principatus Veſpaſiani, Septembris menſis octauo die*. Poſt cuius excidium Hebræi quidem Hierichuntem pro metropoli aliquamdiù habuerunt, vt teſtatur Solinus in Polyhiſtore; at Romani Cæſaream regionis illius caput ſtatuerunt, quæ & Palęſtinæ metropolis euaſit, vt ſuo loco videbimus, vbi de prouinciarum diuiſione agemus.

# CAPVT SECVNDVM.

## *Quomodo Iudæa in Tetrarchias diuiſa fuerit, quando Chriſtus in ea fidem prædicare cœpit.*

*1. Quæ ex antiquis hiſtoricis de Iudææ Tetrarchis dicta ſunt, ex Scriptura comprobantur. Quòd autem Herodes Regnum Iudææ obtinebat tempore natiuitatis Chriſti, Matthæus in Euangelio teſtatur; & terræ Iuda, ac Iudææ diſtinctio adfertur.*

*2. Euangeliſta Bethleem nunc Iuda, nunc Iudææ dixit, quia de diuerſis temporibus agit, quibus Iudæa in Regnum coaluerat, & in tres Tetrarchias diuiſum erat.*

*3. S. Lucas tempore baptiſmi Chriſti, terram Iudæorum in Tetrarchias diſtributam tradit, eaſque filijs ab Herode relictas fuiſſe, Euſebius ex Ioſepho aſſerit. Ioſephus loco apud Euſebium citato quartæ Tetrarchiæ, quæ Lyſaniæ fuit, non meminit, ſed eam Euſebius ex Euangelio adiunxit; & Euangelica traditio alio Ioſephi loco roboratur.*

*4. Ituræa, & Trachonitidis regiones, quibus, teſte Luca, Philippi Tetrarchia conſtabat, inueſtigantur: ſub Trachonitidis nomine ab Euangeliſta Gaulanitidis & Bataneæ regiones comprehenduntur.*

*5. Herodis Antipæ Tetrarchia, cuius Lucas meminit, Galilææ, & Peræa regionibus conſtabat, in quarum vltima Ioannes Baptiſta prædicauit baptiſmum pœnitentiæ, & in cuius arce Machærunte decollatus eſt; inde autem eius reliquiæ Sebaſtem tranſlatæ ſunt. Quarè error Phocæ corrigitur, qui eum Sebaſte ab Herode decollatum fuiſſe tradit.*

*6. Ioannes ſub Herodis Antipæ poteſtate fuit, ſicut & Chriſtus Dominus; quia Saluator noſter in Galilæa, Ioannes in Peræa potiſſimùm conuerſati ſunt. Porrò Galilææ duæ erant, altera Gentium, altera Iudæorum, vt Hieronymi teſtimonio comprobatur.*

*7. Galilæa Gentium ita vocata non fuit, quia à reliqua Galilæa ſeparata per Romanos Syriæ contributa erat: nam refert Iſaias ante Romanorum in Syriam aduentum, iam Galilæam Gentium extitiſſe, vnamque ex eius ciuitatibus Capharnaum fuiſſe, Matthæi teſtimonio firmatur.*

*8. Galilæa Gentium nomen obtinuit à ciuitatibus Galilææ, quas Salomon dedit Hiramo Tyriorum Regi, eiuſque limites adferuntur, & cum Galilæa ſuperiore coincidere monſtrantur.*

*9. A Galilæa partes Tyri, & Sidonis diſtinguebantur; quarè Euangelium Tyrum, & Sidonem ad Phœniciam ſpectaſſe innuit, quæ extra Herodis Antipæ ditionem Syriæ contributa erat.*

*10. Syriæ contributa fuerunt Samaria, Iudæa, & Idumæa, quo tempore Chriſtus prædicauit; vnde Lucas Euangeliſta non à Tetrarchis, ſed à Pontio Pilato Iudææ Procuratore adminiſtratas fuiſſe refert.*

1. QVæ ſuperiore capite de Iudæa, eiuſque in Regna, & Tetrarchias diuiſione ex Gentilibus, & Hebræis ſcriptoribus exhibuimus, hoc capite concilianda ſunt cum ſacræ Scripturæ locis, in quibus frequens regionum Iudaicarum mentio reperitur. Ac primò quidem tradit Matthæus, capite 2. *Cum ergo natus eſſet IESVS in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis.* Vbi Herodi Magno Iudææ Regnum, quod ab Auguſto obtinuerat, Chriſto autem Saluatori noſtro Bethleem Iuda pro loco natiuitatis aſſignatur: ad quem locum D. Hieronymus notat, librariorum vitio olim lectum fuiſſe Bethleem Iudæę, cum in hebraico textu habeatur Iudæ: *Quæ eſt enim*, inquit, *aliarum*

gen-

*gentium Bethleem, vt ad diſtinctionem eius hic Iudaæ poneretur? Iudæ autem idcirco ſcribitur, quia eſt & alia Bethleem in Galilaea.* Ex quo Hieronymi loco colligitur, Iudæam à Regno Iudæ in eo diſtingui, quòd Regnum Iudæ ſit ſpecialis Iudęæ regio, quam Tribus Iuda & Beniamin pro ſorte obtinuerant; Iudęæ autem nomine terra illa comprehendebatur, quam duodecim Tribus Iſraël inhabitabant. Vndè Hieronymus de locis Hebraicis: *Iudæa aliquando tota terra duodecim Tribuum appellatur, aliquando duæ tantùm Tribus, quæ quondam Iuda vocabantur ad diſtinctionem Galilaeæ, & Samariæ, aliarumque in Terra repromiſſionis regionum.* Eo quoquè ſenſu à Matthæo cap. 2. Bethleem Iuda vocata eſt ad diſtinctionem Bethleem Galilæę, licèt idem Euangeliſta eodem capite Iudęam pro regione Iuda ſumat, dum ſcripſit de Ioſepho ex Aegypto redeunte: *Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre ſuo, timuit illò ire: & admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilaeæ, & veniens habitauit in Nazareth: vt adimpleretur, quod dictum eſt per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.*

2. Quamuis autem Euangeliſta vno, eodemque capite regionem nunc Iudæ, nunc Iudæę vocet, id tamen iuſta ratione feciſſe, facilè quiſque perſpiciet, qui natiuitatem Chriſti tempore Herodis, reditum ex Aegypto tempore Archelai contigiſſe aduertet. Cum enim Herodes totius Iudęæ Rex eſſet, omnes Tribus Iſrael ipſius imperio ſubdebantur: quarè regiones omnes ipſi ſubditæ communi vocabulo Iudæa vocabantur; rectèque notauit Hieronymus ſuprà, ab Euangeliſta Bethleem non vocatam fuiſſe Iudęæ, quia nemo ſcire potuiſſet, quænam ex ciuitatibus, quæ plures nomine Bethleem in regno Herodis reperiebantur, indicaretur, ſed Bethleem Iudæ, ad diſtinctionem Bethleem Galilęę. Poſtquàm autem obijt Herodes, Regnum ipſius in tres partes ab Auguſto diuiſum fuit, quarum primam, quę Iudæ, Samariæ, & Idumęæ regiones comprehendebat, Archelaus: ſecundam, quæ Galilęæ & Perçæ regiones complectebatur, Herodes Antipas: tertiam, quæ Trachonitide, Batanęa, & alijs regionibus trans Iordanem ſitis conſtabat, Philippus obtinuerunt. Poſt hanc igitur regni Herodis in tres partes diuiſionem, ditionem illam Archelai Euangeliſta vocauit Iudæam, quam anteà Iudæ nuncupauerat, quia Tribui Iudæ potiſſimùm Archelaus imperabat: vnde Iudæam ſub Archelao à Galilęa diſtinxit, ſcripſitque de Ioſepho, quòd declinans Iudæam *ſeceſſerit in partes Galilaeæ*, & habitauerit in ciuitate Nazareth, à qua Chriſtus Na-

Nazareni nomen obtinuit, quod Cruci ipſi affixum fuit, teſtante Ioanne Apoſtolo cap. 19. Euangelij: *Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem. Erat autem ſcriptum; IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.*

3. Præter Iudæam Archelai Tetrarchiam, tres alias commemorat S. Lucas, dum cap. 3. de Ioannis Baptiſtę prędicatione, & initio Euangelicæ prædicationis ſcribit: *Anno autem quinto decimo Imperij Tiberij Cæſaris procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræa, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ Tetrarcha, ſub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.* Vbi quatuor Tetrarchiæ enumerantur, vt Euſebius lib. 1. capite 9. ex Ioſepho obſeruat; *Narrat*, inquiens, *qua ratione tum ex Herodis patris teſtamento, tum iudicio Cæſaris Auguſti Iudææ Regnum ſuſceperit* (Archelaus) *vtque cum ipſe poſt annos decem Regno excidiſſet, fratres eius Philippus, & Herodes iunior, ac Lyſanias Tetrarchias ſuas rexerint.* Ita Euſebius ex verſione Valeſij, cum primùm vertiſſet Chriſtophorſonus: *Tetrarchias, id eſt quadripartitas præfecturas obtinuerint.* Non quòd hęc verba; id eſt *quadripartitas præfecturas*, in gręco reperiſſet, ſed explicationis gratia addidiſſet, quę tamen Valeſius fidem gręcorum exemplarium ſecutus omiſit, notans etiam hęc verba, & *Lyſanias*, de ſuo adieciſſe Euſebium: *Quem*, inquit, *meritò reprehendit Scaliger in animaduerſionibus ad Chronicon Euſebianum: neque enim Ioſephus Lyſaniæ meminit in huius rei narratione, conſtatque Herodis Regnum in tres dumtaxat partes poſt eius mortem diuiſum fuiſſe. Tacitus in lib. 5. hiſtoriarum de Iudæis loquens: Gentem coërcitam liberi Herodis tripartitò rexere. Idem teſtatur Philo in oratione aduerſùs Flaccum, pag. 968. vbi dicit, Caium dediſſe Agrippæ Magni Herodis nepoti tertiam partem auitæ ditionis, quam Philippus Tetrarcha obtinuerat.* Hactenùs Valeſius, qui rectè quidem obſeruat, Magni Herodis Regnum in tres partes fuiſſe diuiſum; inde tamen non ſequitur, Agrippæ ditiones tantùm tripartitò fuiſſe diuiſas. Quamuis enim Ioſephus illis locis, vbi de Herodiani Regni diuiſione tractat, tantùm trium Tetrarchiarum mentionem faciat; non ita tamen loquitur, cum de Caij temporibus agit: nam illis temporibus Agrippam obtinuiſſe Abilinam regionem, poſt diligentem Ioſephiani operis lectionem annotatum reperi libro 18. Antiquitatum, capite 8. in fine, vbi ait, Caium impoſuiſſe diadema ca-

capiti Agrippę, *& Tetrarchiæ, quæ Philippi fuerat, Regem conſtituit, adiecta Lyſaniæ quoquè Tetrarchia.* Et libro 2. de bello Iudaico, cap. 10. vbi ita ſcribit: *Caius Agrippam quoquè protinus donat Regno paterno vniuerſo, adijciens ei etiam illam, quam Auguſtus Herodi donauerat, Trachonitidem ſcilicet, & Auranitidem; præter hæc autem aliud quoquè Regnum, quod Lyſaniæ vocabatur.* Vbi vides, à Ioſepho mentionem fieri Lyſaniæ Regni, quod S. Lucas initio Euangelicæ prædicationis Tetrarchiam fuiſſe tradit, & Abilinam vocat ab Abila ciuitate primaria, quæ vrbs à Plinio, & Ptolomæo inter Paneadem & Damaſcum collocatur, antiquæ quidem Iudææ contigua, extra terminos tamen eius ſita: vnde Abilinæ Tetrarchia à Sampſone vltra montes Libani in Cœleſyria, vel vt alij vocant, in Phœnicia Libani ponitur.

4. Porrò à montibus Libani Ituræam, & Trachonitidem, quę Philippo Tetrarchę ſuberant, initium duxiſſe, perſpicuum eſt. Quamuis enim ſuprà notauerimus, quòd Geographus modernus Ituræam collocauerit inter Pellam & Peræam, immò inter Trachonitidis & Peræę regiones mediam, & nuperus ſcriptor tomo 1. Theſauri Geographici affirmet, quòd Ituræa eadem ſit, quę & Peræa, & pro hac ſua ſententia citet Strabonem: certum tamen eſt, Strabonem lib. 16. referre, quòd vltra Damaſcum *ſint duo colles, qui Trachones appellantur; poſteà Arabiam, & Ituræam versùs ſunt montes aſperi, & altis ſpeluncis inſignes, quarum vna quatuor hominũ millia recipere poſſit in excurſionibus, quæ vndiq; in Damaſcenos fiunt.* Ex quo Strabonis loco colligitur, Ituræam montibus potiſſimùm conſtitiſſe; vnde in Damaſcenos excurſiones fiebant: quarè etiam dici poteſt, Trachones colles non longè ab Ituræa fuiſſe. Strabo ſanè paulò ante prædictum locum, refert, Arabiæ montes *deſinere in eos, qui ibi Trachonitæ dicuntur, in alios quoſdam montes, qui glebosos, atque fructiferos colles habent.* Et addit: *Montanam autem regionem Ituræi, & Arabes habent, malefici omnes.* Ituræa igitur erat montana regio, quæ Arabiæ montibus coniungebatur, & in eo à Trachonitide differebat, quòd hæc potiùs locis planis, & collibus, quàm montibus aſperis conſtaret, & ab Ituræę montibus vſque ad Iordanem fluuium pertingeret. Vnde illi omninò veritatem aſſecuti videntur, qui Trachonitidis regionem trans Iordanem à Libani & Iturææ montibus vſque ad Peręam extendunt, ac ſub Trachonitidis regionis nomine etiam Gaulanitidem, & Batanęam comprehendunt, cum S. Luca Philippi Tetrarchiam in Trachonitidem & Ituræam diuidentes. A

veritate autem aberrant, qui Ituræam cum Peræa confundunt, cum Peræę regio numquam ad Philippum ſpectarit, ſed potiùs Herodis Antipæ fuerit, vt ex iam dictis, & ſtatim dicendis cuique conſtabit. Quare ſi Trachonitidis regio cum aliqua alia regione confundenda eſſet, cum Ituræa potiùs, quàm Peræa confundi deberet, quia vtraque Philippo paruit. Vndè D. Hieronymus libro de locis hebraicis: *Trachonitis regio ſiue Iturœa, cuius Tetrarches fuit Philippus*. Et rurſùs ibidem: *Iturœa & Trachonitis regio, cuius Tetrarcha fuit Philippus, ſicuti in Euangelio legitur*. Quibus forſan teſtimonijs inductus eſt Ortelius in Theſauro Geographico, vt Trachonitidem vocarit Ituræam, eique Philippum prefectum fuiſſe agnoſcat. Quod Ioſephus quoquè libro 18. cap. 6. confirmat, dum ſcribit: *Philippus Herodis (*Antipæ*) frater diem ſuum obijt anno Tiberij principatus vigeſimo, quum ipſe præfuiſſet triginta ſeptem annis Trachonitidi, & Gaulanitidi, & Batanęœ*. Cum enim nullibi Ituræ mentionem faciat, ſub Trachonitide eam comprehendiſſe cenſendus eſt, dumque Philippum vſque ad vigeſimum Tiberij annũ vixiſſe affirmat, Euangelio concinit, quod Philippum Trachonitidis Tetrarchiam initio Euangelicæ prædicationis obtinuiſſe refert; initium enim illud anno Tiberij decimo quinto ponitur ab Euangeliſta, poſt quem annum adhuc quinque annis ſuperuixiſſe fertur.

5. A Tetrarchia Philippi ad eam, quæ Herodis Antipæ fuit, & Perææ ac Galilææ regionibus conſtabat, procedamus. Ac Peræa trans Iordanem ſita, vt ex Ioſepho ſuperiore capite oſtendimus, terminos ſuos à mari Tiberiadis, & ciuitate Pella vſque ad mare mortuum, & Caſtrum Machęruntis, in quo Ioannes Baptiſta capite truncatus eſt, proferebat; latitudo verò à Iordane, & Bethania, vbi Ioannes baptizauit, vſque ad Arabiam protendebatur. Quòd autem Ioannes Baptiſta in Bethania, quam alij Betharabam vocant, ad Iordanis orientalem ripam baptizauerit, teſtatur Ioannes Euangeliſta, dum capite 2. tradit: *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans*. Scribit quidem idem Euangeliſta, Ioannem Baptiſtam relicta orientali Iordanis ripa, ad occidentalem quandoque veniſſe in terram Iudææ, & baptizaſſe *in Aenon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi*. Verùm non ſemper in Aenon iuxta Salim manſiſſe, ſed rursùs tranſmiſſo Iordane fluuio in Peræam regionem ſub ditione Herodis Antipæ veniſſe, vel ex eo apparet, quòd Herodes, vt ex Ioſepho tradit Euſebius lib. 1. cap. 12. eum in vincula coniectum ad arcem Machæruntis deduci pręcepit, ibidemque, vt au-

ctor

ctor Chronici Alexandrini obſeruat, capite truncari iuſſit. Quæ omnia optimè Euangelio reſpondent, tradente Matthæo cap. 14. Herodem cum Herodiade & filia ipſius in illo loco diem natalem celebraſſe, vbi Ioannes in carcere detinebatur, ideòque filiam Herodiadis petijſſe ab Herode: *Da mihi hìc in diſco caput Ioannis Baptiſtæ ..... miſitque, & decollauit Ioannem in carcere, & allatum eſt caput eius in diſco*. Porrò in Macherunte conſtitutam fuiſſe Herodis regiam, pluribus refert Ioſephus, vndè ibi locus opportunus fuit celebrandi diem natalem, ſicut Euangeliſta deſcribit, ibidemque carceri incluſus fuit Ioannes, ac caput eius à corpore abſciſſum ad Herodis menſam allatum eſt. Quarè corrigi ex his poteſt Ioannes Phocas, qui in edito per Leonem Allatium Itinerario num. 12. refert: *Sebaſte (quæ vrbs Samariæ eſt) ab Herode Tetrarcha in honorem Cæſaris reſtituta* venerandum caput maioris inter natos mulierum Ioannis Baptiſtæ ab Herode minore inter conuiuandum abſciſſum fuiſſe. *In media ciuitate*, inquit, *carcer eſt, in quem dum Herodiadem ille reprehenderet, coniectus, capiteque imminutus. Carcer ſubterraneus, & viginti gradibus in eum deſcenditur, in cuius medio altare erigitur, vbi à ſpiculatore capite obtruncatur*. Errat enim Phocas in pluribus: ac primò quidem, quòd ab Herode Tetrarcha Sebaſtem reſtauratam affirmet, quæ ab Herode Rege in honorem Cæſaris reſtituta fuit, vt ex Ioſepho patet. Deinde quòd ab Herode minori Ioannem capite truncatum fuiſſe aſſerat in ciuitate Sebaſtæ, quæ Samariæ caput erat, & ad Herodis Tetrarchæ ſiue minoris ditionem non ſpectabat. Tertiò quòd locum ſubterraneum, vbi altare Ioannis Baptiſtæ erectum eſt, carcerem eius fuiſſe exiſtimet, cum ſepulchrum eius ſit, & à diſcipulis Ioannis corpus eius illùc tranſlatum ſit extra Tetrarchiam Herodis, ne, ſicut caput abſcondi iuſſerat, corpus illud ſanctiſſimum in indecenti loco, & abſcondito collocari curaret. Et ex his intelligi poterit D. Hieronymus, qui epiſtola 27. ad Euſtochium refert, corpus Sancti Ioannis Baptiſtæ à fidelibus religioſo cultu honoratum fuiſſe in ciuitate Samariæ, quæ & Sebaſte vocabatur. *Ibi ſiti ſunt*, inquit, *Heliſæus, & Abdias Prophetę, & quo maior inter natos mulierum non fuit, Ioannes Baptiſta*.

6. Ioannes Baptiſta igitur, quia in Perea regione potiſſimùm conuerſatus eſt, ſub Herodis Tetrarchæ ditione erat; ſicut & Chriſtus Saluator noſter, quia educatus fuit in Nazareth ciuitate Galilææ, quæ etiam ſub Herodis poteſtate erat. Quarè dum Chriſtus ante Tribunal Pilati accuſabatur: *Pilatus audiens Gali-*

*lilæam*, inquit Sanctus Lucas cap. 23. *interrogauit, ſi homo Galilæus eſſet? Et vt cognouit, quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat illis diebus*. Galilæa igitur ad Tetrarchiam Herodis Antipæ ſpectabat, vel vt Euangelium loquitur, *de poteſtate Herodis erat*, qui non modò in inferiorem Galilæam, ſed ſuperiorem quoquè iuriſdictionem exercebat. Vt enim præcedenti capite ex Ioſepho oſtendimus, tempore Herodis Galilæa in ſuperiorem, & inferiorem diuiſa erat: *& inferioris quidem longitudo à Tiberiade vſque ad Zabulon, cui vicina eſt in locis maritimis Ptolemais, protenditur; latitudine autem patebat à vico Xaloth, qui in Magno campo ſitus eſt, vſque ad Berſaben, vnde etiam ſuperioris Galilææ latitudo incipit vſque ad Baca vicum, qui terram dirimit Tyriorum: longitudo verò à Thella vico Iordani proximo vſque ad Meroth extenditur*. Et hæc quidem ex Flau. Ioſepho de ſuperioris, & inferioris Galilææ terminis, alijs Galilæam cum Hieronymo diuidentibus in Galilæam Gentium, & Galilæam Iudæorum, quorum terminos nemo, quod ſciam, ſcripto prodidit. Neque enim Hieronymus, licèt ſæpiùs Galilęę Gentium meminerit, terminos eius aſſignat, neque Cyrillus Alexandrinus, qui Galilæam Gentium à Galilæa Iudæorum diſcernit, vllam de terminis Galilææ Gentium mentionem facit, ſed ſolummodò ſcribit: *Galilææ duæ ſunt, quarum vna in Iudæa, altera Phœnicum oppidis finitima, ac vicina*.

7. Quod autem ſpectat ad Galilæam Gentium, nonnulli putant, exinde nomen obtinuiſſe, quòd ſuperior Galilæa à Romanis in prouinciam redacta, Syriæque contributa fuerit; quam opinionem nullatenus ſubſiſtere, demonſtrat Scriptura ſacra, quæ ante Romanorum in Galilæam aduentū, ſuperiorem eius partem Galilæam Gentium vocauit. Sic Propheta Iſaias cap. 9. vaticinatus eſt: *Terra Zabulon, & terra Nephthali, via maris trans Iordanem Galilæa Gentium: populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis*. Quod Iſaiæ vaticinium adimpletum fuiſſe tempore Chriſti, qui Galilæis Euangelium prædicauit, refert Matthæus Euangeliſta cap. 4. vbi ait de Chriſto, quod *habitarit in Capharnaum in finibus Zabulon, & Nephthali, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam prophetam*. Galilæam itaque Gentium, quam nominat Iſaias, agnouit Matthæus, qui à Tribubus Zabulon, & Nephthali illam inhabitatam fuiſſe, & in eius finibus Capharnaum conſtitutam fuiſſe, affirmat. Vnde refert D. Hie-

Hieronymus libro de locis Hebraicis: *Capharnaum iuxta ſtagnum Genezareth vſque hodie oppidum in Galilæa Gentium ſitum*. Idem dicit de Cana Galilææ, fuiſſe *ſuis temporibus oppidum in Galilæa Gentium*. Ex quibus teſtimonijs concludi debet; Galilæam Gentium nequaquam ita vocatam fuiſſe, quia eam Romani in prouinciam redegerant; & Syriæ contribuerant, cum certum ſit, quòd Capharnaum, & Cana ditionis Herodis fuerint, & ad Tetrarchiam eius ſpectarint.

8. Aliunde igitur Galilææ pars nomen Gentium obtinuit, cuius ſi quis originem inueſtiget, tempore Salomonis forſan hoc nomen ei tributum fuiſſe reperiet, dum Salomon Regi Tyriorum Hiramo 25. ciuitates in Galilæa dedit, ſcribente D. Hieronymo libro de locis Hebraicis: *Duæ ſunt Galilææ, ex quibus vna Galilæa Gentium vocatur vicina Tyriorum finibus, vbi & Salomon 25. ciuitates donauit Hiram Regi Tyri in ſorte Tribus Nephthalim; altera Galilæa dicitur circa Tiberiadem, & ſtagnum Geneſareth*. Notanda ſunt D. Hieronymi verba: clarè enim affirmat, ciuitates Galilææ, quas Hiramo Tyriorum Regi donauit Salomon, fuiſſe in illa Galilææ parte, quæ Gentium vocabatur, comprehendebatque omnem illam regionem, quæ à Libani montibus cis Iordanem fluuium vſque ad mare Galilææ, ſiue ſtagnum Geneſareth protendebatur, quæ regio Tribui Nephthalim ceſſerat in diuiſione Tribuum. Galilæa Iudæorum verò à Betzaida vſque ad Schythopolim circa lacum Tiberiadis protendebatur, vt ex Hieronymo colligitur, videturque coincidere cum Galilæa, quam Ioſephus inferiorem vocat, quæque longitudine à Tiberiade vſque ad Ptolemaidem ciuitatem maritimam, latitudine verò à vico Xaloth, qui Schythopoli quoad ſitum reſpondet, vſque ad Berſaben Betſaidæ oppoſitam terminos ſuos proferebat. Illi itaque recentiores Geographi veritatem attigiſſe videntur, qui Galilæam Iudæorum cum inferiore, Galilæam Gentium cum ſuperiore confundunt, quorum opinionem ſecutus eſt Sampſonius in Chartis Geographicis Lutetiæ ante aliquot annos editis, affirmante etiam Auguſtino Lubin in obſeruationibus Geographicis ad annales Iacobi Vſſerij: *Galilæa Gentium pars præcedentis Galilææ versùs ſeptentrionem, quæ etiam Galilæa ſuperior appellata eſt*.

9. Dicit Lubin eſſe partem præcedentis Galilææ, quam ita ibidem deſcripſerat: *Regio terræ promiſſionis, & pars Syriæ, cuius fines à ſeptentrione Syria, ſiue Phœnicia interiacente Libano monte; à meridie Samaria, & Carmelus mons; ab oriente Iordanis fluuius; ab occidente mare*

re

*re magnum*, *ſiue occidentale*, *quatuor continebat Tribus*, *Aſer*, *Nephthalim*, *Zabulon*, *& Iſſachar*. Verùm difficultas moueri poteſt circa terminos occidentalis Galilæę, quos non vbiq; ad mare magnum ſiue mediterraneum,ſed in partibus Tyri, & Sidonis tantùm ad montes Carmeli prolatos fuiſſe, teſtatur Ioſephus, qui montes illos olim quidem adGalileam, ſuis tamen temporibus ad Tyrios ſpectaſſe, affirmat. Ciuitates autem maritimas Tyrum, & Sidonem non Galilææ, ſed Phœniciæ ciuitates fuiſſe, adeò manifeſtum eſt ex antiquis ſcriptoribus,vt Lubinius ipſe Sidonem olim Chananæorum regiam, poſteà in Tribu Aſer celeberrimum Phęnices emporium fuiſſe affirmet, & Tyrum *totius Phœniciæ metropolim ſtatuat*. Comprobari autem poteſt ex ſacris litteris hæc Phœniciæ à Galilęa diſtinctio: nam quotieſcunque Tyri & Sidonis mentio fit in Euangelijs, toties partes Tyri & Sidonis à Galilæa diſtinguuntur. Vndè rectiſſimè Ioſephus lib. 3. de bello Iud. c. 2. ſcribit,quòd Galilęa versùs occidentem protendebatur vſque ad *Bacam vicum*, *qui*, inquit, *terram dirimit Tyriorum*. Quarè Bacam vicum ad radices montis Carmeli ſitum fuiſſe oportuit. Mons enim ille partes Tyri à Galilæa diſtinguebat, vt rectè à Philippo de la Rue in Charta Geographica annotatum eſt. Herodis igitur Tetrarchia, cuius meminit Euangeliſta Lucas, Galilæam quidem comprehendebat, ſed non partes Tyri, & Sidonis, quæ ad Phœniciam ſpectabant, & à Gentibus inhabitatæ fuerunt. Quamuìs enim Tyrus & Sidon olim partem terræ Chanaan conſtituerint, & Tribui Aſer pro ſorte obtigerint, eam tamen non poſſedit, vt notat Diuus Hieronymus libro de locis Hebraicis ſcribens: *Sidon vrbs Phœnices inſignis*, *olim Chananæorum terminus ad aquilonem reſpiciens*, *& poſteà regionis Iudææ: cecidit autem in ſortem Tribus Aſer*, *ſed non eam poſſedit*, *quia hoſtes nequaquam valuit expellere*. Quod de Sidone dixit Hieronymus, id de Tyro dicendum eſſe, vel ex eo patet, quòd à temporibus Salomonis Hiram Rex Tyrijs præfuerit, vt ſuprà ex Scriptura monſtrauimus.

10. His itaque de tribus Tetrarchijs in medium adductis, reſtat quarta Tetrarchia Samariam, Iudæam, & Idumæam complectens, cuius tamen ſub nomine Tetrarchiæ Sanctus Lucas non meminit, ſed potiùs affirmat, *procuraſſe Pontium Pilatum Iudæam*. Mirum id cuiquam videri poſſet, niſi conſtaret ex dictis ſuperiori capite, Archelai Tetrarchiam in prouinciam redactam à Romanis, & Syriæ contributam fuiſſe, idque obtinuiſſe Tiberij temporibus, quibus Pilatus tanquam Procurator Iudæam adminiſtrauit, referente Ioſepho libro 2. de bello Iudaico, cap. 8.

*Miſ-*

*Miſſus autem à Tiberio in Iudæam Pilatus curandam regionem ſuſcepit*. Quòd autem Pilatus non Iudææ tantùm regionem, ſed Samariam quoquè curarit, teſtatur Ioſephus libro 18. Antiquitatum Iudaicarum, capite 5. vbi tumultum Samaritanorum deſcribit, eorumque agmina ad montem Garizim aſcendendum conueniſſe affirmat. *Sed Pilatus*, inquit, *prior cliuum montis occupat equitibus ſuis, & peditibus, qui prælio congreſſi cum Samaritis apud vicum collectis alios fuderunt, alios in fugam compulerunt, multos etiam viuos captos abduxerunt, quorum præcipuos, & potentiores Pilatus mulctauit capite: tum Primates adeunt Vitellium virum Conſularem, & Syriæ Præſidem, Pilatumque cædis accuſant*. Adiungit alia, ex quibus patet, Samariam quoquè ad Pilati curam ſpectaſſe, ſed Procuratoris munus Syriæ Præſidi ſubordinatum fuiſſe, ideòque tam Iudæam, quàm Samariam, ac Idumæam, quæ tempore, quo Chriſtus ex Aegypto redijt, Tetrarchiam Archelai conſtituebant, tempore Euangelicæ prædicationis & paſſionis Chriſti Syriæ contributas, & à Romanorum Procuratore gubernatas fuiſſe, adeòque rectiſſimè ab Euangeliſta dictum, *procurante Pontio Pilato Iudæam*; & Chriſtum Dominum, licèt de poteſtate Herodis eſſet, non tamen coram Herode Tetrarcha Galilææ, ſed coram Pilato Iudææ Procuratore à Principibus Sacerdotum accuſatum fuiſſe, eiuſque ſententia morti traditum eſſe.

# CAPVT TERTIVM.

## *In quibus regionibus Chriſtus Euangelium prædicauit? & num ante paſſionem eius extra Iudææ terminos fides annuntiata ſit?*

*1. Chriſtus Euangelium prædicare cœpit à Galilæa, in qua enutritus fuit. & ex qua duodecim Apoſtolos deſumpſit, vnde Chriſtiani Galilæi vocati ſunt, eorumque religio apud Iulianum ſecta Galilæorum dicta.*

*2. Præter Apoſtolos Chriſtus alios ſeptuaginta duos diſcipulos elegit, vt habet antiquiſſimus codex græcus M. S. Bibliothecæ Vaticanæ, eoſque binos, teſte Luca, miſit ante ſe in omnem Iudæam, quò erat venturus. Idem de Apoſtolis ſcribit Marcus, qui Lucæ non contradicit.*

*3. Apoſtoli enim æquè ac diſcipuli miſſi ſunt bini ad prædicandum Euangelium, & vtriſque data poteſtas expellendi dæmonia, & liberandi à languoribus infirmos, ac eadem præcepta ſunt.*

*4. Præcipuè verò iuſſit Chriſtus, ne diſcipuli, & Apoſtoli vltra Iudæam pergerent, neque in partes Gentilium abirent, vt patet ex ijs, quæ dixit ad mulierem Cananæam è finibus Tyri, & Sidonis egreſſam.*

*5. Chriſtus ad partes Tyri venit, ſed non vt in ijs prædicaret, vt ex Theophylacto, & Chryſoſtomo oſtenditur, cui vetus Tyriorum traditio apud Phocam non contradicit.*

*6. In Sidone enim non prædicaſſe con-*

*contra Phocam oſtenditur, & Bedæ, ac Theophylacti teſtimonia de Syrophœniſſa vltrò ſe Chriſto præſentante adferuntur.*

*7. Chriſtus aduenientes ex Gentilium partibus non reiecit, ſed in Galilæa, & Iudæa docens admiſit, vt ex Euangelio conſtat.*

*8. Samaritanorum odium in Iudæos, eiuſque cauſa inquiritur, & cur Chriſtus præceperit, ne diſcipuli in Samaritanorum ciuitates intrarent.*

*9. Oſtenditur autem, quomodò non obſtante Chriſti præcepto diſcipuli Samaritanorum ciuitates intrauerint, quia Samaritani licèt origine Aſſyrij, ritus Iudæorum edocti erant.*

*10. Chriſtus quoquè ijs ad ſe venientibus, & multum rogantibus fidem prædicauit, quod ipſum omittere non debuiſſe, tradit Chryſoſtomus.*

*11. Chriſtus autem, Apoſtoli, & diſcipuli, ante paſſionem per totam Iudæam, eiuſque regiones trans & citrà Iordanem poſitas prædicarunt, extra illas autem Euangelium non annuntiarunt.*

1. GRauiſſima fuit Sacerdotum, & Iudæorum querimonia, qua Chriſtus coram Pilato accuſatur, quòd commouerit populum docendo per vniuerſam Iudæam à Galilæa vſque Hieroſolymam: *Docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc*. Per vniuerſam Iudæam intelligitur Herodis Regnum in tres Tetrarchias diuiſum, in quibus Chriſtus Dominus Euangelium prædicauit, incipiendo à Galilæa, vbi educatus fuerat in ciuitate Nazareth, ad quam poſt ſuſceptum à Ioanne baptiſmum, & quadraginta dierum ieiunium in deſerto peractum, ſtatim redijſſe conſtat. *Et*, inquit Lucas, cap. 4. *venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit ſecundùm conſuetudinem ſuam die ſabbati in Synagogam, & ſurrexit legere*. Cumque doctrinam eius reſpuiſſent, *deſcendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos ſabbatis*. Et exinde teſte Matthæo capite 4. *circuibat totam Galilæam*. Ambulans autem iuxta mare Galilçæ vocauit Petrum, Andream, Iacobum, & Ioannem, quos vnà cum alijs octo elegit, & vt ſcribit S. Lucas cap. 6. *Apoſtolos nominauit*. Porrò Apoſtolos omnes Galilæos fuiſſe, Angelorum teſtimonio docemur, teſtante eodem Luca Actorum 1. capite, quòd Angeli ad Apoſtolos Chriſtum in cælum aſcendere conſpicientes dixerint: *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cælum?* Apoſtoli igitur Galilæi erant, ſicut & primi Chriſti diſcipuli, quod per totam Iudæam adeò innotuerat, vt tempore paſſionis Chriſti ob illam rationem Petrus Chriſti diſcipulus diceretur, *quia Galilæus erat*; & ob eamdem rationem Chriſtiani dicti ſint Galilæi, ſic eos nuncupante Iuliano Apoſtata in fragmento quodam orationis, vbi Chriſtianos improbo planè vocabulo, *nefandos Galilæos* appellat, & in opere contra Chriſtianam Religionem, eam *Galilæorum ſectam* vocat.

2. Ex Galilæa itaque Chriſtus duodecim Apoſtolos elegit, præter quos & alios ſeptuaginta duos diſcipulos deſignauit, de qui-

quibus S. Lucas capite 10. *Poſt hæc autem deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus.* Vbi tria quædam obſeruatu digna occurrunt: ac primò quidem, non *ſeptuaginta*, vt habent nonnulli Codices, ſed legendum eſſe *ſeptuaginta duos*, vt habet verſio vulgata, cui concinit Vaticanus Codex manuſcriptus omnium, qui toto terrarum orbe reperiuntur, antiquiſſimus, vtpotè ante tempora D. Hieronymi conſcriptus; legitur enim in eo: μετὰ δὲ ταῦτα ἀνέδειξεν ὁ Κύριος ἑτέρους ἑβδομήκοντα δύο. *Poſteà verò deſignauit Dominus alios ſeptuaginta duos.* Secundò, quòd Chriſtus eos binos miſerit ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus: hinc enim colligitur, Diſcipulos per omnem Iudæam prædicaſſe, vbi Chriſtus prædicauit, incipiens à Galilæa vſque ad Hieroſolymam, vt ex principibus Sacerdotum audiuimus ſuprà. Tertiò, hos ſeptuaginta duos diuerſos eſſe à duodecim Apoſtolis, cui Catena Græcorum Patrum in Lucam à Corderio edita non contradicit, dum tradit: *Lucas quidem hæc dicit de ſeptuaginta: Marcus verò ait, quòd vocauit duodecim, & miſit eos binos.* Hæc enim non ita intelligenda videntur, vt Lucas Marco contradixerit, ſed quòd eadem præcepta data ſint ſeptuagintà duobus diſcipulis, quę Chriſtus dederat duodecim Apoſtolis; ſicque Marcus rectè ſcripſerit de his, quæ Lucas ſcripſerat de illis.

3. Quòd autem hæc interpretatio conſona ſit Euangelijs, vel ex eo patet, quòd S. Lucas tam Apoſtolorum, quàm Diſcipulorum miſſionem in Euangelio ſuo commemoret, capite nono aſſerens de Apoſtolis, quòd illos miſerit *prædicare regnum Dei*; & cap. 10. ſubiungens: *Poſt hæc deſignauit alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam.* Marcus autem non de ſecunda, ſed de prima miſſione loquens tradit cap. 6. *Et vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos.* Apoſtoli igitur bini, & bini miſſi ſunt ante faciem Chriſti in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus, ſicut bini, & bini miſſi fuerunt Diſcipuli, quod eſt primum, in quo vtraque miſſio conuenit. Secundò, poteſtatem prædicandi Euangelium, illudque miraculis confirmandi non ſolùm Apoſtolis, ſed etiam Diſcipulis conceſſit, aſſerente Marco cap. 6. de Apoſtolis, *dabat poteſtatem ſpirituum immundorum:* & Luca capite 9. *Dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent.* De Diſcipulis autem affirmante S. Luca capite 10. quòd poſt prædicationem reuerſi ad Chriſtum dixerint cum gaudio: *Domine etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine*

*tuo*. *Et ait illis: Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*. Vbi vides, etiam Diſcipulis datam fuiſſe poteſtatem ſuper omnia dæmonia. Cui accedit poteſtas curandi languores, vt patet ex verbis Chriſti eos ad prædicandum mittentis apud eundem Lucam: *Curate infirmos*. Tertiò, quod vtriſque eundem viuendi, & prædicandi modum præſcripſerit, affirmante Marco cap. 6. de Apoſtolis: *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zona æs, ſed calceatos ſandalijs, & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis: Quocumquè introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde: & quicunque non receperint vos, exeuntes inde excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis*. Quæ eadem de Apoſtolis habet S. Lucas capite 9. qui de Diſcipulis ſubiungit cap. 10. *Et dicebat illis ..... Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta; & neminem per viam ſalutaueritis. In quamcunque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui .... In eadem autem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt .... Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis .... In quamcumque autem ciuitatem intraueritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem, qui adhæſit nobis de ciuitate veſtra, extergimus in vos*. Vbi nemo non videt, eadem, quæ præcepta fuerunt Apoſtolis, præcepta quoquè fuiſſe Diſcipulis.

4. Præcipuum tamen præceptum, ad inſtitutum noſtrum hoc loco faciens, eſt illud, quod Chriſtus vtriſq; dedit de non prędicando vltra Iudææ terminos: Matthæus enim cap. 10. agens de Apoſtolis tradit: *Hos duodecim miſit IESVS, præcipiens eis dicens: In viam gentium ne abieritis, ſed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. Euntes autem prędicate dicentes, Quia appropinquauit regnum cælorum*. Quæ eadem præcepta fuiſſe Diſcipulis, vel ex eo colligi poteſt, quòd S. Lucas cap. 10. narret, Chriſtum dixiſſe ad Diſcipulos de ciuitatibus fidem accipere recuſantibus: *Dico vobis, quia Sodomis in die illa remiſſius erit, quàm illi ciuitati. Væ tibi Corozaim, væ tibi Betzaida: quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent. Verumtamen Tyro & Sidoni remiſſius erit in iudicio, quàm vobis. Et tu Capharnaum vſque ad cælum exaltata vſque ad infernum demergeris*. Ac ſi diceret ad Capharnaum, Corozaim,

zaim, & Betzaidam miſſos fuiſſe Diſcipulos, non verò ad Tyrum, & Sidonem: quia, vt ſuprà vidimus, Tyrus & Sidon in Phœnicia erant, & à Gentibus inhabitabantur, ad quas proindè noluit ire Diſcipulos, quos regulam Apoſtolis datam ſeruare oportebat; ne ſcilicet in viam gentium abirent, ſed tantùm ad illas ciuitates, & loca, *quò ipſe erat venturus*, vt expreſsè S. Lucas cap. 10. de Diſcipulis enarrat. Chriſtum enim non tranſgreſſum fuiſſe Iudææ terminos, neque Gentibus Euangelium prædicaſſe, Chriſtus ipſemet ſignificat, dũ mulieri Cananęæ *finibus Tyri, & Sidonis egreſſæ* dixit Matthęi cap. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Ad quę verba D. Auguſtinus tractatu 47. in Ioannem: *Quid eſt ergo, Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael? Niſi quia præſentiam ſuam corporalem non exhibuit niſi populo Iſraël, ad gentes non perrexit ipſe, ſed miſit; ad populum verò Iſraël miſit, & venit ipſe.* Et D. Hieronymus comment. in eadem verba notat, ideò ne verbum quidem Cananæę mulieri initio reſpondiſſe Chriſtum, *Ne*, inquit, *ipſe ſententiæ ſuæ videretur eſſe contrarius, per quam iuſſerat: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis. Nolebat enim occaſionem calumniatoribus dare, perfectamque ſalutem gentium paſſionis, & reſurrectionis tempori reſeruabat.* Ex quibus teſtimonijs colligimus, Chriſtum ſolis Iudæis prædicaſſe Euangelium, ipſumque ante paſſionem nec per ſe, nec per diſcipulos fidem gentibus annuntiaſſe, ſed id reſurrectionis tempori reſeruaſſe, quando diſcipulos ſuos miſit ad gentes, vt infrà videbimus.

5. Cum igitur Scripturæ, & Patrum teſtimonijs conſtet, Chriſtum iuſſiſſe, ne ante paſſionem ſuam diſcipuli in viam gentium abirent, grauis controuerſia mouetur à Patribus, cur igitur Chriſtus ipſe in partes Tyri & Sidonis ſeceſſerit? *Et egreſſus inde*, inquit Matthæus capite 15. *ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Cananæa à finibus illis egreſſa clamauit dicens ei; Miſerere mei Domine.* Sanctus Marcus cap. 7. rem ita enarrat: *Et inde ſurgens abijt in fines Tyri & Sidonis, & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere: mulier enim ſtatim vt audiuit de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius. Erat autem mulier gentilis Syrophœniſſa.* Vbi videre licet, mulierem, quam Matthæus Cananęam vocat, à Marco Syrophœniſſam appellari, eò quòd Cana maior in finibus Sidonis ſita ad Phœniciam, quæ Syriæ contributa erat, ſpectabat. Deinde quòd Matthæus teſtatur de Chriſto, illum ſeceſſiſſe in par-

tes Tyri & Sidonis, id explicari à Marco, abiiſſe in fines Tyri & Sidonis; additque idem Euangeliſta, quòd Chriſtus *exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galileæ*. Quæ verba manifeſtè indicant, Chriſtum per Phœniciam iter feciſſe, indeque ſcripſiſſe Hieronymum, *tranſgreſſum in partes Tyri & Sidonis, vt Tyrios, Sidonioſque curaret*. Et Bedam in eundem locum, *in partes exterarum gentium ſeceſſiſſe*. Et Theophylactum in cap. 15. Matthæi, quòd Tyrum & Sidonem Gentilium ciuitates ingreſſus ſit. Miratus autem hanc rem Theophylactus ita ſibi obijcit: *Quarè diſcipulos prohibuit ire in viam Gentium, ipſe autem in Tyrum, & Sidonem Gentilium ciuitatem iuit?* Et reſpondet: *Diſce igitur, quòd non vt prædicaturus iuit illùc, quia (vt Marcus dicit) & occultauit ſe*. Et ante Theophylactum Sanctus Chryſoſtomus homilia 55. in Matthæum: *Si verò quiſpiam dixerit: Et quonam modo cum diſcipulis iniunxerit, dicens, In viam gentium ne abieritis, ille ipſe abijt?* Reſpondet inter alia, *Quia non vt prædicaturus illuc acceſſit: quod denotauit Marcus dicens, quoniam & occultauit ſeipſum, & non latuit*. Ex quibus Chryſoſtomi verbis colligitur, Tyriorum traditionem veritati poſſe concinere, quę teſte Ioanne Phoca ferebat, ad geminum extra vrbem ſagittarum iactum in præmagno ſaxo Chriſtum Dominum quieuiſſe: *In quo*, inquit, *vt fert traditio, Chriſtus Dominus quieſcens Petrum, & Ioannem ſacroſanctos Apoſtolos in ciuitatem miſit ad panes comparandos. Illi abeuntes, & afferentes vnà cum Saluatore ad vicinum fontem mille non ampliùs paſſibus diſtantem profecti ſunt. Cum Chriſtus ſediſſet conuiuatus cum Apoſtolis, ex aqua bibit, fontique benedixit, & ad hæc tempora fons ille, ſi verum fateri volumus, miraculum eſt videntibus*. His enim verbis, ſignificat Phocas, traditionem Tyriorum habuiſſe, non quòd ciuitatem ipſorum intrauerit, ſed quòd extra ciuitatem in ſaxo illo ſubſtiterit, adeòque vt Euangelia teſtantur, in partes Tyri ſeceſſerit. Deinde indicat, non quidem prædicaſſe, ſed quieuiſſe, & cum diſcipulis in loco à ciuitate remoto iuxta fontem conuiuatum eſſe; quod apprimè conuenit Marci Euangelio, quod eum latuiſſe indicat.

6. Aliud dicendum videtur de traditione Sidoniorum, quæ teſte eodem Phoca, Chriſtum extra portas ciuitatis prædicaſſe referebat: *Extra vrbem*, inquit, *ad trium ſagittarum iactum templum viſitur, porticu prælonga concameratum; & templi mytalo quadratus lapis inhæret, in quo, vt multorum fert traditio, Saluator mundi Chriſtus ſtans*

*tur-*

*turbas inſtituebat*. Si enim Chriſtus nemini voluit innoteſcere, & miſſus fuerit, non vt Gentibus, ſed Iudæis Euangelium anuntiaret, quomodo apud Sidonem ciuitatem gentium turbis prædicauit? De eius ſanè prædicatione ne verbum quidem in Euangelijs reperitur, ſed ſola Syrophœniſſæ conuerſio, & miraculum de eius filia, quæ à dæmonio per Chriſtum liberata eſt, commemoratur. Vnde venerabilis Beda ait Marcum teſtari, ideò Chriſtum partes Tyri, & Sidonis intraſſe, *vt filiam Syrophœniſſæ à dæmonio liberaret, ac per fidem fœminæ gentilis perfidiam argueret Scribarum, & Phariſæorum*. Additque Theophylactus in caput 7. Matthæi: *Non moratur diù in Gentilium locis, ſed ſtatim tranſit, ne (ſicut dicebam) daret occaſionem Iudæis dicendi, quòd præuaricaretur legem, Gentilibus ſe miſcens*. Eamque ob cauſam Diuus Chryſoſtomus alijque Patres affirmant, Chriſtum Dominum non quidem ad Gentes ſe conuertiſſe relictis Iudæis, ſed Iudæis aures Euangelio occludentibus, Gentiles ſpontè aduenientes refutare, & reijcere nullatenùs debuiſſe. Qua de re audiendus eſt Chryſoſtomus homil. 53. in Matth. *Quemadmodùm enim rerum conſequentia poſtulabat, ne ad Gentes primùm proficiſceretur; ſic non erat humanitatis, vltrò venientes repellere*.

7. Atque hanc regulam Chriſtus non modò circa Syrophœniſſam, ſed etiam circa omnes alios ad ſe venientes obſeruaſſe videtur, cum nullibi in ſacro Euangelio legatur, eum quemquam reieciſſe ex omnibus illis, qui ad ipſum in Galilæa, vel regionibus trans Iordanem, aut in Iudæa prædicantem conuenerant, etiamſi ex partibus Tyri, & Sidonis eſſent, docente Luca cap. 6. Euangelij: *Quòd ad Chriſtum acceſſerit turba diſcipulorum, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa, & Ieruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant, vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis*. Et Marco capite 3. *Multa turba à Galilæa, & Iudæa ſecuta eſt eum, & ab Ieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum, & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum*. Et Matthæo capite 4. *Secutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem*. His enim locis Euangeliſtæ enumerant omnes Iudçæ regiones, vna dumtaxat excepta. Adducunt namque regiones trans Iordanem ſitas, Trachonitidem nimirùm, & Peræam; cis Iordanem verò Idumæam, Iudæam, eiuſque caput Hieroſolymam, Galilçam cum regione illius, quæ Decapolitana vocabatur, à decem ciui-

ciuitatibus, quas comprehendebat: demùm partes maritimas Tyri, & Sidonis, quarum populos ad Chriſtum in Galilæa prædicantem conueniſſe affirmant: ita vt omnes Iudææ populos enumerent, exceptis Samaritanis, quos ideò omiſerunt, quia odio proſequebantur Iudæos, omni commercio inter illos omninò prohibito; quia vt mulier Samaritana Ioannis capite 4. dixit ad Chriſtum: *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*. Quod qua ratione factum ſit, hìc breuiter explicandum eſt.

8. Initia diſſidij inter Samaritanos, & Iudæos à temporibus Ezechiæ Regis repetit Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, qui obſeruat Tomo 1. Annalium, ſub Regno Ezechiæ expugnatam fuiſſe ab Aſſyrijs Samariam, tranſlatiſque in Samariam Aſſyriorum colonis, qui nunquam tam rectè in fide inſtructi fuerunt, vt omnes gentiles ritus deſererent, dediſcerentque ſuperſtitiones, quibus vti conſueuerant. Acceſſit templi in monte Garizim extructio, quod templum legitimum eſſe, contra Iudæos tanta animorum contentione, tantaque vi, & pertinacia propugnarunt, vt poſt Archelai exilium paſchatis tempore clam Hieroſolymam ingreſſi, quamprimùm media nocte templi portæ apertæ fuerunt, per totum templum, & porticus oſſa humana ſparſerint. Refert hanc hiſtoriam Ioſephus libro 19. Antiquitatum capite 3. Vnde facilè colligitur, quanto odio, & liuore Samaritani Iudæos proſecuti ſunt, & quamobrem Chriſto Hieroſolymam proficiſcente, Samaritani eum recipere noluerint: Rem narrat Sanctus Lucas cap. 9. his verbis: *Miſit nuntios ante conſpectum ſuum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi; & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hieruſalem.* Orabant Samaritani in monte ſuo, & contemnebant Iudæos adorantes in templo Ieroſolymis. *Et hanc ob cauſam factum eſt*, inquit Beda; *quia Hieruſalem ire conſpiciunt Samaritæ Dominum, non recipiunt: non enim coutuntur Iudæi Samaritanis, vt Euangeliſta Ioannes oſtendit.*

9. Cum autem tanta eſſet Samaritanorum in fugiendis Iudæis pertinacia, intelligitur quidem, cur Chriſtus Dominus Apoſtolis præceperit: *Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*: ſed non ita facilè percipitur, cur Hieroſolymam proficiſcens diſcipulos ſuos ad ciuitatem Samaritanorum miſerit, & dum à Ieroſolymis reuertebatur, ipſe Euangelium in Samaria prædicauerit primùm mulieri Samaritanæ, tum incolis ciuitatis Sichar, teſtante Ioanne capite 4. *Oportebat eum tranſire per Samariam. Venit ergò in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta*

pre-

*prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo*. Narrat autem ibidem Ioannes, mulierem Samaritanam ad puteum à Chriſto conuerſam fuiſſe, & Samaritanos pleroſque mulieris exemplum imitatos rogaſſe Chriſtum, *vt ibi maneret, eumque manſiſſe ibi duos dies*. Poſt quod tempus Chriſtus iterùm Ieroſolymam, proficiſcens tranſiuit per mediam Samariam, & ingreſſus quoddam Caſtellum decem illos Leproſos mundauit, inter quos repertus eſt Samaritanus, de quo Chriſtus apud Lucam capite 17. *Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena*. Vbi Chriſtus Samaritanum alienigenam vocat, quia vt obſeruat Theophylactus in illum, locum, Samaritani erant Aſſyrij, & vt ſuprà ex Baronio annotauimus, nonnullos Gentilium ritus retinuerant. Quod omninò difficultatem augeret, niſi iam, oſtendiſſem, Aſſyrios illos in fide Iudæorum dudùm inſtructos fuiſſe, & in eo potiſſimùm à Iudæis diſcrepaſſe, quòd de adorationis loco non conuenerint, neque Hieroſolymis in templo à Salomone extructo, ſed in monte Garizim à Patriarchis orandi cauſa frequentato Deum adorari debere contenderint.

10. Accedit obſeruatio Sancti Chryſoſtomi homilia 30. in caput 4. Ioannis, quòd Chriſtus Dominus, *Si qui ad eum accedebant, non prohibebat. Iſtud enim diſcipulis dixerat: In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: non tamen, vt vltrò accedentes repellerent; id enim, quàm indigniſſimum erat eius humanitate*. Quarè hac ratione, mulierem Samaritanam à Chriſto in fide inſtructam fuiſſe affirmat, quòd hæc ciuitatem regreſſa ad Chriſtum venerat, eademque ratione Chriſtum apud Samaritanos manſiſſe explicat, quòd hi ad ipſum veniſſent, vtque apud eos maneret, rogaſſent: *Num*, inquit, *ad hos non accedendum, fuit? Num tempore rogantes, & indigentes erant contemnendi? .... Indignum ſanè, & à Chriſti benignitate alienum. Eorum itaque obtemperauit voluntati; & manſit apud eos duos dies*. Ita Chryſoſtomus, cui accedit Theophylactus comment. in caput 9. Lucæ, vbi de Chriſto per Samariam Hieroſolymas proficiſcente, & nuntios ſuos præmittente refert, id factum, dum, appropinquabat tempus paſſionis ſuæ. *Porrò nuntios ante faciem ſuam emittit*, inquit, *vt parent ipſi diuerſorium, & ſciens quòd à Samaritanis non eſſent ſuſcipiendi, nihilominùs tamen illos emittit, vt omnem Samaritanorum auferat excuſationem, ne dicere poſſent: Suſcepiſſemus illum, ſi quoſdam præ ſe miſiſſet*.

11. Miſit igitur IESVS diſcipulos ſuos ad Samaritanos, ipſeque Samaritanis ad ſe accedentibus

tibus Euangelium prædicauit, & ſic per omnem Iudæam fides ante Chriſti paſſionem annuntiata eſt. In Peræa regione, vbi Chriſtus à Ioanne baptizatus, ſæpiùs verſatus eſt, teſtante Euangelio, quòd trans Iordanem profectus ſit. In Trachonitide regione, cuius ciuitas primaria erat Cæſaræa Philippi, quæ & Paneas vocata fuit, & ad fontes Iordanis ſita eſt: *Venit* enim *in partes Cæſareæ Philippi*, ibique interrogauit diſcipulos, *quem dicerent homines eſſe filium hominis?* Et reſpondenti Petro fidem eius laudauit, ſeque ſuper eum Eccleſiam fundaturum promiſit, vt tradit Matthæus capite 16. In Galilææ regione perpetuò verſatus eſt; nam apud Nazareth educatus, apud Capharnaum commoratus, apud Canam Galilææ aquam in vinum conuertit, apud Naim filium viduæ à mortuis ſuſcitauit, in monte Thaborio transfiguratus eſt, & totam Galilæam vſque ad partes Tyri & Sidonis annuntiando Euangelium peragrauit. In Samaria ſæpiùs fuit, & ciuitatem Sichar ad fidem conuertit. In regione Iudææ per triennium prædicauit, in Bethleem Iudæ natus eſt, Hierichunte cæcum illuminauit, in Bethania Lazarum à mortuis ſuſcitauit, Hieroſolymis toties prędicauit, tot miraculis Euangelium firmauit, tot Iudæos ad fidem conuertit, vt hanc ob cauſam Principes Sacerdotum Chriſtum coram Pilato accuſauerint, quòd docendo per vniuerſam Iudæam populum commouerit incipiendo à Galilæa vſque Hieroſolymam, vt initio huius capitis ex ipſo ſacro textu indicauimus.

# CAPVT QVARTVM.

## *Quòd Apoſtoli poſt Chriſti paſſionem in Iudæa permanſerint vſque ad diuiſionem; Diſcipuli verò plures regiones peragrarint.*

1. *Chriſtus poſt paſſionem Apoſtolos mittit per mundum vniuerſum prædicare Euangelium, incipiendo tamen à Ieroſolyma, & Iudæa, vt Beda obſeruat.*

2. *Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſionem remanent Hieroſolymis in domo Ioannis, vbi Spiritum ſanctum acceperunt, vt Phocas refert in Itinerario.*

3. *Accepto autem Spiritu ſancto Apoſtolos ſtatim in mundum vniuerſum profectos Euangelium prædicaſſe omni creaturæ, ex Euangelio Marci, Lactantio, & Luca Burgenſi colligi videtur.*

4. *Verùm Euangelium non obſtare eorum ſententiæ, quæ poſt multos annos à Chriſti paſſione Apoſtolorum diuiſionem ſtatuit; ex illis ipſis locis, quæ in contrarium adferuntur, colligitur.*

5. *Apoſtoli enim longo tempore poſt Chriſti in cælos aſcenſionem Hieroſolymis permanſerunt, vt ex Lucæ Euangelio, & Actis Apoſtolorum, ac Apollonij, Euſebij, & Chryſoſtomi teſtimonijs colligitur.*

6. *Diſcipulos autem à perſecutione, in qua Stephanus occubuit, per varias orientis Prouincias diſperſos fuiſſe, ex S. Luca oſtenditur.*

*ditur, & ex Petri epiſtola probatur à Cardinali Baronio.*

*7. Aliud namque Diſcipulorum diſperſio, aliud Apoſtolorum diuiſio. Diſcipuli poſt diſperſionem non Hieroſolymis tantùm, ſed per Iudæam quoquè, & Samariam Euangelium prædicarunt Iudæis, vbi & de conuerſione Abgari Regis Edeſſenorum agitur.*

*8. Nonnulli quoquè Diſcipuli Damaſcum, & in Cyprum peruenerunt ſolis Iudæis prædicantes Euangelium, primùm enim Antiochiæ Gentibus prædicare cœperunt.*

1. OStendimus ſuperiori capite, ante Chriſti paſſionem intra Iudææ limites prædicatum fuiſſe, monitis expreſsè Apoſtolis, & Diſcipulis, ne in viam Gentium abirent, id eſt, ne Gentibus extra Iudæam commorantibus fidem annuntiarent. Hoc capite videndum eſt, quanto tempore poſt paſſionem idem mandatum ab Apoſtolis ſeruatum fuerit. Ac Chriſtum quidem ita vndecim Apoſtolos allocutum refert Matthæus cap. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Vbi poteſtatem inſtituendi Eccleſias cum Apoſtolis communicat, mittens eos, vt docerent omnes gentes, vel vt Sanctus Marcus capite 16. Euangelij refert: *Vt euntes in mundum vniuerſum prædicarent Euangelium omni creaturæ.* Non igitur Iudææ terminis prædicatio fidei poſt paſſionem coarctata fuit, ſed per mundum vniuerſum omnibus gentibus, & nationibus Euangelium annuntiandum fuit ab Apoſtolis; quod Propheta Regius pſalmo 18. prædixerat: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quæ verba Diuus Ambroſius ſerm. 68. de Petro & Paulo, alij Patres de reliquis Apoſtolis interpretati ſunt. Quarè Venerabilis Beda ad eundem Pſalmiſtæ locum: *Sonus prædicationis ipſorum Apoſtolorum exiuit à Iudæa perueniens in omnem terram, ideſt in omnes partes terræ, & etiam ad omnes angulos partium: quia verba eorum in omnes fines orbis terræ peruenerunt.*

2. Quæ Beda dicit de Iudæa, vnde Euangelica prædicatio exiuit, Iſaias quoquè prædixerat, cap. 2. vbi Hieroſolymam primariam Iudeæ metropolim aſſignat, *De Sion*, inquiens, *exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Quam Iſaiæ prophetiam Chriſtus teſtimonio ſuo confirmauit, dum Lucæ 24. Apoſtolos monet, ſcriptum eſſe, quòd poſt paſſionem ſuam oporteat, *prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolyma.* Quarè Chriſtus in cælum aſcendens, *præcepit* Apoſtolis, inquit Lucas Actorum 1. cap. *ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris.* Tuncque reuerſi ſunt Ieroſolymam, &

*cum introiſſent in cœnaculum aſcenderunt, vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & MARIA matre IESV & fratribus eius.* Cœnaculum, cuius hoc loco meminit Lucas, erat in domo Ioannis Apoſtoli, quæ in monte Sion ſita fuit, vt ex D. Hieronymo in Epitaphio Paulæ colligitur, & tradit Hippolytus Thebanus in Commentario chronico, vbi Spiritum ſanctum Apoſtolis in domo Ioannis permanentibus illapſum fuiſſe, ac Deiparam poſt Chriſti aſcenſionem manſiſſe refert. Concinit Ioannes Phocas in Itinerario per Leonem Allatium edito, nam in Sion monte Ioannis Theologi domum collocat, in qua ſanctiſſima Deipara poſt reſurrectionem commorabatur, & in domo cœnaculum, vbi Spiritus ſanctus in Apoſtolos deſcendit, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: *De Sion exibit lex*. Quamobrem ab eodem Phoca *Sancta Sion Eccleſiarum mater* nuncupatur.

3. Cum autem viderimus Apoſtolos poſt Chriſti aſcenſionem in Sione monte commoratos fuiſſe; inquirendum eſt, quandonam à Hieroſolymis diſcedentes Euangelium Gentilibus prędicare cœperunt. Et quidem Sanctus Marcus, dum capite 16. enarrauerat, Chriſtum præcepiſſe Apoſtolis, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, adiungit: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Ex quibus verbis nonnulli deducere poſſent, haud dudum poſt aſcenſionem Apoſtolos relicta Hieroſolyma per mundum diſperſos fuiſſe. Quod Lactantius libro de mortibus perſecutorum nuper à Baluzio typis edito, confirmare videtur, dum ita ſcribit: *Circumuoluit Chriſtum procella nubis, & ſubtractum oculis hominum rapuit in cælum: & inde diſcipuli, qui tunc erant vndecim, aſſumptis in locum Iudæ proditoris Matthia & Paulo diſperſi ſunt per omnem terram ad Euangelium prædicandum, ſicut illis magiſter Dominus imperauerat, & per annos 25. vſque ad principium Neroniani Imperij per omnes prouincias, & ciuitates Eccleſiæ fundamenta miſerunt*. Si enim per viginti quinque annos vſque ad principium Neroniani Imperij Apoſtoli per omnes prouincias, & ciuitates prædicarunt, cum à principio Neroniani Imperij vſque ad aſcenſionem Chriſti anni viginti quinque præcisè intercedant, ſequi videtur, Apoſtolos per prouincias Euangelium prædicare cœpiſſe eo ipſo anno, quo Chriſtus in cælum aſcendit; quod

quod etiam dici deberet, ſi verum eſt, quod Lucas Burgenſis commen. in Marcum Euangeliſtam obſeruat, cum anno circiter 10. ab aſcenſione Domini Euangelium conſcripſiſſe. Nam cum Sanctus Marcus ſcribat, Apoſtolos profectos prædicaſſe vbique, antequàm ipſe finierat ſuum Euangelium, ſequeretur, iamdudum Apoſtolos per prouincias diſperſos fuiſſe, & fidem prędicaſſe.

4. Verùm conſideranti mihi Marci verba, nullibi Euangeliſta teſtatur, ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem Apoſtolos per mundum diſperſos fuiſſe, ſed optimè ipſius Euangelio cohærere videtur eorũ interpretatio, qui Apoſtolos ſeriùs per regiones diſperſos tradiderunt. Si enim Euſebium ſequi velimus, lib. 2. Hiſtoriæ cap. 15. refert ex Clemente, & Papia Hierapolitano, Marcum Euangelium ſuum Romæ ſcripſiſſe poſtquàm Petrus Romanis ſub Claudio Euangelium prędicarat. Quod idem teſtimonio ſuo comprobat D. Hieronymus lib. de Scriptoribus, vbi *Marcus diſcipulus, & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romę à fratribus breue ſcripſit Euangelium.* Marcus igitur non decimo poſt aſcenſionem anno, ſed diu poſteà ſub Claudio Euangelium Romæ ſcripſit, quod Beda com. in c. 16. Marci innuere videtur, dum tradit, Marcum Euangelium ſuum ſcripſiſſe, poſtquàm Apoſtoli iam per totum orbem diſperſi erant. *Marcus*, inquit, *quantò tardiùs cæteris inchoauit, tantò in longiora ſcribendo tempora perrexit ..... & ad illud vſque tempus narrando peruenit, quo Apoſtoli idem Euangelij verbum totum prædicando diſſeminauere per orbem.* Neque huic Bedæ teſtimonio repugnat Lactantius; nam & ipſe fatetur, Apoſtolos diſceſſiſſe ab vrbe Hieroſolyma poſt Matthiæ in Iudæ proditoris ſubſtitutionem, & Pauli Apoſtoli electionem, quæ electio primùm poſt Stephani mortem accidit, narrante Luca Actorum 9. capite, Saulum poſt Stephani lapidationem adhuc ſpirantem minarum, & cædis in diſcipulos Domini, conuerſum fuiſſe in via, quæ ducit Damaſcum: quod ſeptennio & ſex menſibus poſt Chriſti in cælos aſcenſionem accidit, ſi credere velimus Hippolyto Thebano in Commentario chronico à nobis in Primo Antiquitatis Eccleſiæ Tomo typis edito; quam eandem ſententiam Euodio Apoſtolorum diſcipulo tribuit Nicephorus lib. 2. Hiſtoriæ cap. 3.

5. Cum igitur ex illis ipſis teſtimonijs, quæ ſuperiùs adducta ſunt, conſtet, Apoſtolorum diuiſionem diù poſt Chriſti aſcenſionem contigiſſe, audiendus omninò eſt Sanctus Lucas, qui Euangelium ſuum, quod Paulo, & cæteris Apoſtolis, qui cum Domino conuerſati fuerant, didicerat, his verbis concludit: *Et*

*ipſi* ( Apoſtoli Chriſtum aſcendentem in cælum) *adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem cũ gaudio magno, & erant ſemper in templo laudantes, & benedicentes Deum*. Vbi particula *ſemper* longum tempus, quo Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſionem Hieroſolymis manſerunt, ſignificat. Quod ipſe Lucas Actorum capite 8. confirmat, dum narrata Stephani nece ſubiungit: *Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apoſtolos*. Ad quæ Actorum verba Baronius circa finem anni 34. mouet quæſtionem, cur *Apoſtolis*, quorum cauſa turbæ omnes à Iudæis fuerant concitatæ, Hieroſolymis manere *conceſſum fuerit*? Et reſpondet, *id non niſi miraculo, & illius tantùm virtuti tribuendum, qui ſtatuit mare quaſi in vtre, & poſuit terminos eius arenam exiguam; opus, inquam, Chriſti Saluatoris, qui Apoſtolis dedit implere, quod iuſſerat, vt inter infenſiſſimos hoſtes ad duodecim annos, quemadmodùm habet Apollonij traditio, verſarentur*. Apollonius, cuius hic meminit Baronius, Romanæ vrbis Senator fuit ſub Commodo Imperatore circa annum 185. martyrium paſſus, de quo Euſebius libro 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, capite 18. tanquam ex veterum traditione refert: *Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra duodecim annos Hieroſolymis diſcederent*. *Ideſt*, inquit Henſchenius in commentarijs præuijs ad Tomum 1. Sanctorum Aprilis, *ne vltra Syriam, & vicinas ditiones abirent*. Vel potiùs, vt ex Petri prædicatione refert Clemens Alexandrinus libro 6. Stromatum, ne ante duodecimũ ab aſcenſione ſua annum diuiſis terrarum partibus imbuendum Euangelio mundum ſuſciperent. Quarè Chryſoſtomus homil. 70. in Matthæum ſcripſit, quòd Apoſtoli *longo temporis ſpatio cæſi, & flagellati in Iudæa manſerint*.

6. Atque hæc quidem de Apoſtolis. De Diſcipulis autem, & primis Chriſtianis obſeruat Baronius: *Quòd anno Domini 35. Sulpitio Galba & Cornelio Sulla Coſſ. pulſis, eiectiſque poſt necem Stephani, qui erant Hieroſolymis, Chriſtianis, proficiſcentibus illis in diuerſas, ac longè poſitas regiones, ac prædicantibus Euangelium, Eccleſia Dei feliciter propagatur. Non enim diſperſi fuerunt per regiones Iudææ, & Samariæ, ſed Palæſtinæ fines egreſſos externas quoquè regiones peragraſſe, eiuſdem Lucæ teſtimonio ſatìs perſpectum habetur. Ait enim inferiùs: Illi, qui diſperſi ſunt à tribulatione, quæ facta eſt ſub Stephano, perambulauerunt vſque ad Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam. Quin etiam eorum,*

qui

*qui Ieroſolymis pulſi ſunt, ingens numerus migrauit in Aſiam, qui eo nomine à cæteris Iudæis diſtincti ſunt, quòd dicerentur Hebræi aduenæ diſperſionis, ad quos poſtmodùm Petrus Apoſtolus ſcribens epiſtolam, eiuſmodi titulo prænotauit, Petrus Apoſtolus IESV Chriſti electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ.* Hæc ibi Baronius, vt probet, diſcipulos poſt necem Stephani Hieroſolymis pulſos in diuerſas prouincias, vt cuique libuit, commigraſſe; qua de re affirmat ſcripſiſſe Athanaſium, homilia de Semente: *Habes in Actis Apoſtolorum diſcipulos diſperſos, & quaſi ſeminatos.* Et Gregorium Nyſſenum ſermone de Sancto Stephano: *Hinc* (nimirùm à nece Stephani) *in orbem terrarum diſcipuli currere cœperunt ...... Hoc modo Samaria verbum recepit. Hoc modo obiter in via ſalus Eunuchi à Philippo conficitur. Ita magnum illud Eccleſiæ inſtrumentum Paulus ira, minisque à Diabolo armatus, aduersùs ipſum armatorem tela vertit, ex omni eum exterminans orbe terrarum, vt nullum relinqueret locum fidei Chriſtianæ inacceſſum. Hinc Aegyptij, Syri, Parthi, & Meſopotamitæ, Itali, Illyrici, Macedones Chriſtum agnoſcunt, & omnes vtique gentes ſermo percurrens ad fidem adducit.*

7. Porrò ne quiſquam hæc ſupradictis aduerſari exiſtimet, cum Baronio obſeruandum eſt, aliud eſſe Apoſtolorum diuiſionem, aliud Chriſtianorum diſperſionem: hæc enim facta eſt poſt mortem Stephani manentibus Hieroſolymæ Apoſtolis. *Et omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apoſtolos*, inquit Sanctus Lucas Actorum 8. capite. Vbi & obſeruatu dignum occurrit, diſperſionem illam diſcipulorum primùm factam fuiſſe per regiones Iudææ, & Samariæ, per quas Apoſtoli quoquè Euangelium prædicarunt ante diuiſionem ibidem teſtante Luca: *Qui diſperſi erant, pertranſibant, euangelizantes verbum. Philippus autem deſcendens in ciuitatem Samariæ prædicabat illis Chriſtum ..... Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem.* Petrus igitur & Ioannes à cæteris Apoſtolis Hieroſolymæ commorantibus miſſi ſunt Samariam, quod poſt Stephani lapidationem contigiſſe refert Sanctus Lucas, nulla alia nota chronologica adhibita, ex qua annus, ſiue tempus conuerſionis Samariæ dignoſci poſſit. Refert interim Lucas, Philippum Diaconum, qui Samaritanos ad fidem conuerterat, baptizato Eunucho Candaces Reginæ Aethiopum, à via, quæ Gazam ducit, raptum fuiſſe à Spiritu. *Et*, inquit, *inuentus eſt*

*eſt in Azoto*, *& pertranſiens euangelizabat ciuitatibus cunctis*, *donec veniret Cæſaræam*. Ex quibus verbis confirmatur, diſcipulos, qui poſt perſecutionem diſperſi erant, non ſtatim ad regiones Gentium profectos fuiſſe, vt credidit Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, ſed per Samariam, & Iudæam ab Azoto, & Gaza Cæſaræam vſque Euangelium prædicaſſe: & vel ex hoc Lucæ teſtimonio non parùm infirmatur hiſtoria, quam de Abgari Regis Edeſſæ conuerſione retulit Euſebius libro 1. cap. 13. vbi *poſt reſurrectionem Chriſti*, *eiuſque in cælos adſcenſum*, *Thomas vnus è duodecim Apoſtolis diuino quodam impetu impulſus*, *Thaddæum vnum ex ſeptuaginta Chriſti diſcipulorum numero Edeſſam miſit*, *vt Chriſti doctrinam illis gentibus nuntiaret*. Porrò verum non eſſe, quod ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem de Abgari Regis, & ſubditorum conuerſione enarrat Euſebius, ex ijs facilè colligi poteſt, quod Sanctus Lucas capite 10. narrat de conuerſione Cornelij Centurionis cohortis Italicę, quem primum ex Gentilibus Petrus Cæſaræę baptizauit; & quod de Antiochenorum conuerſione tradit, quæ diu poſt Chriſti aſcenſionem facta eſt: cum tamen ibidem diſcipuli diſperſionis primùm locuti ſint Gentibus annuntiantes Dominum IESVM, eiuſque Euangelium prædicantes, vt cap. 11. Actorum narratur.

8. Verùm tamen eſt, quòd poſt primam diſcipulorum diſperſionem nonnulli eorum vltra Iudæam profecti ſint; legitur enim Actorum 9. capite Saulum adhuc ſpirantem minarum cum valida militum manu Damaſcum perrexiſſe: *Vt*, *ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres*, *vinctos perduceret in Hieruſalem*. Vero ſimile enim eſt, à Iudæis Damaſcenis relatum fuiſſe ad Principes Sacerdotum, quòd à Ieroſolymis poſt Stephani necem Chriſtianæ legis viri, ac mulieres Damaſcum peruenerint, eamque ob cauſam, Saulum miſerint Damaſcum, qui vt appropinquauit ciuitati, in terram delapſus Chriſti vocem audiuit, & ab Anania Damaſci commorante baptizatus fuit. *Erat autem*, inquit Lucas Act. 9. *quidam diſcipulus Damaſci*, *nomine Ananias*. Vtque Paulus ad fidem conuerſus eſt, *fuit cum diſcipulis*, *qui erant Damaſci per dies aliquot*, *& continuò ingreſſus in ſynagogas*, *prædicabat IESVM*, *quoniam hic eſt filius Dei*. Vbi clarè apparet, non Ananiam tantùm, ſed & plures alios diſcipulos fuiſſe Damaſci, illoſque fidem in ſynagogis Iudæorum prædicaſſe. Quod & cæteros diſcipulos diſperſionis feciſſe, his verbis Lucas Actorum 11. capite teſtatur: *Et illi quidem*, *qui diſperſi fuerant à tribulatione*, *quæ facta fuerat ſub Stephano*, *perambulauerunt vſ-*

*que*

*que Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis.* Vbi notanda ſunt vltima verba, quòd nemini fidem prædicarint, niſi ſolis Iudæis. Primùm enim gentibus Euangelium annuntiare cœperunt Antiochiæ. *Erant autem quidam*, inquit Lucas eodem capite, *ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominum IESVM, & erat manus Domini cum eis: multuſque numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum.* Vtque audierunt Apoſtoli, & fratres, qui erant in Iudæa, quoniam & Gentes receperunt verbum Dei, *miſerunt Barnabam vſque ad Antiochiam*, qui accerſit à Tarſo Paulum, quocum annum totum conuerſatus eſt in Eccleſia, ita vt conuerſa fit turba multa, & *cognominarentur primùm Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani*. Atque hæc fuit primitiua Eccleſiæ facies ante Apoſtolorum diuiſionem, teſtante Luca capite 9. & ſequentibus, quòd Eccleſia per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam pacem habens ædificata fuerit per varias Syriæ regiones, quarum metropolis erat Antiochia. *Erant autem in Eccleſia*, inquit idem Lucas capite 13. Actorum, *quæ erat Antiochiæ, & prophetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simon qui vocatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.* Quinetiam Petrum Apoſtolorum Principem Antiochiam ante Apoſtolorum diuiſionem perueniſſe, ex antiqua traditione colligitur, vtpotè quæ eum ſedem Antiochiæ fixiſſe, & per ſeptem annos, antequàm Romam pergeret, ibidem ſediſſe perhibet. Qua de re videri poſſunt ea, quæ Euſebius, & D. Hieronymus in Chronicis referunt.

# CAPVT QVINTVM.

## *An, & quomodo Apoſtoli diſpertitis ſibi regionibus imbuendum Euangelio mundum ſuſceperint?*

1. *Apoſtoli Hieroſolymis conuenientes inde in orbem terrarum Euangelium prædicaturi diſceſſerunt. Iuſtini & Ruffini teſtimonia ea de re.*

2. *Sorte diuiſionem fieri debuiſſe, ex Iſaia probat D. Hieronymus, & teſtimonio ſuo comprobat Socrates.*

3. *Socratem impugnat Baronius, qui nequaquam veriſimile putat, quòd poſt acceptum Spiritum ſanctum diuiſio Apoſtolorum commiſſa ſit ſorti.*

4. *Rectè Baronius illam Apoſtolorum diuiſionem reycit, quæ Spiritus ſancti aſſiſtentiam excludit: at D. Hieronymus ita ſorti commiſſa fuiſſe voluit, vt eam includat.*

5. *Siue autem ſorte, ſiue alio modo contigerit diuiſio Apoſtolorum, Leo Magnus, Theodorus Studita, & Nicetas eam communi conſenſu peractam eſſe tradunt.*

6. *Ad*

*6. Ad quas prouincias Apoſtoli poſt diuiſionem profecti ſint, varijs Patrum teſtimonijs indicatur.*

*7. Idem oſtendit Synopſis, quæ in M. SS. Codicibus Hyppolito Portuenſi tribuitur.*

*8. Licèt autem inter Hyppoliti opera in antiquo eorum Catalogo non compareat hæc Synopſis, adeòque de auctore dubitare liceat, præſtat tamen Indiculo ſuppoſititio Dorothei Tyrenſis.*

*9. In præfato Indiculo non ſolùm quæ de duodecim Apoſtolis, ſed quæ de ſeptuaginta duobus Diſcipulis traduntur, ſuppoſititia ſunt; vndè ſincerior 72. Diſcipulorum catalogus ex Chronico Alexandrino adducitur.*

*10. Quinam ex his Diſcipulis, & in quibus partibus prædicarint, quàm inueſtigatu difficile cenſeatur.*

1. MVltorum quidem ſententia, eaq; veterum teſtimonijs comprobata refert, Apoſtolos, qui in Iudęa & Syria Euangelium Iudæis prædicabant, Hieroſolymam conueniſſe, antequàm per regiones diſperſi fidem Gentibus annuntiarunt. Vt enim Iuſtinus Martyr oratione ad Antoninum tradit: *Hieroſolymis duodecim viri profecti ſunt in mundum, atque hi quidem indocti, & minimè eloquentes, Dei autem virtute humano generi denunciauerunt à Chriſto miſſos ſe eſſe, qui cunctos Dei verbum docerent*. Clarè teſtatur Iuſtinus, à Hieroſolymis duodecim Apoſtolos profectos eſſe, dum prædicationem Euangelij per orbem ſuſceperunt. Hieroſolymas igitur conuenerunt, antequàm in diuerſas mundi partes profecti ſunt, prout egregio Ruffini teſtimonio confirmatur, quod habet in præfatione expoſitionis Symboli Apoſtolorum, tradens Apoſtolos in commune ſtatuiſſe, quid de fide credendum Gentibus proponerent, antequàm ad eas abirent: *Diſceſſuri Apoſtoli ab inuicem, normam prædicationis in commune conſtituerunt, ne fortè alij ab alijs abducti diuerſum aliquid his, qui ad fidem veniebant, exponerent*. Et infrà: *Diſceſſuri ergo, vt diximus, ad prædicandum, iſtud & vnanimitatis, & fidei ſuæ indicium Apoſtoli poſuere*.

2. Cum igitur Apoſtoli in communi ſtatuiſſent fidei articulos; *In multas nationes diuiſi ſunt, vt Euangelium quaquaversùm curreret*, inquit Gregorius Nazianzenus orat. 25. Ac ſi diceret, vt Chriſti præceptum adimpleretur de prædicando Euangelio omni creaturæ, & baptizandis omnibus gentibus, Apoſtolos à ſe inuicem diuiſos fuiſſe. Et quamuis non adiungat modum, quo diuiſio illa facta ſit, D. Hieronymus tamen affirmat, eum à propheta in Scripturis prędictum fuiſſe Iſaiæ cap. 35. *Et Spiritus eius ipſe congregauit ea. Et ipſe miſit eis ſortem: & manus eius diuiſit eam illis in menſura*. Sic enim in commentarijs ad illa verba tradit Hieronymus: *Apoſtolos obuiaſſe ſibi in Hieruſalem, & mutuos vidiſſe conſpectus, & tranſiſſe, ac reliquiſſe eam, & ad diuerſas prouincias perrexiſſe, quia Dominus manda-*

da-

*dauerit eis: Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et Spiritus illius congregauerit eos, dederitque eis ſortem, atque diuiſerit, vt alius ad Indos, alius ad Hiſpanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & vnuſquiſque in Euangelij pergeret ſui, atque doctrinæ prouincia requieſceret.* Hieronymus igitur Apoſtolos ſorte prouincias diuiſiſſe exiſtimauit, quod Socrates libro 1. Hiſtoriæ cap. 19. editionis Valeſianæ his verbis confirmat: *Cum Apoſtoli prædicationis cauſa ad gentes profecturi eas inter ſe ſortitò diuiderent, Thomas quidem Parthiæ, Matthæus verò Aethiopiæ Apoſtolatum ſortitus, Bartholomæus Indiæ, quę Aethiopiæ confinis eſt.*

3. Sunt qui putant, hanc Socratis opinionem ex pſeudo-Prochori commentis ortam eſſe, cum tamen ante Socratem D. Hieronymus eam ex Scriptura repetat. Exiſtimat interim Baronius Tomo I. ad ann. 44. Apoſtolorum diuiſionem nequaquàm ſorti commiſſam, ſed ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti peractam fuiſſe. *Non admittunt Patres*, inquit, *poſt Spiritum ſanctum, qui illos doceret omnia, ac cuncta ſuggereret, Apoſtolos res agendas tanti præſertim ponderis ſorti cōmiſiſſe.* Et infrà: *Dicimus ergo aliarum exemplo rerum, quæ ab ipſis ſunt geſtæ, hęc eadem omnia de diuiſione Prouinciarum Spiritus ſancti ſpeciali inſtinctu eſſe peracta. Si enim de Paulo, & Barnaba, antequàm ſimul mitterentur ad prædicandum Gentibus Euangelium, dixit (quod habet Lucas) Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus, ad quod aſſumpſi eos: quomodo non magis, cum omnes mittendi eſſent Apoſtoli, quò ſinguli profecturi eſſent, declarauit idem Spiritus ſanctus?...... Adbuc accipe, quæ de Paulo, ac ſocijs ſcribit Lucas* (Actorum 16.) *Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetiti ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. Cum veniſſent autem in Myſiam, deſcenderunt Troadem, & viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, dicens: Tranſiens in Macedoniam, adiuua nos. Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam certi facti, quòd vocaret nos Deus euangelizare eis. His ergo & alijs exemplis admoniti dicimus, ſingulos Apoſtolorum in eas orbis regiones eſſe amandatos, ad quos Spiritus ſanctus priuato inſtinctu voluit eos proficiſci.* Hæc ibi Annalium parens, cuius ſententia in duobus potiſſimùm conſiſtit: ac primò quidem in eo, quòd negat diſtributionem prouinciarum ab Apoſtolis ſorti commiſſam fuiſſe; ſecundò in illo, quòd eam priuato Spiritus ſancti inſtinctui adſcri-

ſcribendam eſſe, Pauli actis comprobat.

4. Verùm vt paucis Eminentiſſimi Cardinalis Baronij ſententiam elucidemus, rectè omninò illam prouinciarum diſtributionē impugnat, quæ ſortitò facta Spiritus ſancti aſſiſtentiam excludit; cum veriſimile non ſit, Apoſtolos opus Dei, ad quod ab ipſo miſſi erant, ita ſorti commiſiſſe, vt eius directionem à caſu pendere voluerint. Hoc tamen non obſtante prouincias ſortiri potuerunt eo modo, quo eas ſortitos tradidit D. Hieronymus docens, quòd Spiritus ſanctus congregauerit Apoſtolos, dederitque eis ſortes, atque diuiſerit. Hæc enim prouinciarum diſtributio non excludit Spiritus Sancti aſſiſtentiam, ſed ſorti coniungit, ſupponitque, Spiritum ſanctum in diſtributione ſortium effeciſſe, quòd ſinguli Apoſtoli ſingulas regiones aut prouincias acceperint, & eodem Spiritu ſancto inſpirante in eas profecti ſint. Vnde D. Hieronymus loco ſuperiùs citato adiungit, quòd *Spiritus ſanctus alium ad Indos, alium ad Hiſpanias, alium ad Illyricum, alium ad Græciam direxit*. Quod Diui Hieronymi teſtimonium ex Pauli actis à Baronio adductis nequaquàm infirmatur. Si enim, quod alibi oſtendimus, Apoſtolorum principes Petrus & Paulus non quidem ſpeciales regiones, ſed mundum vniuerſum erudiendum ſuſceperint, idque expreſſè de Sancto Paulo doceat Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus libro de vita, & obitu Sanctorum: potuit Paulus Spiritus ſancti inſtinctu in varias mundi regiones proficiſci, non obſtante quòd reliqui Apoſtoli prouincias ſortitò acceperint.

5. Siue autem reliqui Apoſtoli ſortitò, ſiue alio modo prouincias accepiſſe dicantur, parum id ad hiſtoriæ veritatem facere videtur, dummodò regiones inter ſeſe diuiſiſſe admittantur, quod Leo Magnus ſermone 80. in natali Apoſtolorum Petri & Pauli disertè affirmat: *Duodecim Apoſtoli accepta per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſceperunt*. Expreſſè enim affirmat magnus ille Pontifex, inter Apoſtolos terrarum partes diſtributas fuiſſe, dum imbuendum Euangelio mundum ſuſceperunt. Quod ipſum Sanctus Theodorus Studita oratione in S. Bartholomæum græcè conſcripta, & ab Anaſtaſio Bibliothecario Latinè verſa, ac Tomo 2. Spicilegiorum Lucæ d'Acherij edita his verbis confirmat: *Alius Apoſtolorum hic, alius verò alibi percepit partem orbis in prædicatione cognitionis Dei, & omnes diuerſitatem ſibi diſpertientes &c.* Et poſt S. Theodorum Nicetas Paphlago oratione encomiaſtica in Sanctum Thomam affirmans, Apoſtolos per vniuerſum ſparſos orbem, aliumque

quæ aliam in eo complexum nationem, *Alij itaque aliò miſſi Apoſtoli*, inquit, *pro eo vtique, ac auctor ipſe mittendorum decreuerat*. Repetit hæc alibi ſæpiùs, quæ breuitatis cauſa hìc libenter omittimus, cum ex prædictis ſatis ſuperque conſtet, eum eiuſdem nobiſcum ſententiæ fuiſſe, quòd Apoſtoli orbis terrarum partes inter ſeſe diſtribuerint, antequàm operam Euangelio nauaturi diuiſi fuerunt. Quod non ita intelligendum videtur, ac ſi Apoſtoli in alterius regione nullo vmquam caſu prædicare potuerint, ſed vt in annuntiando ijs nationibus Euangelio, quæ ſibi obtigerant, operam ſuam potiſſimùm collocarent.

6. Hoc autem ſenſu diuiſionem Apoſtolorum cum actis, quæ eos in vna eademque prouincia quandoque exhibent, facilè quiſque conciliabit, quamuìs & illa tanti faciendi non videantur, vt in omnibus fidem ijs adhibere cogamur, præſertim cum ob plurimorum ſuppoſitionem & interpolationem rectè Eminentiſſimus Cardinalis Baronius ad annum 44. ſcripſerit, quod ad diuiſionem & profectionem Apoſtolorum ſpectat, rem quidem eſſe perdifficilem inueſtigatu, & breuitate potiùs tractandam, quàm fabulis aut commentis exaggerandam. Quarè omiſſis ijs, quæ in actis tam manuſcriptis, quàm editis traduntur, eu dumtaxat referam, quæ ab antiquis Patribus hac de re ſcripta reperiuntur. Horum autem antiquiſſimus reperitur Origenes, ex cuius tomo tertio Commentariorum in Geneſim Euſebius libro 3. hiſtoriæ cap. 1. refert, quòd Apoſtolis per vniuerſum orbem diſperſis, *Thomas quidem Parthiam ſortitus eſt*, *Andreas verò Scythiam*, *Ioanni Aſia obuenit*, *qui plurimùm temporis in ea commoratus Epheſi tandem diem obijt*. Poſt Origenem & Euſebium ſequitur Gregorius Nazianzenus, qui oratione 25. tradit, Apoſtolos in multas nationes diuiſos fuiſſe, *vt Euangelium quaquauersùm curreret*. Et infrà: *Sit ſanè Petri Iudæa; quid Paulo cum Gentibus commune, Lucæ cum Achaia, Andreæ cum Epiro, Ioanni cum Epheſo, Thomę cum India, Marco cum Italia? Quid cæteris omnibus, ne ſingillatim loquar, cum ijs, ad quos profecti ſunt?* Gregorium Nazianzenum ſubſequitur D. Chryſoſtomus homilia in duodecim Apoſtolos, vbi refert: *Andreas Gręciæ ſapientes corrigit: Simon Deum docet barbaros: Thomas baptiſmate Aethiopes dealbat: Iacobi cathedram Iudæa honorat ... Ioannes ... Epheſum curat: Bartholomæus Lycaonas ad temperantiam inſtituit: Philippus miraculis conſeruat Hierapolim*. Poſt Chryſoſtomum de Apoſtolorum regionibus egit Gregorius Magnus homilia 17. in Euangelia, vbi de extremo iudicio verba

faciens: *Ibi*, inquit, *Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit, apparebit; ibi Paulus conuerſum, vt ita dixerim, mundum ducens; ibi Andreas poſt ſe Achaiam; ibi Ioannes Aſiam, Thomas Indiam in conſpectum ſui Iudicis conuerſam ducet.* Gregorium imitatus S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus libro de vita & morte Sanctorum cap. 82. tradit; quòd Apoſtoli *proprijs certiſque locis in mundo ad prædicandum ſortes proprias acceperunt. Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Iacobus Hiſpaniam, Ioannes Aſiam, Thomas Indiam, Matthæus Macedoniam, Philippus Galliam, Bartholomæus Lycaoniam, Simon Zelotes Ægyptum, Matthias Iudæam, Iacobus frater Domini Hieroſolymam, Iudas frater Iacobi Meſopotamiam. Paulo autem cum cæteris nulla ſors propria traditur, quia in omnibus magiſter, & prædicator eligitur: nam ſicut Petro & reliquis circumciſionis eſt Apoſtolatus datus; ita Paulo præputij in Gentibus.*

7. Porrò ex his & ſimilibus antiquorum teſtimonijs haud difficilè colligi poterit, ad quas prouincias Apoſtoli directi ſunt. Qua de re poſt Baronij obitum à Combefiſio edita eſt ſub nomine Hippolyti Portuenſis Epiſcopi, & martyris, Synopſis, quam hîc integram ſubijcimus.

## *Synopſis de 12. Apoſtolis, vbinam quiſque eorum prædicauerit, ac vbi conſummatus ſit?*

*Petrus quidem cum prædicaſſet Euangelium in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, Italia, atque Aſia, poſteà à Nerone crucifigitur capite deorſum verſo, cum ipſe ſic pati rogaſſet.*

*Andreas cum Scythis, ac Thracibus prædicaſſet, cruci affixus eſt Patris in Achaia rectus in olea arbore, ibique ſepelitur.*

*Ioannes verò in Aſia à Domitiano Imperatore in Patmos Inſulam relegatus, vbi etiam Euangelium conſcripſit, ac Apocalypſim vidit. Sub Traiano obdormiuit Epheſi. Eius reliquiæ cum fuiſſent quæſitæ, non ſunt inuentæ.*

*Iacobus eius frater prædicans in Iudæa ab* Herode Tetrarcha gladio occiditur, ibique ſepelitur.*

* potiùs *Herode Agrippa* Iudæorum Rege.

*Philippus prædicans in Phrygia, Hierapoli crucifixus eſt, capite deorſum verſo ſub Domitiano Principe, eodemque loco ſepelitur.*

*Bartholomæus cum Indis prædicaſſet, eiſque conſcriptum à Matthæo Euangelium expoſuiſſet, crucifixus eſt, & ipſe capite*

deor-

*dorſum verſo Albani magnæ Armeniæ vrbe.*

*Matthæus cum Euangelium hebraicè ſcripſiſſet, Ieroſolymis edidit, obdormiuitque Hiereæ Parthorum ciuitate.*

*Thomas cum Parthis, Medis, Perſis, Hircanis, Bactris, Margis prædicaſſet, abietina lancea quatuor ſui corporis partibus confoſſus eſt Calaminæ, quæ eſt vrbs Indiæ, illicque ſepelitur.*

*Iacobus Alphæi prædicans Ieroſolymis lapidatus à Iudæis occiditur, illicque propè templum ſepelitur.*

*Iudas, qui & Lebbæus, vbi populo Edeſſæ, ac toti Meſopotamiæ prædicaſſet, obijt Beryti, ac illic ſepelitur.*

*Simon Cananæus filius Cleophæ, qui & Iudas, poſt Iacobum Iuſtum creatus Hieroſolymorum Epiſcopus obijt, ſepeliturque eodem loco cum annos 120. vixiſſet.*

*Matthias cum eſſet vnus de ſeptuaginta, accenſetur duodecim Apoſtolis, cumque prædicaſſet Hieroſolymis obijt, ac illic ſepultus eſt.*

*Paulus denique poſt annum ab aſſumptione Chriſti, adijt Apoſtolatum incipienſque ab Hieruſalem peruenit vſque ad Illyricum, & Italiam, ac Hiſpaniam prædicans Euangelium per annos quinque ac triginta: ſub Nerone autem amputato Romæ capite, illic ſepelitur.*

8. Et hæc quidem Synopſis, quæ in M. S. Codice Regio Hippolyto tribuitur, quem Portuenſem Epiſcopum, qui tertio ſæculo martyr occubuit, Combefiſius exiſtimat: fatetur tamen, ſe aliundè probare non poſſe, quòd illa Hippolyto tribuenda ſit. Et reuerà nulla ipſius Synopſis mentio fit in Catalogo operum, qui marmoreæ Hippolyti cathedræ inſculptus eſt; & in Chronico, quod eius eſſe creditur, ac primùm ſine auctoris nomine à Caniſio, poſteà à du Cange in Appendice ad Chronicon Paſchale editum fuit, nuſquam Apoſtolorum mentio reperitur. Quamuis autem hæc Synopſis alium forſan authorem habeat; & Hippolyto tribuenda non ſit: longè tamen differt ab illa, quæ ſub Dorothei Tyrenſis nomine ſæpiùs edita eſt, & in Appendice ad Chronicon Paſchale ex varijs manuſcriptis Codicibus rurſus typis prodijt cura du Cange. Multa enim in Dorothei Synopſi habentur, quæ incertis, & dubijs hiſtorijs nituntur; qualia in primis cenſenda ſunt, quæ de Petri per Galliam, & Simeonis Zelotis per Mauritaniam prædicationibus aſſerit: aut veritati manifeſtè repugnant; qualia cenſenda ſunt ea, quæ de ſeptem ſororibus Philippi tradit ex Sancto Luca, cum ille in Actis non ſeptem ſororum, ſed quatuor filiarum eius meminerit, eaſque non Philippi Apoſtoli, ſed Philippi Diaconi fuiſſe, tradiderit. Quorum omnium ne vl-

vllum quidem verbum in Synopſi ſuperiùs exhibita reperitur.

9. Quod autem de duodecim Apoſtolorum catalogo Dorothei Tyri Antiſtiti adſcripto diximus, idem omninò de ſeptuaginta Diſcipulorum catalogo eiuſdem Dorothei nomine à du Cange edito dicendum videtur, multa dubia, & falſa eidem inſerta eſſe. Quod enim de Nicanore vno ex ſeptem Diaconis inter Diſcipulos ordine 9. tradit, cum eodem die, quo Stephanus lapidatus fuit, obijſſe *cum duodecim millibus alijs in Chriſtum credentium*; vndenam auctor deſumpſerit, planè ignoro. Clementem quoquè ordine 18. cuius meminit Paulus epiſtola 2. ad Timotheum, Epiſcopum Chalcedonis in Gallia fuiſſe, craſſo planè errore aſſeritur, cum Chalcedo nunquam ad Galliam ſpectarit, & Paulus non Clementis ſed Creſcentis mentionem faciat, eumque in Galatiam profectum fuiſſe aſſerat. Omitto cætera alibi latiùs examinanda, id dumtaxat adiungens, quòd ſi ſeptuaginta Diſcipulorum nomina exhibenda ſint, illa non ex pſeudo-Dorothei Synopſi, ſed ex Chronico Alexandrino potiùs memoria repetenda eſſent, vtpotè ab auctore antiquo, qui Heraclij temporibus vixit, conſcripto: in illo enim ſeptuaginta Diſcipuli hoc ordine recenſentur.

1. Matthias, quem Dominus deſignauit, qui alijs 11. Apoſtolis annumeratus eſt, poſtquàm Dominus eſt aſſumptus loco Iudæ Iſcariotæ, vt Acta continent.

2. Soſthenes; cuius meminit Paulus ad Corinthios ſcribens.

3. Cephas, Petro cognominis, cum quo congreſſus eſt Paulus de Iudaiſmo.

4. Linus, cuius meminit Paulus ad Timotheum ſcribens.

5. Cleophas, cuius meminit Euangelium ſecundùm * Matthæum. *Lucam.

6. Aquilas.
7. Epænetus.
8. Andronicus.
9. Amplias.
10. Vrbanus.
11. Stachys.
12. Apelles.
13. Herodion.
14. Ariſtobulus.
15. Narciſſus.
16. Ruffus.
17. Aſyncritus.
18. Phlegon.
19. Hermas.
20. Patrobas.
21. Hermes.
22. Philologus.
23. Nereus.
24. Olympas.
25. Lucius.
26. Iaſon.
27. Soſipater.
28. Tertius.
29. Gaius.
30. * Eraſtus. *Cod. al. *Eratus.*

31. Quartus, cuius meminit Paulus ad Romanos ſcribens.

32. Apollo.

33. Stephanus.

34. Fortunatus.

35. Achaicus, cuius meminit Paulus epiſtola ad Corinthios.

36. Tychicus, cuius meminit Paulus ad Epheſios ſcribens.

37. Clemens, cuius meminit Paulus in epiſtola ad Philippenſes.

38. Epaphroditus.

39. Oneſimus.

40. Ariſtarchus.

41. Ieſus dictus Iuſtus.

42. Demas.

43. Nymphas.

44. Archippus, cuius meminit Paulus in epiſtola ad Corinthios.

45. Oneſiphorus.

46. Creſcens.

47. Eraſtus.

48. Trophimus.

49. Eubulus.

50. Pudens, cuius meminit Paulus in epiſtola 2. ad Timotheum.

51. *Artemas. [Cod. al. Artenas.]

52. *Tychicus. [Cod. al. Tychimus.]

53. Zenas Iuriſperitus; quorum Paulus meminit in epiſtola ad Titum.

54. Philemon.

55. Epaphras.

56. Demas; quorum Paulus meminit in epiſtola ad Philemonem.

Hæc ad primum prædicationis Chriſti annum refert auctor, qui Conſulatu duorum Geminorum adiungit reliquorum Diſcipulorum nomina ordine ſequenti.

57. Barnabas.

58. Marcus Euangeliſta.

59. Silas.

60. Lucas Medicus, & Euangeliſta, de quo Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes mentionem facit.

61. Timotheus.

62. Siluanus.

63. Titus.

Sunt prætereà poſt Chriſti in cælos aſſumptionem conſtituti ſeptem Diaconi.

64. Stephanus primus martyr Domini Noſtri IESV Chriſti, qui lapidibus impetitus à Iudæis extinctus eſt.

65. Philippus.

66. Prochorus.

67. Nicanor.

68. Timon.

69. Parmenio.

70. Nicolaus.

10. Habes hic catalogum ſeptuaginta Diſcipulorum, prout eum exhibuit auctor Chronici Alexandrini, qui obſeruat quidem de quatuordecim vltimis eos Apoſtolorum ſocios fuiſſe in peregrinationibus, nullatenus tamen refert, in quibus terrarum locis prædicarint, eò quòd deperdita eſſent pleraque Eccleſiæ monumenta, ex quibus de ijs certum aliquid poſterorum memoriæ commendari poterat. Vnde Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis, qui eo ipſo tempore in Hiſpania ſcripſit, quo auctor Chronici Alexandrini floruit, libro de vita & obitu Sanctorum, paucos dumtaxat ex prę-di-

dictis Diſcipulis recenſet. Hoc ſanè ſi obſeruaſſet Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, à magno & diuturno ſtudio, quod pro huius rei inueſtigatione fruſtrà adhibuit, facilè abſtinuiſſet: fatetur enim, ſe pro nulla alia parte hiſtorica elucidanda maiorem laborem adhibuiſſe, ſed operam perdidiſſe omnem, quia deſunt legitima antiquitatis monimenta, ex quibus planè de illa docemur. Quarè hæc Baronij ſententia eſt, quòd illa, quæ ad Apoſtolorum; & Diſcipulorum profectionem ſpectant, paucis potiùs pertractanda ſint, quàm fabulis, aut incertis narrationibus illuſtranda. Hanc autem Baronij ſententiam poſt alios & nos, inuiti licèt, ſequi cogimur, cenſentes ea potiſſimùm adferenda eſſe pro hac materia, quæ aut Actis à Luca editis, aut epiſtolis ab Apoſtolis conſcriptis, aut approbatis veterum teſtimonijs nituntur, prout & nos poſt hanc Diſſertationem, ne capitum ſeriem perturbemus, breuiter adferemus. Vbi igitur capite ſequenti indagauerimus modum, quo breui temporis ſpatio per orbem terrarum Euangelium ab Apoſtolis prædicari potuit, ſubijciemus annales prædicationis Apoſtolicæ à Tiberij principatu, vſque ad Traiani imperium; tum deinde ſchema aliquod lectorum oculis proponemus, ex quo vnico intuitu patebit, ad quas gentes ope Apoſtolorum & Diſcipulorum Euangelium perlatum ſit.

# CAPVT SEXTVM.

## *Qua ratione Apoſtolica prædicatio totum terrarum orbem breui temporis ſpatio peruaſerit?*

*1. Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſionem in Iudæa manentes Ieroſolymis Euangelium prædicare cœperunt, quia ciuitas illa Iudææ caput erat, & innumeras colonias Hebræorum in orbem terrarum tranſmiſerat, vt Philonis teſtimonio conſtat.*

*2. Hinc Iudæi ex toto orbe Hieroſolymis reperti, quo tempore Euangelium prædicari cœpit, vt ex Actis Apoſtolorum probatur.*

*3. Illi autem ad propria remeantes fidei notitiam cæteris Iudæis attulerunt: Vnde Apoſtoli poſt diuiſionem ad prouincias ſuas profecti à Iudæis recepti ſunt, quibus iuxta Chriſti mandatum primò prædicare debebant, antequàm ſe ad Gentes conuerterent, quod à Paulo Romæ obſeruatum fuiſſe, teſtantur Acta Apoſtolorum.*

*4. Erat autem vrbs Roma caput prouinciarum, per quas Iudæi diſperſi erant: quod & plurimùm contuliſſe ad celerem verbi diuini per mundum prædicationem, ex Leone Magno, & Diuo Ambroſio oſtenditur.*

*5. Apoſtolos ignaros, & imperitos verbo ſuo erudiuit Spiritus ſanctus, cuius virtute prædicatio breui tempore efficax fuit, vt Origenes, & Chryſoſtomus obſeruat.*

*6. Concinit Auguſtinus, qui virtute diuina, & miraculorum efficacia, inter quæ locutionem linguarum primo loco recenſet, orbem terrarum conuerſum fuiſſe docet.*

Vt

1. VT igitur inſtitutam de regionibus, per quas Apoſtoli Religionem Chriſtianam propagarunt, quæſtionem proſequamur, agendum eſt hoc capite de modo, quo Euangelium breui temporis ſpatio per totum terrarum orbem prædicatum receptumque fuerit. Pro quo memoria repetendum eſt, fidei prædicationem à Hieroſolymis cœpiſſe, quia à ciuitate illa faciliùs in totũ mundum diffundi poterat: erat enim non Iudææ tantùm, ſed coloniarum quoquè Iudaicarum toto orbe diſperſarum mater & caput, vt præclarè obſeruat Philo Hebræus in Legatione ſua ad Caium Caligulam, aſſerens in vna ciuitate Hieroſolymæ infinitas Iudæorum colonias per orbem diſperſas ſeruari poſſe. *Non enim*, inquit apud Philonem Agrippa Iudæorum Rex in litteris ad Caium, *vnius Iudææ regionis metropolim, ſed & multarum propter colonias inde olim deductas, vel propiùs in finitimã Aegyptum, Phœnicen, Syriam, tum cæterarum, tum eam, quæ Cœle cognominatur: vel longiùs in Pamphiliam, Ciliciam, pleraſque Aſię partes vſque Bithyniam, & Ponti ſinus intimos: pari modo in Europæ Theſſaliam, Bœotiam, Macedoniam, Aetoliam, Atticam, Argos, Corinthumque Peloponneſi partes præcipuas. Nec tantùm continentis prouinciæ plenæ ſunt colonijs Iudaicis, ſed & inſularum celeberrimæ, Eubœa, Cyprus, Creta, ne quid dicam de Tranſeuphratenſibus. Excepta enim parua parte Babylonis, & aliarum præfecturarum, omnes vrbes, quæ bonum agrum habent, à Iudæis incoluntur. Itaque ſi exorat mea patria tuam clementiam, præter ipſam alias ciuitates demereberis plurimas, ſitas in diuerſis orbis tractibus, Aſiæ, Europa, Africa, inſulares, maritimas, mediterraneas.*

2. Cum igitur ex prædicto Philonis teſtimonio conſtet, Hieroſolymam Iudaicarum Coloniarum toto orbe diſperſarum matrem fuiſſe, facilè quoquè apparet, quam ob rem Iudæi tempore Apoſtolicæ prædicationis Hieroſolymis ex totius mundi regionibus, vel vt Actorum 2. cap. refert Sanctus Lucas, *ex omni natione, quæ ſub cælo eſt*, reperti ſint. Vt enim ibidem ſubiungitur, variarum linguarum populi intellexerunt Apoſtolos in illo idiomate, quod in regionibus ſuis edocti erant, Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoquè, & Proſelyti, Cretes, & Arabes. Vbi variæ Iudæorum nationes deſcribi videntur à Sancto Luca, quæ ex alijs regionibus ad ciuitatem illam conuenerant ob paſchatis

feſtum, quod in templo ſingulis annis à cunctis celebrari conſueuerat, teſtante pleriſque in locis Ioſepho Hebræo, quòd ingens Iudæorum multitudo ad feſtum paſchatis coadunata erat. Quarè Chriſtus Hieroſolymis in feſto paſchatis crucifigi voluit, vt ſalutem noſtram operaretur in conſpectu omnium gentium, Apoſtoliſque ſuis præcepit, ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed ibi aliquandiù prædicarent: faciliùs enim Iudæorum ope per mundum vniuerſum diuulgari poterat Apoſtolicæ prædicationis fama, ſicque oſtium aperiebatur ad prædicandum per regiones, & prouincias Euangelium.

3. Enimuerò redeuntibus ad propria Iudæis, & famam miraculorum, quibus Apoſtoli fidem confirmabant, per prouincias circumferentibus, Apoſtoli poſt diuiſionem aditum apud Iudęos inuenerunt, quibus primùm iuxta Chriſti mandatum prædicare debebant, antequàm ſe ad Gentes conuertere poterant. Vnde Petrus primam ſuam epiſtolam ſcripſit *Electis Aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ*; id eſt Iudæis illis, qui in prima perſecutione, in qua Stephanus occubuerat, diſperſi erant per illas prouincias. Non enim Petrus initio Euangelicæ prędicationis alijs, quàm Iudæis, fidem annuntiauit, referente Scriptura Actorum 10. Petrum lintei è cælo deſcendentis viſione adactum fuiſſe ad Cornelium cohortis Italicæ centurionem in fide inſtruendum, obſtupentibus tum primùm Iudæis, *quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſſet*. Quarè & idem Petrus Act. 15. in Synodo Hieroſolymitana: *Viri fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere*. Hæc Petrus præſente Paulo, *& narrante coram tota Synodo, quanta Deus feciſſet ſigna, & prodigia in Gentibus*, quibus prædicauerat, poſtquàm Iudæi Euangelium reſpuerant. Paulus enim Petrum imitatus, primùm Iudæis prædicabat in ſynagogis. Cuius quidem veritatis teſtimonium habemus Actorum 15. cap. vbi Paulus ad Iudæos Antiochiæ Piſidiæ dixit: *Vobis oportebat primùm loqui ſermonem, ſed quoniam repellitis illum, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes*. Sicque primùm in omni ciuitate, per quam tranſibat idem Apoſtolus, prædicauit Euangelium Iudæis, & diſputauit in ſynagogis eorum, & cum Romam vinctus perueniſſet, Actorum 28. capite conuocauit *primos Iudæorum*. Fuerunt autem Romę (vt ſcribit Philo in legatione ad Caium) pluſquàm octo millia, ad quos iamdudùm Apoſtolicæ prædicationis fama peruenerat, affirmantibus apud Lucam Iudæis Romanis:

nis: *Nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur.* Cumque illi ipſi Iudæi reſpuerent verbum Euangelij, minatus eſt eis Paulus dicens: *Notum ſit ergò vobis, quòd etiam Gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient.*

4. Porrò aliud quoquè diuina prouidentia diſpoſuit, vt fides per Orbem breui temporis ſpatio propagaretur, quòd nimirùm vrbs Roma tot gentibus imperaret, per quarum regiones Iudæi diſperſi erant. Hinc Leo Magnus ſermone 80. in natali Apoſtolorum Petri & Pauli: *Vt autem huius inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum Regnum diuina prouidentia præparauit, cuius ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum vndique gentium vicina & contigua eſſet vniuerſitas. Diſpoſito namque diuinitùs operi maximè congruebat, vt multa Regna vno confœderarentur imperio, & citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis.* Varia itaque mundi regna, vel Romanæ Vrbi ſubdebantur, vel eius imperij limitibus contigua erant, vt Apoſtoli cunctis mundi nationibus citiùs, & faciliùs fidem annuntiare poſſent. Quod Diuus Ambroſius quoquè obſeruat enarratione in pſalmum 45. ad hæc verba: *Auferens bella vſque ad fines terræ. Factum eſt*, inquit, *vt tædio bellorum ciuilium Auguſto Romanum deferretur Imperium, vt rectè per totum orbem Apoſtoli mitterentur, dicente Domino IESV: Euntes docete omnes gentes. Illis quidem etiam interclusa barbaricis montibus regna patuerunt, vt Thomæ India, Matthæo Perſia: ſed tamen quò plura obirent ſpatia terrarum, in exortu Eccleſiæ poteſtatem Romani Imperij toto orbe diffudit, & diſſidentium mentes, terrarumque diuortia donata pace compoſuit. Didicerunt omnes homines ſub vno terrarum imperio viuentes vnius omnipotentis imperium fideli eloquio confiteri.*

5. Præclara ſunt Diui Ambroſij, & Leonis Magni teſtimonia, ex quibus dignoſcitur æternæ ſapientiæ conſilium in diſpoſitione Regnorum & Gentium tempore prædicationis Euangelicæ, quam Apoſtolis commiſit, quos ignaros, & imperitos verbo ſuo erudiuit, aſſerente Origene libro 3. contra Celſum: *Doctrina eorum, qui primi laborauerunt in conſtituendis Eccleſijs, ipſaque prædicatio habuit quidem ſuadelam, at non qualem profeſſores ſapientiæ Platonicæ, aut alterius hominis nihil ſupra humanam naturam habentis: ſed fuit Apoſtolorum IESV perſuaſio data diuinitùs per fidem inſpiratam efficax. Quapropter celerrimè cucurrit eorum prædi-*

*catio, vel Dei potiùs eorum miniſterio*. Poſuerat igitur Chriſtus verbum ſuum in ore Apoſtolorum, qui varias linguas diuinitùs edocti in omnes totius orbis prouincias diſceſſerunt, & breui temporis ſpatio mundi populos ad fidem conuerterunt. Quarè Euſebius libro 3. hiſtoriæ cap. 18. ſcribit, quòd Apoſtoli quamquàm *linguæ elegantis & diſerti ſermonis rudes & ignari; aperta tamen & manifeſta docendi ratione per ſanctum Spiritum ipſis opem ferentem infuſa, & ſola Chriſti virtute tot miraculorum effectrice per ipſorum doctrinam, & res geſtas pleniùs peruulgata vtentes, Regni cælorum notitiam toti orbi manifeſtarunt*. Ideo non tam Apoſtolis, quàm Deo ipſi tribuit mundi conuerſionem Chryſoſtomus aſſerens in hom. 3. Epiſtolæ 1. ad Corinthios capite 1. quòd Apoſtoli non humanam ſapientiam in ſchola Platonis edocti, *Sed rudes, agreſtes, & imperiti cum veniſſent ex Palæſtina procul ſita, Philoſophis, Oratoribus, & ijs, qui magna dicendi facultate præditi, expulſis omnibus, eos paruo temporis ſpatio vicerunt, cum multis periculis, populis, & regibus reſiſtentibus, ipſa pugnante natura, temporis antiquitate, & longa acriter aduerſante conſuetudine, dæmonibus armatis, & diabolo ſtante in acie, & nihil non mouente; vicerunt, inquam, Reges, Principes, Populos, Gentes, Barbaros, Græcos, Philoſophos, Oratores, Sophiſtas, & qui ſoluta ſcribunt oratione leges, iudicia, varia ſupplicia, innumerabile & omne genus mortis. Sed tamen hæc omnia refellebantur, & cedebant loquentibus piſcatoribus, non ſecùs atque puluis tenuis, qui vehementium ventorum ferre non poteſt impetum*. Maximo proindè miraculo adſcribit Chryſoſtomus, quòd *fortes vicerunt imbecilli, duodecim vniuerſum orbem terræ: non ij ſolùm armis vtentes, ſed nudi pugnantes aduersùs benè armatos*. Hæc ibi Chryſoſtomus, plurimis argumentis demonſtrans admirabilem Dei potentiam in conuerſione tam repentina, tam ſubitanea orbis terrarum; affirmanſque exindè contra omnes gentiles demonſtrari, Chriſtum fuiſſe Deum. In ſermone itaque ea de re edito Tomo 5. operum ſuorum inquit: *Etenim hinc faciemus demonſtrationem virtutis Chriſti, & oſtendemus ipſum Deum. Etenim non eſt puri hominis in tantis rebus orbem terræ, marique tam breui tempore comprehendere, & tam abſurdis moribus præuentum, tantiſque malis irretitum liberare humanum genus, & non Romanos tantùm, ſed & Perſas, & omne (vt ſic dicam) Barbarorum genus. Inſuper quòd hæc confecit nulla prælia committens, ſed per vndecim viros principiò ignobiles, viles, rudes, idiotas,*

pau-

*pauperes, nudos, perſuaſit tot hominum tribubus, idque non præſentibus ſolùm, ſed & futuris.* Hæc ibi Chryſoſtomus, qui hoc argumenti genere affirmat Chriſti diuinitatem, quam Apoſtoli prædicarunt, adeò manifeſtam reddi, vt à nemine rationis compote negari poſſit.

6. Eodem fermè argumento vtitur magnus Auguſtinus libro 22. de ciuitate Dei cap. 5. obſeruans, quòd mundus *propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus teſtibus multò mirabiliùs diuinitas ſeipſa perſuaſit. Eloquia namque perſuadentium, quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba. Qui enim Chriſtum in carne reſurrexiſſe, & cum illa in cælum aſcendiſſe non viderant, id ſe vidiſſe narrantibus, non loquentibus tantùm, ſed etiam mira facientibus ſigna credebant. Homines quippè, quos vnius, vel vt multum duarum linguarum fuiſſe nouerant, repentè linguis omnium gentium loquentes mirabiliter audiebant.* Addit plura miracula, quibus Chriſtus prædixerat, mundum ad fidem conuertendum, & inter ea, vt vidimus, Auguſtinus primo loco donum linguarum recenſet, ſicut & Spiritus ſancti illud primo loco Apoſtolis tribuerat. Quarè Gregorius Nazianzenus & Chryſoſtomus oratione 35. in epiſt. 1. ad Corinth. capite 13. petentibus; cur donum linguarum ante alia acceperant Apoſtoli? reſpondent, id factum, quia in omnes mundi partes erant peruaſuri: & ſicut in tempore, quo facta eſt turris, lingua, quæ erat vna, diſſecabatur in multos; ita tunc quæ erant multæ, reperiri debebant in vno homine, vt gentes, quæ varietate linguarum diſperſæ erant, nunc per varias linguas, quas vnus idemque homo virtute Spiritus ſancti loquebatur, in vnam Eccleſiam faciliùs adunarentur. Vnde Leo Magnus ſcribit ſerm. 80. quòd Apoſtoli accepta *per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum imbuendum Euangelio mundum ſuſceperint*. Atque hæc ſufficiant de mirabili orbis terrarum conuerſione, quam Deus per Apoſtolos breui temporis ſpatio effecit. Nunc repetemus prædicationis Apoſtolicæ hiſtoriam, & quando, ac quibus in locis fides noſtra ab Apoſtolis prædicata ſit, quàm breuiſſimè poſſumus, inueſtigabimus, quod probabilius cenſemus eligentes.

# ANNALES

## PRAEDICATIONIS APOSTOLICAE.

### PER VARIAS REGIONES ET CIVITATES.

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| 1. | Tiberij Proconſularis Imperij 19. à morte Auguſti 16. | Ieroſolyma. | Chriſtus præſentibus Apoſtolis, quos *eduxerat foras in Bethaniam* Lucæ capite 24. & a vltimo, verſu 50. pertinentem ad montem Oliueti ex Lucæ 19. verſ. 29. poſtquàm commiſit ipſis prædicationem eundo in vniuerſum orbem Marci cap. 16. verſ. 15. *& eleuatis manibus benedixit eis* Lucæ cap. 24. in cælum aſcendens præcepit eis Actor. 1. cap. verſ. 4. *ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed exſpectarent promiſſionem Patris*. Et verſu 12. b ac ſeq. *Tunc reuerſi ſunt Ieroſolymam à monte, qui vocatur Olineti, qui eſt iuxta Ieruſalem ſabbati habens iter. Et cum introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt, vbi manebat Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre* c *IESV & fratribus eius*. Et verſu 15. cum fratres ferè centum & viginti in vnum conueniſſent, in locum Iudæ proditoris electus eſt Matthias. Er ver. 26. *annumeratus eſt cum vn-* d *decim Apoſtolis*. Hi autem in die Pentecoſtes nempe quinquageſimo die ſeu poſt 7. hebdomadas enumeratas à die Paſchatis iuxta Leu. cap. 23. verſ. 16. cum adeſſent Hieroſolymis ad ſolemnitatem Iudæi ex omni natione, acceperunt Spiritum ſanctum. Et capite 2. Petro prædicante conuerſi ſunt multi, nam verſ. 41. *Appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Hieruſalem fiebant, & metus magnus erat in vniuerſis. Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.* & verſ. 47. *Deus* |

autem

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| | | | |

e *autem augebat, qui ſalui fierent quotidie.* Et
poſt ſanationem claudi nati; ſedentis ad
portam ſpecioſam quadraginta annorum
cap. 3. & prædicarionem Petri accurrenti
populo, additur cap. 4. verſu 4. *Et factus eſt*
f *numerus virorum quinque millia.* Quamuìs
veró Petrus, & adducti ad Concilium pro-
hibiti fuiſſent prædicare, conſtanter dixerunt,
ſe non poſſe non loqui. Iunctis verò cæ-
teris credentibus, & orantibus pro prædica-
tione Euangelij cum fiducia, verſ. 31. dicitur:
*Cum oraſſent, motus eſt locus, in quo erant con-*
*gregati, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, &*
g *loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Cap. 5.
verſ. 12. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant*
*ſigna & prodigia multa in plebe ..... magni-*
*ficabat eos populus. Magis autem augebatur*
*credentium in Domino multitudo virorum, ac*
*mulierum.* Et vt ſanarentur, *concurrebat mul-*
*titudo vicinarum ciuitatum Ieruſalem.* Inde
h verſ. 18. capti Apoſtoli, & per Angelum li-
berati noctu, vt in templo prædicarent, ad
Concilium adducti, & increpari à Principe
Sacerdotum: *Præcipiendo præcepimus vobis,*
*ne doceretis in nomine iſto; & ecce repleſtis Ie-*
*ruſalem doctrina veſtra ... Reſpondens Petrus &*
*Apoſtoli dixerunt: Obedire oportet Deo magìs*
*quàm hominibus.* Poſt conſultationem verò
*conuocantes Apoſtolos cæſis denuntiauerunt, ne*
*omninò loquerentur in nomine Ieſu .... Et*
*illi quidem ibant ..... Omni autem die non*
*ceſſabant in templo & circa domos docentes,*
*& euangelizantes Chriſtum Ieſum.* Cap. 6.
verſu 1. *Creſcente autem numero diſcipulorum,*
i ex Apoſtolorum præcepto fideles *elegerunt*
ſeptem Diaconos: *Stephanum virum plenum*
*fide & Spiritu ſancto, & Philippum, & Pro-*
*chorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parme-*
*nam, & Nicolaum aduenam Antiochenum.*
Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolo-
rum, & ab ijs ordinati ſunt. Et verſu 7. *Et*
*verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur*
*numerus diſcipulorum in Ieruſalem valdè.*
*Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.*

Ste-

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| 2. | Tiberij Proconſularis Imperij 20. à morte Auguſti. 17. | Iudæa, & Samaria. a b | Stephano Diacono lapidibus obruto *facta eſt perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis* Actor. 8. cap. verſ. 1. *& diſcipuli omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apoſtolos.* Ex quibus verbis S. Iſidorus Peluſiota epiſt. 448. deducit, Apoſtolos in vrbe Hieroſolymitana remanſiſſe, diſcipulos autem, *qui diſperſi erant, pertranſiſſe euangelizantes verbum Dei*, vt verſ. 4. Lucas teſtatur. Porrò inter hos diſcipulos fuit |
| | | c Ciuitas Samariæ, quæ & Sebaſte. d e | *Philippus* Diaconus, qui verſ. 5. *deſcendens in ciuitatem Samariæ prædicauit*, factaque multitudinis magnæ conuerſione, adeò vt ex verſ. 14. *audierint Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei*, Petrus & Ioannes illùc ſe contulerunt ad conferendum Spiritum ſanctum. Quo facto ait Lucas ibid. verſ. 25. *Et illi quidem teſtificati & locuti verbum Domini redibant Ieroſolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.* Philippus verò Angeli monitu pergens *contra meridianum ad viam, quæ deſcendit ab Hieruſalem in Gazam, quæ eſt deſerta* (ex quo deſtruxerat eam Alexander Magnus) inuenit, conuertit, & baptizauit Eunuchum Candaeis Reginæ, inde raptus à |
| | | Azotum, & maritimæ regionis ciuitates vſque ad Cæſaream. | Spiritu *inuentus eſt in Azoto, & pertranſiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream.* Quòd autem hic Philippus non fuerit Apoſtolus, ſed Diaconus, probat idem Iſidorus Peluſiota epiſt. 449. ad Antiochum. *Nam*, inquit, *cum Apoſtoli ſoli in vrbe Hieroſolymitana remanſiſſent, cæterique omnes diſcipuli, alius in alium locum diſperſi fuiſſent, inter diſperſos hic etiam Philippus erat, qui & Simonem Chriſtianæ fidei præceptis in Samaria informauit, Eunucho iuxta diuinum oraculum baptizato à Domini Spiritu abreptus in Azoto quidem inuentus eſt, poſt autem Cæſaream, quæ vrbs eum extulerat, ſe contulit.* |
| | | Damaſcus ciuitas, & Arabiæ regio. f | Sed iam anteà cum perſecutio mota eſt, diſcipuli ex Ieroſolymorum vrbe diſceſſerunt, ibi remanentibus Apoſtolis Ananias vnus ex diſcipulis, qui diſperſi erant, Damaſcum peruenerat Actorum 9. capite verſ. 10. *Erat autem quidam diſcipulus Damaſci nomine Ananias.* Erant & alij ibidem; vbi enim Saulus ad fidem conuerſus Damaſci ab Anania baptizatus eſt, *fuit cum diſcipulis, qui erant Damaſci, per dies aliquot*, vt verſu 19. narratur. Saulus autem poſtquàm con- |

| Anni à morte Christi. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| | | Arabia, Damaſcus. | g *continuò in Synagogis* Damaſci *prædicauerat* Chriſtum Iudæos confundendo, vt Actorum cap. 9. *abijt in Arabiam, & iterum reuerſus eſt Damaſcum*, vt epiſtola ad Galatas cap. 1. verſ. 17. teſtatur, addens epiſtola 2. ad Corinthios cap. 11. verſ. 32. *Damaſci præpoſitus* h *gentis Aretæ Regis cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius*. Id etiam deſcribit Lucas Act. 9. verſ. 25. |
| 5. | Tiberij Proconſularis Imperij 23. à morte Auguſt. 20. | Syria, & Cilicia | Saulus, qui & Paulus, poſt triennium à a conuerſione venit Ieroſolymam ex epiſt. ad Galatas cap. 1. *Deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam audire Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim: alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini*. Vbi cum perſecutionem quoquè pateretur, *fiducialiter agens in nomine Domini loquendo Gentibus, & diſputans cum Græcis*, Act. 9. b verſ. 29. *fratres deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum*. Venit igitur Saulus in c partes Ciliciæ, inde & in Syriam peruenit, vnde epiſtola ad Galatas ſcribit: *Veni in partes Syriæ & Ciliciæ, eram autem ignotus facie Eccleſijs Iudææ, quæ erant in Chriſto*, Actor. 11. cap. verſ. 19. |
| . . . . | . . . . . | Iudæa, Galilæa, Samaria. b Lydda, Saronitana Regio iuxta Lyddam, & Ioppen ſita, Ioppe ipſa. Cæſarea. | Petrus autem Apoſtolus Eccleſias per to- a tam Galilæam, Samariam, & Iudæam viſitaſſe, eaſdemque peragraſſe dicitur Actorum 9. cap. *Eccleſia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ...... Factum eſt autem vt Petrus dum pertranſiret vniuerſos, deueniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ*. Cuius incolas, vti & Saronenſes, ad fidem conuertit, vt verſu 35. eiuſdem capitis traditur. Ioppem inhabitat, edit miracula nonnulla, viſione lintei pleni ſerpentibus animatur ad c prædicandum Euangelium Gentibus, eundo Cæſaream ad Cornelium Centurionem, vbi & prædicat, & conuertit Gentiles. |

| Anni à morte Chri-ſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| . . . . | . . . . . | a Phœnicia, & Cyprus, & Antiochia. | *Et illi quidem, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerunt vſque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam nemini loqnentes verbnm niſi ſolis Iudæis. Erant autem quidam ex eis viri Cypry, & Cyrenæi, qui cnm introiſſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominnm IESVM. Et erat manus Dei cum eis: multnſque numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum.* Act. 11. |
| | | b | Vnde ab Apoſtolis Antiochiam miſſus eſt Barnabas, qui accerſito à Tarſo Saulo, cum eo annum totum permanſit Antiochiæ. *Et annum totnm conuerſati ſunt ibi in Eccleſia: & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentnr primùm Antiochiæ Diſcipnli Chriſtiani*: vt eodem cap. verſ. 26. ſubditur. *Erant autem in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactanens, & Saulus.* Ita cap. 13. verſ. 1. legitur. |
| . . . . | . . . . . | a Inſula Cyprus, eiuſq; ciuitates Salamina & Paphus. | Saulus & Barnabas abierunt Seleuciam ad oſtia Orontis fluuij, & vt Actor. cap. 13. verſu 4. traditur, *inde nauigauernnt Cyprum. Et cum veniſſent Salaminam, prædicabant verbum Dei in ſynagogis Iudæornm. Habebant autem & Ioannem in miniſterio, & cum perambulaſſent vniuerſam Inſulam vſque Paphum.* Ibi conuerſo Paulo Romano Proconſule Saulus cœpit vocari Paulus. Reuerſus eſt |
| | | b Pamphylia, Piſidia, Lycaonia, eiuſque ciuitates Iconium, Lyſtra, & Derbe. | autem poſteà Barnabas Actorum 13. capite verſu 13. *Et cum à Papho nauigaſſent Paulns, & qni cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Ioannes autem diſcedens ab eis reuerſns eſt Hieroſolymam. Illi verò pertranſeuntes Pergen, venerunt Antiochiam Piſidiæ.* Cumque Paulus ibidem prædicaſſet in ſynagoga, & plerique Gentiles etiam conuerſi eſſent, *diſſeminabatur verbum per vniuerſam regionem*, vt verſu 49. ibidem tra- |
| | | c | ditur: cumque Iudæi contra Paulum, & Barnabam perſecutionem excitaſſent, excuſſo puluere pedum in eos, *venernnt Iconium*, verſu 52. Erat autem Iconium Lycaoniæ |
| | | d | Metropolis, vnde etiam expulſi *confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ Lyſtram, & Derben, & vniuerſam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant.* Cap. 14. Actor. verſu 6. |

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| | | Antiochia Piſidiæ. Perge, & Attalia vrbes Pamphiliæ. | ſu 6. *Cumqne euangelizaſſent , & docuiſſent multos , reuerſi ſunt Lyſtram, & Iconium , & Antiochiam confirmantes animas diſcipulorum ,* verſ. 20. & ſeqq. *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias preſbyteros ,* verſ. 22. *tranſeunteſque Piſidiam venerunt in Pamphiliam , & loquentes verbum Domini in Perge , deſcenderunt in Attaliam , & inde nauigauerunt Antiochiam ,* verſ. 23. & ſeq. *Morati ſunt autem tempus non modicum cum diſcipulis ,* verſu 27. |
| 12. | Caij Caligulæ 4. | Cappadocia , Pontus , Galatia , Bithynia , & Aſia. | Intereà Petrus *poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ , & prædicationem diſperſionis eorum , qui de circumciſione crediderunt , in Ponto, Galatia , Cappadocia , Aſia , & Bithynia , Romam peruenit ſub Claudio ,* vt Diuus Hieronymus libro de Scriptoribus in Petrò affirmat , quocum ſentit Leo Magnus ſermone 80. in natali Apoſtolorum Petri & Pauli , Petrum ſic alloquens: *Iam Populos , qui ex circumciſione crediderant , erudieras; iam Antiochenam Eccleſiam , vbi primùm Chriſtiani nominis dignitas eſt orta , fundaueras ; iam Pontum , Galatiam , Cappadociam , Aſiam , atque Bithyniam legibus euangelicæ prædicationis impleueras &c.* Cum enim , vt Tom. 1. huius noſtræ Antiquitatis Eccleſiaſticæ illuſtratæ , qui eſt Chronologicus, pag. 87. diximus , 5. annis Petrus in Iudæa prædicauerit , nempe 29. æræ vulgaris 30. 31. 32. 33. & 7. annis Antiochiæ ſederit , nempe 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. annus vltimus ſedis Antiochenæ , nempe 40. complebat annum 12. qui exigitur iuxta traditionem Apollonij , in cuius fine contigiſſe dicenda eſt Apoſtolorum diuiſio , ſiue ſequentis anni initio. |
| 13. | Claudij 1. | Roma. | Iuxta prædictorum Patrum teſtimonia, facta Apoſtolorum diuiſione Petrus per Cappadociam , Pontum , Galatiam , Bithyniam , & Aſiam prædicando euangelium Romam peruenit ſub Claudio , qui anno 41. Imperium obtinuit , vnde Baronius id factum exiſtimat anno Claudij ſecundo , quo Euſebius & Hieronymus Petri quoquè ad vrbem aduentum ſtatuunt , & quorum ſententiam Baronius ſecutus id inprimis cum ſua Chronologia connectere nequiuit , quod Apollonius tradidit de duode- |

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|

cem annis Hieroſolymis & in vicina Iudæa ab Apoſtolis ante diuiſionem peractis; præſertim, inquit, cum ex Marci Euangelio conſtet, antequàm illud conſcriptum fuit, Apoſtolos profectos vbique Euangelium prædicaſſe. Porrò tertio Claudij anno à Sancto Marco conſcriptum fuiſſe Euangelium, pro comperto habuit, adiungens proinde, Apoſtolos non anno poſt mortem Chriſti 12. ſed 10. fuiſſe diuiſos, & tunc Petrum Romam veniſſe anno Claudij ſecundo, ibidemque permanſiſſe vſque ad annum Claudij nonum, quo iuxta Oroſium Iudæi omnes Roma pulſi ſunt, ſcribente Suetonio, quòd Claudius *Iudæos impulſore Chriſto aſſiduè tumultuantes Roma expulit*. Hac enim occaſione, inquit Baronius ad annum 39. & 51. Petrus cum Chriſtianis Iudæis Roma pulſis in orientem reuerſus eſt, vbi Concilio Hieroſolymitano interfuit, ſcribente Paulo epiſtola ad Galatas, quòd anno 17. à ſua conuerſione Petrum, Iacobum, & Ioannem Ieroſolymis repererit; & tamdiù moratus eſt, quamdiù Claudius vixit: eoque mortuo Petrum rediiſſe ad vrbem ſub Nerone, à quo tandem interemptus fuit. Hæc Annalium parentis ſententia, quæ noſtræ Chronologiæ minimè concinit, tum ob alias rationes, tum ob illam potiſſimùm, quòd neque 12. annos ante Apoſtolorum diuiſionem admittat, neque Petro Hieroſolymis tempus tribuat, quo ibidem in carcerem coniectus fuit vltimis Agrippæ temporibus, quæ quartum Claudij annum non excedunt. Narrat enim Sanctus Lucas Actorum 12. cap. quòd tempore famis ab Agabo prædictæ, quæ ſub Claudio fuit, eiuſque anno ſecundo cœpit, Herodes occiderit Iacobum fratrem Ioannis gladio, & videns quia placeret Iudæis, appoſuerit vt apprehenderet & Petrum. Petrus itaque regnante Claudio, tempore famis ab Agabo prædictæ, ab Herode Agrippa Iudæorum Rege Hieroſolymis in vincula coniectus fuit, quod inter ſecundum & quartum Claudij annum contingere debuit. Accedit Petrum interfuiſſe Concilio Hieroſolymitano, quod Paulus epiſt. ad Galatas cap. 2. teſtatur celebratum fuiſſe anno 17. à ſua conuerſione, qui concurrit cum anno à morte Chriſti 19. ſi cum Chryſoſtomo Pauli conuerſionem ponamus anno 2. poſt

paſ-

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| | | | paſſionem eiuſdem. Porrò annus à morte Chriſti 19. cum Claudij anno 7. concurrit: vnde planè conſequitur, eodem Claudij anno Petrum non Romæ, ſed Hieroſolymis fuiſſe: quod in noſtra Chronologia fieri omninò potuit, vt ex ſequentibus conſtabit. |
| 15. | Claudij 3. | Iudæa | Vbi enim Petrus anno Claudij tertio Roma a diſceſſit, in Iudæam reuerſus eſt, eo tempore, quo grauiſſima illa fames inualuit, quam Agabus teſte Luca Act. 11. c. verſ. vltimo prædixerat *futuram in vniuerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio.* Cœpit namque anno eius ſecundo, & durauit anno ſequente, quo Agrippa Iudæorum Rex Petrum b in vincula coniecit Ieroſolymis. *Eodem autem tempore*, inquit Lucas Actor. 12. cap. *miſit Herodes Rex manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit vt apprehenderet & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo.* Petrus igitur ab Herode Agrippa Ieroſolymis coniectus eſt in carcerem eodem tempore, quo fames ſub Claudio inualuerat: & licèt inter duos milites vinctus eſſet catenis duabus, ope tamen Angelica à catenis ſolutus, & è carcere eductus, cum ea de re fideles, qui pro eo in domo Mariæ matris Ioannis orabant, monuiſſet, *abijt in alium locum*, vt Lucas Actorum cap. 12. verſ. 17. refert. Porrò alius ille locus non videtur fuiſſe extra Ieroſolymam, cum ibidem fuerit anno 17. à conuerſione Pauli Apoſtoli. Scribit enim Paulus epiſtola ad Galatas cap. 1. ſe c primùm Ieroſolymam veniſſe poſt annos tres à conuerſione, *Deinde*, inquit cap. 2. *poſt annos quatuordecim iterùm aſcendi Ieroſolymam. Poſt annos decem & ſeptem*, inquit D. Hieronymus in comment. ad hunc locum, à prima ſua conuerſione Paulus iterùm Ieroſolymam venit, quando ibidem reperit inter alios Petrum, quem Cepham vocat, aſſeritque verſu 9. eum cum Iacobo, & Ioanne ſibi dexteras dediſſe ſocietatis. |

Pe-

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| 19. | Claudij 7. | Concilium de legalibus habitum Hieroſolymis. a<br>b<br>Syria, Cilicia Derbe, Lyſtra, Phrygia, Galatia, Myſia. c<br>d<br>e<br>Macedonia, eiuſque Ciuitates, Philippi, Amphipolis, Apollonia, Theſſalonica, Berrhœa, Athenæ. f<br>g | Petrus igitur tunc Ieroſolymis erat, quod & Lucas teſtatur Actorum 15. cap. vbi Petrum Concilio de legalibus interfuiſſe, & primam dixiſſe ſententiam affirmat. Poſt quod tempus Lucas quidem nullam amplius mentionem facit in Actis Apoſtolorum de Petro, quia Pauli comes factus eiuſdem itinera, & acta in ſequentibus deſcribit, reliquorum verò Apoſtolorum omiſit. Supplet autem defectum aliquem Paulus epiſt. ad Galatas capite 2. ſupra citato, vbi poſt Concilium Hieroſolymitanum refert, Petrum veniſſe Antiochiam: *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti.* Paulus igitur poſt Concilium Hieroſolymitanum de obſeruatione legalium, rediuit Antiochiam, & aſſumpto Sila viſitauit fratres per ciuitates, in quibus prædicauerat. *Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam confirmans Eccleſias.* Actor. cap. 15. verſu 41. indeque *peruenit Derben, & Lyſtram* cap. 16. verſ. 1. *Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia* .... verſu 6. ..... *Cum autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem* verſ. 8. *Nauigantes autem à Troade, recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas.* verſu 11. & ſeqq. Cumque Philippis aliquandiu prædicaſſent, *perambulantes Amphipolim & Apolloniam, venerunt Theſſalonicam.* Actor. 17. cap. verſ. 1. Vnde Paulus à fratribus dimiſſus eſt *Berrhœam* verſ. 10. indeque deducitur vſque *Athenas* verſ. 15. vbi in Areopago prædicauit, & Dionyſium conuertit verſu 34. qui Athenienſis Epiſcopus fuit, vt antiquorum teſtimonijs comprobatur. |
| 20. & 21. | Claudij 9. | Corinthus. a<br>b | *Poſt hæc egreſſus ab Athenis, venit Corinthum. Et inueniens quemdam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam vxorem eius (eò quòd præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos à Roma) acceſſit ad eos,* Actor. cap. 18. verſ. 1. & ſeq. Cumque ibi *annum, & ſex menſes docuiſſet,* orta contra eum perſecutione fratribus valedixit, & *nauigauit in Syriam, & cum eo Priſcilla & Aquila* verſ. 11. & ſeq. Ex his autem |

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| | | Illyricum. | tem patet, verum eſſe, quod Origenes apud Euſebium libro 3. cap. 1. tradit de Paulo, quòd *ab Hieruſalem ad Illyricum vſque prædicauerit*: quod Paulus de ſe ipſo ſcribit epiſt. ad Roman. cap. 15. verſ. 19. |
| | | Antiochia.<br>Aſia eiuſque ciuitas Epheſus.<br>Troas, Aſſus, Mitylene, Miletum, Cous, Rhodus, Patara, Tyrus, Ptolemais, Cæſarea. | a Paulus ex Aſia via maritima Cæſaream peruenit, & iterùm Ieroſolymam redijt, ac ſalutata Eccleſia, *deſcendit Antiochiam, & b facto ibi aliquanto tempore profectus eſt, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam confirmans omnes diſcipulos*, Actor. 18. cap. verſ. 23. *Factum eſt autem, vt Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum*, Actor. 19. verſ. 1. Vbi per tres menſes c diſputauit in ſynagogis, & per biennium in ſchola Tyranni cuiuſdam, *ita vt omnes qui habitabant in Aſia, audirent verbum Domini Iudæi atque Gentiles*. Ibid. verſ. 10. Cum d autem animo propoſuiſſet tranſita Macedonia, & Achaia ire Ieroſolymam, ipſe tamen *remanſit ad tempus in Aſia*, verſ. 22. Poſt quod perambulauit partes Macedoniæ, & e Græciæ, vnde epiſtolam ad Romanos ſcripſit, in qua Aquilam ad vrbem reuerſum ſalutari cupit, & ipſe tribus menſibus in Græ- f cia peractis reuerſus eſt in Macedoniam, & è portu Philippenſi ſoluens venit Troadem, inde Aſſon, Mitylenem, & Miletum, vt Actor. cap. 20. & inde Coum, Rhodum, ac Pataram peruenit, vnde Tyrum, Ptolemaidem, & Cæſaream appulit, ac apud Philippum vnum ex ſeptem Diaconis, qui g ibi cum quatuor filiabus ſuis commorabatur, hoſpitatus eſt per dies aliquot. |
| 25. & 26. | Claudij vlt. | Ieroſolyma. | Ijſque peractis venit rursùs Ieroſolymam, a vbi à Iudæis perſecutionem paſſus à Lyſia tribuno militum capitur, vt Actor. 21. cap. narratur. Paulus autem Cæſaream ad Felicem b Præſidem ductus eſt, vbi in libero carcere detentus eſt, donec expleto biennio accepit ſucceſſorem Felix Portium Feſtum, vt Actorum 24. verſ. 27. traditur. Feſtus autem à Nerone in Iudæam miſſus eſt, ad quem cum Paulus Actor. 25. verſ. 15. appellaſſet, c tandem Romam miſſus eſt: quod Euſebius in Chronico ad annum Neronis ſecundum re- |

| Anni à morte Christi. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| | | | refert, vnde D. Hieronymus libro de Scriptoribus in Paulo: *Hoc tantùm dicam, quòd poſt paſſionem Domini vigeſimo & quinto anno, id eſt ſecundo Neronis, eo tempore, quo Feſtus Procurator Iudææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mittitur*. Annus Neronis ſecundus cum anno à paſſione Domini 27. concurrit, non cum anno 25. ſcribente Lactantio, quòd à morte Chriſti ad principium Neroniani Imperij anni 25. intercedant. Anno autem 25. poſt mortem Chriſti Paulus captus fuit à Tribuno Lyſia Hieroſolymis circa finem Imperij Claudij, biennio autem in carcere Cæſareæ exacto, Romam miſſus eſt anno ſecundo Neronis circa autumnum, quæ duo cum in vnum confunderentur, D. Hieronymo occaſionem præbuerunt, connectendi annum ſecundum Neronis cum anno 25. à morte Chriſti, biennio à Chronologia hac in re deflectenti. Porrò Paulus ex Syria ſoluit ante hyemem, & difficili itinere vſus |
| | | Melita Inſula. | naufragium fecit ad Inſulam Melitenſem, vbi per tres menſes manſit, multaque miracula operatus eſt, vt Act. 28. S. Lucas narrat, qui verſ. 11. & ſequentibus reliquum |
| | | d | iter his verbis deſcribit: *Poſt menſes autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in Inſula hyemauerat, cui erat inſigne Caſtrorum.* |
| | | Syracuſa, Rhegium, Puteolis. | *Et cum veniſſemus Syracuſam, manſimus ibi triduo. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium, & poſt vnum diem flante auſtro ſecunda die venimus Puteolos:* |
| | | e | *vbi inuentis fratribus rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem, & ſic venimus Romam. Et inde cum audiſſent fratres,* |
| | | f | *occurrerunt nobis vſque ad Appij forum, ac tres tabernas*. Ad quæ verba notat Baronius Tomo 1. ann. 59. Appij forum, vt colligitur ex Plinio lib. 14. cap. 6. in agro Reatino via Appia ad 51. millia paſſuum ab Vrbe fuiſſe poſitum; Tres tabernas verò contra Antium ad 33. ab vrbe lapidem iuxta Antoninum fuiſſe poſitas: Vnde & Baronius concludit, quanti Paulum fecerint Romani fideles, dum illi vincto licèt ad tot millia extra vrbem occurrerunt, quos cum vidiſſet Paulus, inquit Lucas Actor. 28. verſ. 15. gratias agens Deo *accepit fiduciam*. |

*Cum*

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
| --- | --- | --- | --- |
| 27. | Neronis 2. | Roma. | *Cum autem veniſſemus Romam*, pergit ibidem Pauli comes S. Lucas, *permiſſum eſt Paulo manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite*. Et ver. 30. *Manſit autem biennio toto in ſuo conducto*, ideſt domo conducta, & verſ. 31. *Et ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans Regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino IESV Chriſto, cum omni fiducia ſine prohibitione*. Hoc igitur tempore ſcripſit Paulus ex carcere epiſtolas quatuor, quarum prima eſt ad Epheſios, in qua capite 3. verſ. 1. *Ego Paulus vinctus Chriſti*. Et cap. 4. verſ. 1. *Ego vinctus in Domino*. Et cap. 6. verſ. 10. *Pro quo legatione fungor in catena*. Et verſ. 21. affirmat, ſe per Tychicum hanc epiſtolam miſiſſe, qui cætera de ipſo narraret Epheſijs. Secunda eſt ad Philippenſes, in qua cap. 1. verſ. 13. teſtatur, quòd vincula ſua manifeſta eſſent in omni Prætorio: ſcribitque cap. 2. verſu 19. ſe citò Timotheum ad ipſos miſſurum: & cap. 1. ſe rurſùs ad eos venturum. Tertia epiſtola eſt ad Coloſſenſes, in qua cap. 4. verſ. 10. Ariſtarchum vocat *concaptiuum* ſuum: & verſ. 18. rogat, vt memores ſint *vinculorum ſuorum*. Quarta eſt ad Philemonem, quæ incipit, *Paulus vinctus*. Iubet ibidem ſibi præparari hoſpitium Coloſſis, nam Paulus biennio exacto, vt tempus primæ defenſionis apud Neronem nactus erat, ab omnibus derelictus fuit, vt ſecunda epiſtola ad Timotheum cap. 4. narrat his verbis: *In prima mea defenſione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes; & liberatus ſum de ore Leonis*. Sic *Neronem vocat*, inquit Diuus Hieronymus lib. de Scriptoribus, addens ab eo abſolutum fuiſſe. |
| 31. | Neronis 7. | Apoſtolus Iacobus Hieroſolymis obit. | Intereà autem Iacobus Apoſtolus, & Hieroſolymorum Epiſcopus, quem Paulus antequàm vinctus Romam perduceretur, Hieroſolymis reliquerat, à Iudæis occiditur, vt Hegeſippus lib. 5. hiſtoriæ narrat. Refert enim Euſebius lib. 2. cap. 21. id contigiſſe, dum Paulus à Feſto Romam miſſus erat, additque Sanctus Hieronymus libro de Scriptoribus, cum Iacobus 30. annis Eccleſiam |

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum [illegible] teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| | | | illam adminiſtraſſet, ac Nero ſeptimum annum Imperij ageret. |
| .... | .... | Italia. | Paulus autem Roma diſceſſit, vt audirent Gentes, & per ipſum *prædicatio impleretur*, ſcribente quoquè Euſebio libro 2. cap. 25. *Tandem cum pro ſe in iudicio reſpondiſſet, traditum eſt, eum ad Euangelium paſſim prædicandum ſe denuò recepiſſe*. Et D. Hieronymus lib. de Scriptoribus in Paulo ex hiſtorijs refert, *Paulum à Nerone dimiſſum, vt Euangelium Chriſti in Occidentis quoquè partibus prædicaret*. In quibus autem Occidentis partibus prædicauerit Paulus poſt ſuam è carcere liberationem, non ita facilè ſtatuitur, cum hìc deſinant Acta Apoſtolica à Luca Pauli comite conſcripta. Videtur autem per Italiam inprimis prædicaſſe, quia inde epiſtolam ad Hebræos ſcripſit, in qua capite 13. verſu vltimo refert: *Salutant vos de Italia fratres*. |
| .... | .... | Hiſpania. | Ex Italia verò in Hiſpaniam profectus videtur, quò ſe iturum promiſerat epiſtola ad Romanos cap. 15. verſ. 24. *Cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos*. Et verſu 28. *Per vos proficiſcar in Hiſpaniam*. Quod reuerà contigiſſe, ex Clemente Pauli diſcipulo, & quarto Romanorum Epiſcopo colligitur, vtpotè qui epiſtola ad Corinthios teſtatur, *eum ad Occidentis terminos* progreſſum fuiſſe: hoc enim dici non poſſet, ſi vltra Italiam non prædicaſſet in Hiſpanijs, quæ Occidentis termini meritò vocātur à Clemente, quia Oceano adiacent, qui Europam ab occidente terminat. Vnde Diuus Hieronymus cap. 5. Amos Prophetæ, cum dixiſſet, quód Paulus *à mari rubro, imò ab Oceano vſque ad Oceanum* prædicauerit, ad vſque Hiſpanias proceſſiſſe ibidem affirmat. Cui concinit Chryſoſtomus homil. 7. in Paulum ſcribens: *Cum igitur biennium Romæ exegiſſet in vinculis, tandem dimiſſus eſt, deinde in Hiſpanias profectus*. Et Theodoretus in 2. epiſtol. ad Timotheum cap. vlt. *Quando appellatione vſus Romam à Feſto miſſus defenſione audita fuit abſolutus, & in Hiſpaniam profectus eſt, & ad alias gentes excurrens, eis doctrinæ lucem attulit*. Quænam |

aliæ

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| | | | aliæ Gentes ſint, ad quas Paulus profectus eſt, non refert ibi Theodoretus, Commentarijs tamen in pſal. 116. dicit, quòd Paulus *in Italiam venit, & in Hiſpanias peruenit, & Inſulis, quæ in mari iacent, vtilitatem attulit*. |
| . . . .<br>15. | . . . . | Creta Inſula. | Vbi inter Gentes alias recenſet Inſularum incolas, quorum nonnullos à Paulo ad fidem conuerſos fuiſſe, ex Cretenſibus conſtat, quibus Euangelium prædicauit, ipſo Paulo ſcribente ad Titum cap. 1. verſu 5. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicuti & ego diſpoſui tibi.*<br>Sunt qui Paulum è Creta in Iudæam nauigaſſe affirmant, quia in ſua ad Hebræos epiſtola, orationes ipſorum poſtulauerat, vt celeriùs ad ipſos peruenire poſſet: *Ampliùs autem deprecor vos hoc facere, quò celeriùs reſtituar vobis*. Ita capite 13. & vltimo verſu 19. |
| . . . . | . . . . | Aſia. a<br>Coloſſus. b<br>Miletum. c<br>Epheſus. d | Verùm an Paulus in Iudæam reuerſus ſit, cum nullum aliud de hoc eius reditu teſtimonium reperiatur, vix dicere poſſumus, hoc tantùm colligentes ex eius epiſtolis, quòd poſt ſuam è carcere liberationem in Aſiam venerit, vbi ſibi hoſpitium parari cupierat Coloſſis apud Philemonem, vt epiſtola ad eumdem ex Vrbe ſcripta iubet, verſu 21. *Simul autem & para mihi hoſpitium*. Miletum quoque veniſſe ex epiſtola eius ſecunda ad Timotheum cap. 4. verſu 20. teſtatur, dum de Trophimo ſcribit: *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*. Epheſi prætereà verſatum fuiſſe, ibidemque Timotheum manuũ ſuarum impoſitione ordinatum Epiſcopum reliquiſſe, patet ex epiſtola 2. ad Timotheum cap. 1. verſu 6. vbi rogat eum, vt reſuſcitet gratiam *Dei, quæ eſt*, inquit, *in te per impoſitionem manuum mearum*. Et epiſtol. 1. ad eundem capite 1. verſu 3. *Sicut rogaui te, vt remaneres Epheſi, cum irem in Macedoniam, vt denuntiares quibuſdam, ne aliter docerent &c.* Troadem inſuper appuliſſe, ex 2. eius epiſtola ad Timotheum patet, in qua cap. 4. verſu 13. eum rogat: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas*. Hæc enim omnia in Aſia facta ſunt, ex qua in Macedoniam profectus eſt, |

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| | | Macedonia. Philippi. | e vt epiſtola ſua prima ad Timotheum verbis ſupracitatis teſtatur: *Cum irem in Macedoniam*. Venit autem Philippos, alteram Macedoniæ metropolim, iuxta ea quæ ſcripſerat epiſtola ad Philippenſes cap. 1. verſ. 25. *Et hoc confidens ſcio, quia manebo apud vos*. Et verſu 26. *vt gratulatio veſtra abundet in Chriſto IESV, in me per meum aduentum iterum ad vos*. f In Achaiam quoquè profectum ex eo colligitur, quòd 2. ad Timotheum capite 4. verſ. 20. referat de Eraſto, quòd eum ibidem reliquerit: ſocios enim ſuos enumerans, *Eraſtus*, inquit, *remanſit Corinthi*. g Demùm in Epirum venit, vbi Nicopoli Actiaca pugna illuſtri hybernauit, ſcribens ad Titum cap. 3. num. 3. *Cum miſero ad te Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim, ibi enim ſtatui hyemare*. |
| . . . . | . . . . | Roma. Dalmatia. Galatia. | Poſt hæc omnia Paulus reuerſus eſt Romam, vbi ſub Nerone rurſus in carcerem coniectus fuit, è quo ſecundam ad Timotheum epiſtolam ſcripſit: in qua cap. 1. verſu 8. ſe vinctum Domini vocat. Porrò hac in re Annales correctione aliqua indigent: Baronius enim ad ann. 59. putauit ſecundam ad Timotheum epiſtolam ſcriptam fuiſſe eo ipſo biennio, quo in ſuo conducto manere permittebatur, hoc eſt tempore primæ ſuæ carcerationis, quo eum alias quoquè epiſtolas ſcripſiſſe diximus. Verùm cum illo tempore Timotheus cum Paulo Romæ fuerit, vt patet ex epiſtolis ad Philippenſes, & Coloſſenſes, quas Paulus & Timotheus ſcripſerunt, conſtat ſecundam ad Timotheum epiſtolam tempore ſecundæ carcerationis ſcriptam fuiſſe, vtpotè quo Timotheus Romæ non erat. Vnde cap. 4. verſu 8. iubet Timotheum ad ſe venire; *Feſtina ad me venire citò*. Et verſu 21. *Feſtina ante hyemem venire*. Rationemque adiungit: *Demas enim me reliquit diligens hoc ſæculum, & abijt Theſſalonicam, Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam: Lucas eſt mecum ſolus*. Ex quibus patet Titum, quem ex inſula Creta venire iuſſerat Nicopolim, in Dalmatiam profectum eſſe, ſicut & Creſcentem in Galatiam, illoſque ibidem prædicaſſe. |

At-

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| .... | .... | | Atque hæc ſunt quæ de Pauli peregrinationibus vſque ad finem vitæ peractis, ex eius epiſtolis colligere potuimus. Nunc tempus eſt, vt ad Petrum reuertamur, quem oſtendimus Hieroſolymis fuiſſe tempore Concilij de legalibus ibidem celebrati anno à conuerſione Pauli 17. à morte Chriſti 19. indeque poſt hæc diſceſſiſſe, ex Pauli epiſtola ad Galatas monſtrauimus, eò quòd teſtetur, Petrum poſt Concilium de legalibus Antiochiam veniſſe, ſeque ei tunc in faciem reſtitiſſe. Si autem Theodoreto fides adhibenda ſit, qui Petrum ſæpiùs Cappadociam, Galatiam, Pontum, Aſiam, & Bithyniam peragraſſe refert, vix dubium vllum erit, quin Antiochia diſcedens per has regiones iterum Romam venerit, indeque ſecundam epiſtolam miſerit ad electos *Aduenas diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ*. Capite enim 3. verſ. 1. teſtatur: *Hanc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo epiſtolam*. Scripſit autem hanc epiſtolam Romæ, cum morti proximus eſſet, vt ſtatim videbimus, & in ea Pauli mentionem facit, quocum tunc Romæ prædicabat, teſtante Lactantio Firmiano lib. 4. capite 21. quòd Deus diſcipulis ſuis futura omnia reuelauit. *Quæ, inquit, Petrus & Paulus Romæ prædicauerunt, & ea prædicatio in memoriam ſcripta permanſit, in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum eſſe dixerunt, vt poſt breue tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Iudæos, & ciuitates eorum ſolo adæquaret, ipſos autem fame, ſitique confectos obſideret &c.* Vbi duo notanda ſunt, primò Petrum & Paulum Romæ prædixiſſe in ſuis ſermonibus deſtructionem Hieroſolymæ. Secundò poſt breue tempus deſtructionem illam contingere debuiſſe, prout & contigit ſub Veſpaſiano, vt ibidem Lactantius tradit: *Itaque poſt illorum obitum, cum eos Nero interemiſſet, Iudæorum nomen, & gentem Veſpaſianus extinxit, fecitque omnia, quæ illi futura prædixerant.* |
| 37. | Neronis 12. | Martyrium Petri & Pauli Romæ. | Cæterùm Deus non ſolùm reuelarat, quæ alijs, ſed etiam quæ illis ipſis contingere debebant: nam mortis tempus illis manifeſtauit, ſcribente Paulo epiſtola 2. ad Timotheum, cap. 4. *Ego enim delibor, & tempus* |

re-

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| | | | *reſolutionis meæ inſtat*. Et Petro epiſtola 2. cap. 1. *Certus, quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod & Dominus noſter IESVS Chriſtus ſignificauit mihi*. Conſtat igitur Apoſtolorum Principes mortis ſuæ tempus præcognouiſſe, quam Romæ obierunt ſub præſidibus, vt Clemens epiſtola ad Corinthios de Paulo tradit, idque iuſſu Neronis, *cum eos Nero interemerit*, vt diſertis verbis ſcribit Lactantius loco ſuperiùs citato, adiungens libro de mortibus Perſecutorum genus mortis his verbis: *Petrum cruci affixit, & Paulum interfecit*. |
| .... | Domitiani .. | Parthia. | Poſt Petrum & Paulum, de Ioanne agendum eſt, quem Paulus anno 17. à conuerſione Hieroſolymis reliquit, quique primam epiſtolam ad Parthos ſcripſiſſe perhibetur ab Auguſtino: vndè plerique colligunt, eum ad Parthos profectum fuiſſe, antequàm in Aſiam venit, quæ ei ſorte obtigerat. Ex Aſia autem Romam miſſus eſt ſub Domitiano; quarè poſt Petrum & Paulum in Vrbe fuit: quod occaſionem præbuit Tertulliano à tribus his Apoſtolis Romanæ Eccleſiæ dignitatem repetendi. Scribit namque libro de præſcript. cap. 36. *Habes Romam ..... Statu felix Eccleſia, vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apoſtolus Ioannes, poſteaquàm in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur*. Addit Hieronymus libro de |
| .... | Circa finem Domitiani Imperij. | Patmos Inſula. | Scriptoribus: *Perſecutionem mouente Domitiano in Patmon Inſulam relegatum eſſe*. Vbi incolas ad fidem conuertit, vt ex Actis Ioannis Oecumenius tradit, & ad finem Imperij Domitiani Apocalypſin vidit, vt Diuus Irenæus lib. 5. affirmat his verbis: *Neque enim ante multum temporis viſum eſt, ſed penè ſub noſtro ſæculo ad finem Domitiani Imperij*. In Apocalypſi autem mentionem facit Eccleſia- |
| | | Aſiæ Eccleſiæ Epheſus, Smyrna, Perganius, Thyatira, Sardi, Philadelphia, Laodicea. | rum, quas *Ioannis alumnas* vocat Tertullianus libro 4. contra Marcionem, ſuntque Epheſus, Smyrna, Perganius, Thyatira, Sardi, Philadelphia, & Laodicea. Et adiungit Hieronymus lib. de Scriptoribus: *Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à Senatu reſciſſis, ſub Nerua principe redit Epheſum, ibique vſque ad Tra-* |

ia-

| Anni à morte Chriſti. | Imperatores Romani. | Regiones & Ciuitates. | Sacræ Scripturæ & Veterum teſtimonia. |
|---|---|---|---|
| 68. & 69. | Nerua 1. & 2. | Obitus S. Ioannis Epheſi. | *ianum Principem perſeuerans totas Aſiæ fundauit, rexitque Eccleſias, & confectus ſenio, ſexageſimo octauo poſt paſſionem Domini anno mortuus iuxta eandem vrbem ſepultus eſt.* <br><br> Adduximus hucuſque Petri, Pauli, Iacobi, & Ioannis acta Apoſtolica ex Scriptura, & probatis Veterum ſcriptis, peregrinationes,& Eccleſiarum inſtitutiones, quæ à primo anno quo mortuus eſt Chriſtus, æra nimirùm vulgari 29. vſque ad annum poſt mortem Chriſti 68. qui eſt æræ vulgaris 97. poſt quem Traianus Imperium adeptus eſt, pertingunt. Reliqua Apoſtolorum acta libens omitto, non quòd parua,aut lectu indigna cæteri Apoſtoli geſſerint, ſed vt notat Petauius in Rationario temporum, quòd pleraque acta,quæ ad manus noſtras peruenerunt,incertis narrationibus aſperſa ſint. Quarè Baronij conſilium ſecuti, breui nos ab hac materia expediemus, & loca vbi Apoſtoli, & diſcipuli nonnulli prædicarunt, in breui ſchemate Lectorum oculis exhibebimus. |

In his annalibus facilè animaduertet Lector, nos Apoſtolorum plura geſta ſub vnum iunxiſſe annum eaque litterulis ad marginem poſitis vtcunque diſtinxiſſe. Verùm nec omnia, quæ in Actis Apoſtolorum (præterquàm initio prædicationis) ſed præcipua attigimus,ne compendij rationem excederemus: nec ſemper annum certum rebus aſſignauimus; maluimus enim rem obſcuram anno incerto adſcribere, quàm dubiæ rei certum fortaſſis errorem proponere. Ordinem præterea narrationis, quo vtitur S. Lucas in Actis, aliquando non ſeruauimus, ſicut nec ſeruarunt cæteri annalium ſupputatores, rati ſacrum Scriptorem non omnia planè adamuſſim eo tempore, quo contigerunt, ſed vt ferebat occaſio, retuliſſe: ſi enim in Euangelio,vbi *ex ordine* ſe narraturum profitetur, id aſſerendum eſt; multò magis in Actis Apoſtolorum, in quorum exordio non hoc pollicetur. Manifeſtum id eſſe putamus, dum refert Sauli conuerſionem Act. 9. deindè eius prædicationem Damaſci, & fugam in ciuitatem Hieroſoly-

mitanam eum non admittentibus diſcipulis initio, ſed poſteà Barnabæ monitu: deinde profectionem eius Cæſaream, inde Tarſum. Poſt hæc deſcribit pacem Eccleſiæ per Iudæam, Galilæam, & Samariam, Petri viſitationem, & prædicationem Lyddæ, Saronæ, Ioppe, & Cæſareæ. Et tamen pax Eccleſię debuit antecedere, vt prædicatio haberet locum præcipuè in Samaria, vbi Philippus prædicabat liberè, ita & in Galilæa, & Iudæa, vbi promulgabatur cum fiducia Euangelium.

De Petri autem prædicatione ita loqui debemus, vt primum cum Ioanne iuerit in Samariam ad conferendum Spiritum ſanctũ, deinde per varia loca euangelizando redierit Hieroſolymam, vbi eum inuenerit Saulus poſt fugam ſuam ex ciuitate Damaſcena, cùm iam Arabiam fidei luce illuſtrauerat nempe Iudæos tantùm docendo. Petrus etenim poſteà Lyddam, Saronam, & Ioppen peragrans, Cæſareę conuerſioni Gentium aditum primus aperuit.

Porrò quod ſpectat ad Petri aduentum in Romanam Ciuitatem, diximus fuſiùs in Primo Tomo, in quem tamen irrepſit error in fine diſſert. 1. in vltima tabula pag. 130. vbi ad annum ærę vulgaris 41. *Claudius* ponitur, & ad ſeq. 42. notatur. *Claudij* 1. *&* 2. ad 43. *Claudij* 2. *&* 3. cum debeat ſcribi ad 42. *Claudij* 2. ſiquidem in Ianuario anni 41. cœpit imperare, ad 43. *Claudij* 3. Ad 41. debet in columna annorum Chriſti poni, *Chriſti 46. quo Petrus Romam venit, quicquid nonnulli recentiores de hoc primo Petri in Vrbem aduentu dubitare cœperint, iuxta pag* 237. Notata ſunt ea verba per errorem non animaduerſum ad an. æræ vulgaris 43. Chriſti 48. quo in loco ſcribendum eſt: *Hoc anno Petrus Roma diſceſſit Hieroſolymas perueniens, circa Auguſtum captus, & in vinculis poſitus ab Agrippa, prima Auguſti liberatus. Paulò poſt mortuus eſt Rex Agrippa Cæſareæ percuſſus ab Angelo.* Quin ad an. æræ vulg. 42. Chriſti 47. optimum fuiſſet addere: *Hoc anno Petrus Romæ prædicauit, & primam epiſtolam ſcripſit, iuxta pag.* 91. *imò & venit Romam, iuxta D. Hieronymum in Ianuario; cui ſententiæ feſtiuitas Cathedræ Rom.* 18. *Ianuarij benè concordaret. Sed obſtat numerus* 25. *annorum Sedis, qui cogit ad retrahendum Petri aduentum Claudij anno* 1. *nempè an. æræ* 41. *Et fortè conciliari hæc poſſent aſſerendo, quòd reuera Petrus iter Romam ad Cathedrã ſtatuendam arripuerit anno primo Claudij, peruenerit circa annum* 2. *nempe* 18. *Ianuarij, Romani verò fideles computauerint præcedentem annum, quo Sedem Romanam ſibi elegerat.*

Sed promiſſum ſchema ſubijciamus.

An-

m Pilato

*1. Act. cap. 2.

*2. Act. cap. 8.

*3. Act. cap. 11.

V S

A, PISIDIA, & LYCAONIA, *4. Act cap. 13. & ſeq.

*4. Ex prima. Eu Hieron. ncilio de legalibus interfuit.

YGIAM, ASIAM, MACEDONIAM,

AIAM profectus *5. Paulus epiſt. ad Rom. cap. 5.

ſque ad ILLYRICVM prædicauit. *6. Actor. cap. 27. & ſeq.

*5. Act. c ſeq. ædicato ibidem per *6. bienniũ Euangelio

Occidentis quoquè partibus prædicaret. * 7. D. Hieronymus lib. de Script.

& OCCIDENTE factus *8. Clemens Rom. epiſt. ad Corint.

ie, III. Kal. Iulij interemit. *9. Lactantius Euſeb. Hieron.

VBIQVE, *10. Marci capite vltimo.

| MON | IVDAS | MATTHIAS |
|---|---|---|
| it *a. Bar-, *b. PER-, *c. ÆGY-M. | *a. SYRIAM, & *b. MESOPOTAMIAM obtinuit: paſſus eſt Edeſſæ. | *a. IVDÆAM, & *b. Primam ÆTHIOPIAM illuſtrandam accepit. |
| D. Gregorius ianzenus orat. Abbo Floria-s ſerm. 5. Iſidorus H-enſis lib. de u Sanctorum. etas laudat. in imonem. | *a. Nicetas laudat. in S. Iudam. * b. S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. de obitu Sanctorum. Synopſis D. Hippolyto tributa. | * a. D. Iſidorus Hiſpalenſis lib. de obitu Sanctor. *b. Nicetas laudat. in Sanctum Matthiam. |

| ipſos, Marc Lucam, Iuſt Barnabam, pellem, Ruf Nigrum & c iecit. Ex quoſdam mus, iiſqu aliosApoſt rum Diſci los adiungi | Chenes | Ananias | Ignatius | Polycarpus | D... | ... qui ne adhuc quidem omnino verbum fidei audiuiſſent, Chriſtum prædicare ... ſtuduerunt. &c. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | Act. 18. | Actor. 9. cap. | Ex Euſebio, & D. Hieronymo lib. de Script. | Ex Hieronymo lib. de Script. | Ex Euſebio lib. 3. capite 30. | |

# DISSERTATIO SECVNDA
## DE
# AVTHORITATE
# APOSTOLORVM,

*Et quòd Petrus Collegij Apoſtolici Princeps, & Caput Eccleſiæ à Chriſto conſtitutus ſit.*

## CAPVT PRIMVM.

### *An, & in quibus munijs obeundis Apoſtoli authoritate pares fuerint?*

1. *Petrum non habuiſſe vllum primatum inter Apoſtolos, ſed omnes auctoritate pares fuiſſe, contendunt poſt Lutherum Magdeburgenſes.*

2. *Idem cum Caluino pluribus probare nititur Marcus Antonius de Dominis.*

3. *Adfertur Catholicorum ſententia; quòd omnes Apoſtoli pares fuerint in ratione Apoſtolatus, eiuſque munijs, quæ ſex enumerantur à Mauclero.*

4. *Duuallius ad pauciora reducit munia Apoſtolica, & cum de Marca enumerat præcipua, in quibus Apoſtoli authoritate æquales fuerunt.*

5. *Baronij ſententia adfertur, qui ex Scriptura adducit munia illa, quæ omnibus Apoſtolis communia fuerunt.*

6. *Bellarminus ipſam ſummam poteſtatem Eccleſiaſticam ad omnes Apoſtolos ſpectaſſe putat, & ex Pauli verbis probat.*

7. *Ante Bellarminum tradidit Diuus Thomas, omnes Apoſtolos à Chriſto miſſos fuiſſe cum plenitudine poteſtatis, & Populi regimen ipſis commiſſum fuiſſe: pro quò Damiani quoquè ſententia adfertur.*

8. *Cum ex dictis pateat, omnes conuenire in eo, quòd Apoſtoli fuerint authoritate pares in obeundis munijs Apoſtolicis, ea ipſa adferuntur; & primò quidem quoad miſſionem, vt ex Scriptura, Clemente Romano, & Chryſoſtomo probatur.*

9. *Secundò quoad prædicationem Euangelij per totum mundum, vt ex Euangelijs, Clemente Romano, Lactantio, alijs que conſtat.*

10. *Tertiò quoad infallibilitatem in docendo; vt pariter ex Euangelijs, & teſtimonijs Origenis, Baſilij, Chryſoſtomi, & Concilij generalis Quinti colligitur.*

11. *Quartò quoad auctoritatem ſcribendi libros ſacros, vt ex præcedenti priuilegio colligitur.*

12. *Quintò quoad donum linguarum, & miraculorum, vt ex Marci Euangelio, & Actis Apoſtolorum, Lactantij, & Chryſoſtomi teſtimonijs oſtenditur.*

13. *Sextò quoad confectionem, & adminiſtrationem Sacramentorum, ſpeciatim de Baptiſmo, & Eucbariſtia, ex Euangelijs, & Pauli epiſtola 1. ad Corinthios demonſtratur.*

14. *Septimò quoad poteſtatem ſoluendi & ligandi peccatores, vt ex Euangelijs, & Diuo Ioanne Chryſoſtomo, ac Pauli Apoſtoli ſcriptis fit manifeſtum.*

15. *Demùm quoad poteſtatem conſecrandi Epiſcopos, & ordinandi Miniſtros, quod egregio Clementis Romani teſtimonio comprobatur.*

GRAVIS eſt de authoritate Apoſtolorũ controuerſia, quam hæretici, & Nouatores noſtri ſæculi contra Catholicos mouerunt. Cum enim hi regimen monarchicum vni Petro, eiuſque ſucceſſoribus diuinitùs collatum fuiſſe conſtanter affirment; iſti verò regimen illud à Romanis Pontificibus vſurpatum fuiſſe contendant: ad primam Eccleſiæ inſtitutionem appellarunt affirmantes, Petrum nulla auctoritate præ cæteris Apoſtolis fuiſſe inſignitum, ſed omnes duodecim fuiſſe authoritate æquales. Sic Centuriatores Magdeburgenſes, centuria 1. lib. 1. cap. 4. diſertè affirmant, quòd *nulla maioritas, nullus primatus inter Apoſtolos, & eius ſucceſſores à Chriſto conſtituatur, ſicut Matthæi 18. 20. Marci 10. Lucæ 22. explicatur. Manifeſtè enim pronuntiat Chriſtus: Non erit ita inter vos; ſed quicumque vult inter vos eſſe maior, ſit veſter miniſter: Et qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Lucæ 22. prædicit Apoſtolis excellentiam, quam poſt hanc vitam, & quidem ipſi pariter omnes habitaturi ſint: Vos, inquit, eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Hæc ibi Magdeburgenſes iuxta ea, quæ didicerant à magiſtro ſuo Martino Luthero, qui in varijs locis mentem ſuam prodit, & præſertim in aſſertione articulorum ſuorum contra Leonis X. bullam condemnatoriam, in qua art. 25. ſuſtinet, *quòd omnes Apoſtoli æquales fuerunt Petro.* Et in commentarijs ad cap. 1. epiſtolæ Pauli ad Galatas: Apoſtolorum officium *certè idem, & æqualis eſt omnium: eundem Chriſtum docent, eandem poteſtatem habent, ab eodem æqualiter miſſi ſunt.*

2. Lutherum in oppugnando Petri primatu imitatus eſt Caluinus, qui lib. 4. inſtitutionum, cap. 6. affirmat, ex nullo meliùs de eo iudicari poſſe, quàm ex Scriptura, *Si nimirùm loci omnes conferantur, vbi docet, quid muneris, & poteſtatis habuerit Petrus inter Apoſtolos, qualiter ſe*

geſ-

*geſſerit*; *qualiter etiam fuerit acceptus*. *Percurre*, inquit, *quidquid extat*, *nihil aliud reperies*, *quàm fuiſſe vnum ex duodecim*, *parem reliquis*, *& ſocium*, *non dominum*. Idem omni conatu probare niſus eſt libro de Republica Eccleſiaſtica Marcus Antonius de Dominis Spalatenſis pſeudo-Archiepiſcopus, qui dum initio libri profitetur, ſe illud Eccleſiæ regimen propugnare, quod Chriſtus ipſe inſtituit, & Apoſtoli Apoſtolicique viri initio vſurpauerunt, ſtatim libri 1. capite tertio contendit, regimen illud eſſe, quod duodecim Apoſtolis in commune commiſſum fuit: *Apoſtolos* namque *omnes in officio*, *& munere Apoſtolico*, *ac in omni poteſtate fuiſſe inter ſe pares*, *& omninò æquales*. Hęc pro capitis titulo, quæ pluribus probare ſtudet in ipſo capitis contextu, vbi ex Scriptura, & Patribus vrget, omnes Apoſtolos conſtitutos fuiſſe Principes Eccleſiæ, omnes Spiritum ſanctum accepiſſe, neque Diuum Hieronymum maiorem aſſiſtentiam Spiritus ſancti agnouiſſe in vno Apoſtolo, quàm in alijs in Eccleſia gubernanda; & expreſſam æqualitatem poteſtatis inter Apoſtolos ſemper ab antiquitate agnitam fuiſſe, idque conſtare Cypriani, Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij, Chryſoſtomi, Leonis Magni, Victoris Carthaginenſis, & Didymi teſtimonijs, quibus ipſius Caietani,& Bellarmini recentiorum ſcriptorum loca adiungit, vt ex his deducat, *diſparem poteſtatis inter Apoſtolos eſſe humanum inuentum in ſacris Euangelijs*, *& diuinis noui Teſtamenti Scripturis minimè ſubſiſtens*.

3. Plura ſunt, quæ Spalatenſis hoc loco obiecit, falſa veris immiſcens, vt errores ſuos ſub veritatis vmbra velaret, & ſacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum nomine tegeret, de quibus ſequenti capite agemus, vbi hoc capite monſtrauerimus, quidnam ſcriptores Catholici de Apoſtolorum authoritate ſenſerint: Communis enim eorum ſententia eſt, vt notat Mauclerus Doctor Sorbonicus in libro de Monarchia Eccleſiaſtica parte 2. capite 9. eaque ratione, & varia ſacræ Scripturæ, Conciliorum, Pontificiorum decretorum, Patrum antiquorum, & recentium Doctorum authoritate nixa, atque firmata, Sanctum Petrum æqualem fuiſſe reliquis Apoſtolis ratione Apoſtolatus, adeòque omnes Apoſtolos auctoritate pares fuiſſe in illis munijs, quæ ad dignitatem Apoſtolatus ſpectabant, quæque ſex ab eodem auctore enumerantur lib. 2. cap. 8. Primum eſt poteſtas patrandi miracula. Secundum poteſtas conuertendi populos toto orbe diſperſos virtute prædicationis Euangelicæ. Tertium facultas temporalia merendi ab illis, quibus ſpiritualia ſeminabant. Quartum

poteſtas baptizandi. Quintum facultas conficiendi corpus & ſanguinem Chriſti. Et ſextum poteſtas ligandi, & ſoluendi in foro conſcientiæ.

4. Quæ Mauclerus Doctor Sorbonicus per ſex munia à Chriſto Apoſtolis omnibus impoſita, vel conceſſa explicat, & dona vocat, Duuallius Pariſienſis quoquè Vniuerſitatis Doctor ad pauciora capita reuocat: parte namque 1. de Pontifice, quæſtione 3. ad tertium, ita ſcribit: *Omnes Apoſtoli in poteſtate ordinis, & ratione Apoſtolatus dicuntur æquales; ſinguli enim poteſtatem Euangelium vbique prædicandi, ligandi, & ſoluendi, & omnium, quæ pro mundi conuerſione moraliter erant neceſſaria, à Chriſto, non à Petro, acceperunt.* Hæc ibi Duuallius, quæ ſic explicat Pariſienſis Archiepiſcopus de Marca opuſculo de ſingulari Petri primatu, num. 4. *Quod cum inter Apoſtolos fuerit quoddam conſortium honoris, & poteſtatis; dignitas Apoſtolatus in eo verſabatur, vt deſignati à Chriſto Apoſtoli per vniuerſum orbem Euangelij veritatem ſpargerent: teſtes myſteriorum à ſe inſpectorum populos, quà Iudæos, quà Gentiles in fide Chriſti erudirent, ſacramentis paſcerent, Epiſcoporum miniſterio munirent.* Ex quibus concludit de Marca, auctoritatem omnibus Apoſtolis communem conſtitiſſe in eo, quod attinet ad prædicationis, vel ſacerdotij munus, & quoad poteſtatem Eccleſiarum inſtituendarum, nempe præficiendo illis Epiſcopos, & preſbyteros, vel etiam in reos monitionibus, & cenſura diuina, vt loquitur Tertullianus, animaduertendo.

5. Atque hactenus quidem ſcriptores ex Gallia audiuimus: nunc & alios adducemus, quorum agmen ducet Annalium parens Baronius, qui primo Tomo ad annum 34. ita ſcribit: *Quæ cæteris Apoſtolis, æquè ac Petro* (Chriſtus) *contulit, & communia omnibus eſſe voluit, euidenter expreſſit, nimirùm cum dixit de his, quæ ad ſacrificium pertinent: Hoc facite in meam commemorationem; quæ ad verbi prædicationem, quæque ad baptiſmum: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos; quæ inſuper ad remiſſionem peccatorum ſpectarent: Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo; vel cum dixit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; ſiue cum aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas.* Hæc Baronius, qui vltimum Apoſtolatus priuilegium à Chriſto conceſſum plurimis explicat, oſtendens ex SS. Patribus, neceſſarium eſſe ad intelligendum Scripturas donum Spiritus ſancti, illudque *peculiariter omnibus Apoſtolis fuiſſe conceſſum*, Lucæ

24.

24. vbi dicitur de 11. Apoſtolis, quòd Chriſtus *aperuit ipſis ſenſum, vt intelligerent Scripturas.*

6. Quæ hactenùs Baronius explicauit per dona, ſeu munia omnibus Apoſtolis communia; alij interpretati ſunt per illa Apoſtolorum priuilegia, quæ ipſis perſonalia fuerunt, vt loquitur Vlricus Alberti Magni diſcipulus, vel vt clariùs explicauit cum plurimis Theologis Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus, quę in Apoſtolatus officio obeundo poteſtate extraordinaria, ſiue cum morte finitura obtinuerunt. Ita enim ſcribit Bellarminus libro 3. de verbo Dei capite 4. *Apoſtoli aliquo modo æquales erant Petro in Eccleſiaſtica poteſtate, vt Cyprianus docet in tractatu de ſimplicitate Prælatorum: cum hoc tamen diſcrimine, quòd Petrus ordinarius erat Paſtor totius Eccleſiæ, cui ſoli ſuccedi debebat; reliqui extraordinarij, quibus non erat in illa poteſtate ſuccedendum.* Et rurſus libro 1. de Romano Pontifice, capite 9. Caluini obiectionibus ſatisfaciens: *Reſpondeo*, inquit, *Pontificatum ſummum diſertè poſitum ab Apoſtolo in illis verbis: Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos. Et clariùs* 1. *Corinth.* 12. *vbi ait: Et ipſe poſuit in Eccleſia primùm Apoſtolos, deindè prophetas; ſiquidem ſumma poteſtas Eccleſiaſtica non ſolùm data eſt Petro, ſed etiam alijs Apoſtolis: omnes enim poterant dicere illud Pauli* 2. *Corinth. cap.* 11. *Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.*

7. Quæ Cardinalis Bellarminus de poteſtate Eccleſiaſtica omnibus Apoſtolis communi tradit, ex Angelico Doctore Diuo Thoma ſumpſiſſe videtur, qui in Comment. Epiſtolæ ad Romanos lectione 1. ad hunc locum: *Paulus ſeruus IESV Chriſti vocatus Apoſtolus*, ſic ſcribit; *Dignitas Apoſtolatus eſt præcipua in Eccleſia ſecundum illud* 1. *ad Corinthios* 12. *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos. Apoſtolatus enim idem eſt, quod Miſſus, ſecundum illud Ioannis* 20. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, ideſt ex eadem dilectione, & cum eadem auctoritate.* Et lectione 4. in eandem Pauli epiſtolam: *Sunt enim à Chriſto miſſi, quaſi eius authoritatem, & vicem gerentes. Ioannis* 20. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, ideſt cum plenitudine auctoritatis.* Quo loco Sanctus Thomas clariſſimè mentem ſuam explicat de plenitudine poteſtatis omnibus Apoſtolis communi. Idem in Commentarijs ad caput 12. ad Corinthios Apoſtolorum munia ad tria reducit, quorum alterum eſt facultas docendi, alterum poteſtas miracula faciendi, & tertium authoritas regendi fidelem populum; quod vltimum Eccleſiæ regimen vocat, ac ſingulis Apo-

Apoſtolis competijſſe docet, prout & docuiſſe videtur Diuus Petrus Damianus ſerm. 41. de Sancto Bartholomęo, vbi diſertè affirmat, omnes Apoſtolos *vnius priuilegij dignitatem*, *vnius faſtigij celſitudinem* obtinuiſſe, eoſque vocat *duces gregis*, *paſtores ouium*, *magiſtros Gentium*, *principes Apoſtolorum*.

8. Cum autem ex prædictis pateat, eſſe Catholicorum ſententiam, quòd Apoſtoli in illis munijs obeundis, quæ ad dignitatem Apoſtolatus faciunt, fuerint auctoritate æquales, nonnulli tamen plura munia, alij pauciora referant; ne dubium aliquod de eorum numero in lectorum animis hæreat, numeranda ea ſunt, & Scripturæ, Patrum, Doctorumque teſtimonijs comprobanda. Ac primò quidem certum eſt ex Euangelio, non ſolùm omnes Apoſtolos à Christo electos fuiſſe, vt docet Auguſtinus Triumphus quæſt. 88. art. 1. & nos ſuperiori diſſertatione oſtendimus, ſed etiam omnes miſſionem à Chriſto accepiſſe, vt Diuus Thomas oſtendit ex loco Ioannis 20. vbi Chriſtus dicit ad Apoſtolos: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Ad quæ verba Clemens Romanus in epiſtola ad Corinthios reſpicit, dum ſcribit: *Miſſus eſt enim Chriſtus à Deo, & Apoſtoli à Chriſto*. Et Diuus Chryſoſtomus homil. 85. in Ioannem commentatur, hæc Chriſtum dixiſſe ob ſuam Apoſtolos mittentis dignitatem, ſubdens: *Quare hoc dicit? Eorum animos erigit, & ſuam proponit authoritatem, ſiquidem ſuum eis relicturus erat miniſterium*. Ac ſi diceret Chryſoſtomus, Apoſtolos à Chriſto miſſos fuiſſe, quia miniſterium eius erant obituri.

9. Secundò conſtat quoquè ex Scriptura, omnes Apoſtolos miſſos fuiſſe, vt Euangelium prędicarent omni creaturæ; ſic enim tradit Matthæus capite 28. quòd 11. Apoſtolis in Galilæa congregatis *IESVS locutus eſt eis dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes*. Et clariùs Marcus cap. 16. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Idque Apoſtolos re ipſa præſtitiſſe ſubiungit ibidem Marcus dicens: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique*. Et vir Apoſtolicorum temporum Clemens Romanus in epiſtola ad Corinthios affirmans Apoſtolos *egreſſos eſſe annuntiantes Regni Dei aduentum, & per regiones ac vrbes verbum prædicantes*. Lactantius quoquè de mortibus perſecutorum capite 2. *Diſperſi ſunt per omnem terram ad Euangelium prædicandum, ſicut illis magiſter Dominus imperauerat*. Idem pſalmiſta prædixerat his verbis pſal. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*.

Vt

Vt enim Paulus Apoſtolus epiſtola ad Romanos cap. 11. indicat, hæc pſalmiſtæ verba intelligenda ſunt de Apoſtolis, qui Euangelium vbique prædicarunt, & fidem vſque ad finem orbis terræ annuntiarunt.

10. Tertiò omnes Apoſtoli infallibilitatem à Chriſto acceperunt in annuntiando verbo Dei ſcripto, & tradito, affirmante Euangeliſta Luca cap. 24. quòd Chriſtus 11. Apoſtolis aperuit ſenſum, *vt intelligerent Scripturas*. Et teſtante Ioanne Euangeliſta cap. 14. Chriſtum Apoſtolis ſuis promiſiſſe Paraclitum Spiritum veritatis: *Paracletus autem Spiritus ſanctus*, inquit ad Apoſtolos Chriſtus, *quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*. Rursùs apud Ioannem capite 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Quæ cum bis promiſerit Chriſtus Apoſtolis, nullus ambigendi locus relinquitur, impletum fuiſſe, quod promiſit; adeòque Apoſtolos omnes veritatem omnem à Spiritu ſancto edoctos fuiſſe, ipſoque inſpirante locutos fuiſſe ſanctos Dei homines. Quarè vt libro 3. contra Celſum obſeruat Origenes, *fuit Apoſtolorum IESV perſuaſio data diuinitùs per fidem inſpiratam efficax*. Et vt addit Diuus Baſilius libro 1. aduersùs Eunomium: *Loquebantur Apoſtoli, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis, Et non eſtis vos, qui loquimini (Saluator ipſis dixit) ſed Spiritus Patris, qui in cælis eſt, loquitur in vobis*. Quamobrem D. Ioannes Chryſoſtomus homilia 12. Apoſtolos omnes dicit eſſe in fide immobiles: *Vos enim*, inquit ad illos, *rectæ fidei immobiles eſtis columnæ*. Et Concilium Generale Quintum collatione 8. obſeruat, Spiritus ſancti gratiam ita circa ſingulos Apoſtolos abundaſſe, *vt non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant*. Ac ſi diceret S. Synodus, inquit Chriſtianus Lupus in commentarijs, omnes Apoſtolos fuiſſe in fide infallibiles, prout diſertè docet Pariſienſis Archiepiſcopus de Marca in exercitatione de ſingulari Petri Primatu num. 5. vbi: *Apoſtoli à fide deficere à Deo eruditi non poterant*.

11. Quartò omnes Apoſtoli facultatem æqualem habebant ſcribendi libros ſacros ſeu Canonicos. Id enim ſequitur ex antecedenti priuilegio. Quandoquidem ſi habebant infallibilitatem in annuntiando verbo Dei ſcripto, & tradito, ſi quid ſcribebant ad docendum, eadem infallibilitatis prærogatiua frui debebant. Fateor, poſſe concipi infallibilitatem in docendo, abſque hac facultate ſcribendi libros Canonicos, atteſtando ſcilicet aliquem librum eſſe Diuinum, prout ſemper atteſtata eſt Eccleſia Chriſti poſt

Apo-

Apoſtolos, quæ tamen nullum ſcripſit librum Canonicum. Fateor quoque, aſſiſtentiam Spiritus ſancti, quæ eſt in definiendo dogmate, inferiorem eſſe ea, quæ eſt in ſcribendo libro Canonico; ibi enim ſolùm rebus, hìc rebus, & verbis adhæret Paraclitus. Verùm primos ſatores Eccleſiæ, & fundatores, quibus dictum fuerat Matthæi 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes*, hac maiori facultate pollere congruebat: antequàm enim daret poteſtatem Apoſtolis, præmiſit ſibi datam à Patre omnem poteſtatem. Inde eſt, quòd Eccleſia, ſi conſtet aliquod eſſe Apoſtolicum ſcriptum, procul omni dubio illud habet pro libro Canonico. Sequitur hæc prærogatiua, vt dixi, ex antecedenti: ſiquidem Deus imbuit Apoſtolos non ſolùm Spiritu ſancto, ſed Spiritus ſancti omni plenitudine, omni maiori prærogatiua, qualis conueniebat vt ineſſet primis magiſtris veritatis Euangelicæ. Id ſignificauit Chriſtus, dum promiſit eiſdem de Spiritu: *Ille vobis ſuggeret omnia* Ioan. 14. 26. *Ille docebit vos omnem veritatem*. Ioan. 16. verſ. 13. Id expreſſiùs declarauit Paulus epiſtola ad Epheſios cap. 2. verſ. 20. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*. Sicut namque in vetere Teſtamento Prophetarum ſcripta habebantur pro libris Diuinis, eò quòd per ipſos Deus fundabat primò veritatem Diuinam, & quia pleni erant Spiritu ſancto, qui eis loquentibus & ſcribentibus aſſiſtebat infallibiliter: ita & in nouo, ac perfectiore Teſtamento Apoſtolis loquentibus, & ſcribentibus plenis Spiritu ſancto abundantiùs quàm Prophetæ eſſent, vt patet, debebat firmiori aſſiſtentia Spiritus ſanctus aſſiſtere, ita vt quicquid ſcriberent ad docendum, Diuina eſſet Scriptura, cum fundarent Eccleſiam Chriſti. Hinc Auguſtinus in pſal. 86. *Per totum docet ..... Apoſtolos eſſe fundamenta ſubordinata Chriſto, ſicut & Prophetæ, quorum doctrinæ, prædicationi, & inſtructioni quaſi fundamento Eccleſia incumbit*. Similia Chryſoſtomus in eum locum Apoſtoli, ac Theophylactus, & Oecumenius illius Doctoris aurei prementes veſtigia. Hanc eamdem prærogatiuam Apoſtolorum in ſcribendis libris Canonicis Theologi cõplures paſſim deprędicant, eamque non tranſiſſe in Apoſtolicum Paſtorem Chriſti Vicarium, & ſi infallibilem veritatis magiſtrum cum ex Cathedra loquitur, profitentur.

12. Quintò Chriſtus dedit Apoſtolis ſuis donum linguarum, & miraculorum, de quibus Marci 16. cap. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid bi-*

*biberint, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Addit ibidem de Apoſtolis: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Quod ipſum in Actibus Apoſtolorum tradit S. Lucas, capite 2. vbi de Apoſtolis in vnum congregatis refert: *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Et capite 5. vbi affirmat, quòd *per manus Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe.* Poſt diuiſionem, inquit Lactantius libro 4. de vera ſapientia, & religione, *per Prouincias diſperſi fundamenta Eccleſiæ vbique poſuerunt, facientes & ipſi nomine Magiſtri Dei magna, & penè incredibilia miracula, quia diſcedens inſtruxerat eos virtute, ac poteſtate, qua poſſet nouæ annuntiationis ratio fundari, & confirmari.* Loquitur autem Lactantius de virtute patrandi miracula, quam Chriſtus in cælos aſcendens ipſis ope Spiritus ſancti promiſerat, quamque Chryſoſtomus hom. 85. in caput 21. Ioannis, ſignorum operationem vocat dicens: *Quòd poſt quinquaginta à morte Chriſti dies ſignorum operationem acceperunt, iuxta illud Act. 1. Accipietis virtutem venientis in vos Spiritus ſancti, & eritis mihi teſtes.*

13. Sextò conſtat ex ſacra Scriptura, omnes Apoſtolos à Chriſto poteſtatem accepiſſe conficiendi, & adminiſtrandi vbique ſacramenta. Sic Matthæi capite 28. Chriſtus loquens ad Apoſtolos, non ſolùm illis poteſtatem conceſſit eundi per mundum vniuerſum, & docendi omnes gentes, ſed etiam eos baptizandi: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* De poteſtate quoquè conficiendi corpus Dominicum, & communicandi fideles Chriſtus apud Lucam cap. 22. corpus ſuum conſecrans Apoſtolis duodecim tribuit, & dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Qua de re Paulus 1. ad Corinthios capite 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cænauit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine; Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem.* Quibus verbis Paulus ſignificat, Chriſtum Dominum ſacerdotem in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech ex pane, & vino corpus, & ſanguinem ſuum effeciſſe, & vt A-

poſtoli ſacerdotes ab ipſo conſecrati in ſui memoriam, & commemorationem iugiter offerrent, mandaſſe, vti obſeruat ſacrum Tridentinum Concilium, quod ſeſſione 22. can. 2. damnauit eos, qui dicunt illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos ſacerdotes, aut non ordinaſſe, vt ipſi, & reliqui Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum*.

14. Septimò ex Euangelio patet, omnes Apoſtolos poteſtatem accepiſſe abſoluendi peccatores à ſuis peccatis, ipſoſque ligandi, dicente Chriſto apud Matthæum capite 18. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*. Et Ioannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Quæ verba ita commentatur Chryſoſtomus homilia 85. in caput 21. Ioannis. *Non dixit, Accepiſtis, ſed Accipite Spiritum ſanctum. Non tamen quiſquam erraret, ſi tunc eos poteſtatem quamdam, & gratiam ſpiritualem accepiſſe diceret, non tamen vt mortuos ſuſcitarent, & virtutes oſtenderent, ſed vt peccata dimitterent; differentes enim ſunt gratiæ Spiritus. Quarè addidit: Quorumcumque remiſeritis peccata, remiſſa ſunt, oſtendens, quod virtutis genus largiatur*. Quæ autem Chryſoſtomus hoc loco dicit de poteſtate remittendi peccata, eodem modo intelligenda ſunt de poteſtate ligandi *cenſura diuina*, vt loquitur Tertullianus, quomodò Paulus ligauit inceſtuoſum Corinthium 1. ad Corinthios 5. vbi tradit *huiuſmodi Satanæ in interitum carnis*; & excommunicauit Hymenæum, & Alexandrum, *quos tradidi Satanæ*, inquit epiſtola 1. ad Timotheũ c. 1. *vt diſcant non blaſphemare*.

15. Vt autem enumerandis donis, & munijs Apoſtolicis finem imponam, communis fuit omnibus Apoſtolis auctoritas conſecrandi Epiſcopos, & ordinandi miniſtros, qui ad Eccleſiarum inſtitutionem omninò neceſſarij erant. Vnde Petrus Iacobum Hieroſolymorum Epiſcopum conſtituit, & reliqui Apoſtoli per regiones, & vrbes verbum Dei prædicantes, *Epiſcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt*, vt patet ex Clemente Romano epiſtola ad Corinthios, ex qua integer locus hìc adferendus eſt, vt teſtimonio antiquiſſimi Romani Pontificis comprobemus, Apoſtolis omnibus communia fuiſſe munia illa, quæ ad Eccleſiarum inſtitutionem faciebant. *Apoſtoli*, inquit, *nobis à Chriſto euangelizarunt. IESVS Chriſtus à Deo, miſſus enim eſt Chriſtus à Deo, & Apoſtoli à Chriſto. Et factum eſt vtrumque decenter ex voluntate*

eius

*tius: mandata quippè accipientes, & per reſurrectionem Domini noſtri IESV Chriſti plena certitudine imbuti, Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus ſancti fiducia egreſſi ſunt, annuntiantes regni Dei aduentum. Per regiones igitur, & vrbes verbum Dei prædicantes, primitias eorum ſpiritu probantes, Epiſcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt. Neque hoc quidem nouum inſtitutum fuit, multis enim retrò ſæculis de Epiſcopis, & Diaconis ſcriptum eſt; ſic enim alicubi dicit Scriptura: Conſtituam Epiſcopos eorum in iuſtitia, & Diaconos eorum in fide.* Hucuſq; Clemens Rom.

# CAPVT SECVNDVM.

## *Quòd inter munia, quæ alijs quàm Apoſtolis communicata fuerunt, reputanda non ſit ſollicitudo omnium Eccleſiarum; & quòd eam poſt diuiſionem ne quidem omnes Apoſtoli ſemper exercuiſſe reperiantur.*

1. *D. Thomæ doctrina, qua munia Apoſtolica ad tria reducuntur, ex quibus præcipuum, quod conſiſtit in regimine Eccleſiæ, Apoſtolis proprium fuit.*

2. *Reliqua duo, quæ conſiſtunt in doctrinæ officio, & virtute miraculorum cum alijs quàm Apoſtolis communicata ſunt, & præſertim virtus miraculorum, quæ inter gratias gratìs datas à D. Paulo, D. Irenæo, & S. Thoma reputantur.*

3. *Quæ inſuper ad poteſtatem ordinis ſpectant, & in confectione ſacramentorum potiſſimùm conſiſtunt, etiam Diſcipulis, Presbyteris, & Epiſcopis tributa ſunt, vt ex ipſa Scriptura probatur.*

4. *His tamen non obſtantibus adminiſtratio ſacramentorum per vniuerſam Eccleſiam, ſeu iuriſdictio vniuerſalis Apoſtolis propria fuit.*

5. *Adſertur Bellarmini ſententia, quòd ſinguli Apoſtoli, etiam poſt diſtributionem Prouinciarum, ita totius Eccleſiæ curam geſſerint, ac ſi ad eos in ſolidum cura ſpectaſſet. Cui ſententiæ opponitur alia Gerſonij, & Nicetæ, quòd ſinguli Apoſtoli potiùs Prouincias ſuas curarint.*

6. *Quid de vtraque hac ſententia dicendum ſit, breuiter indicatur: & quamuìs Cornelius ſeptem epiſtolas Canonicas Circulares fuiſſe exiſtimet, id tantùm de Iacobi, & Iudæ epiſtolis, ſi Petri epiſtolas excipias, dici poteſt; hi enim circulares epiſtolas ſcripſerunt contra hæreſes ipſorum tempore exortas.*

7. *Probatur, tres Ioannis epiſtolas non fuiſſe circulares, & tertiam ſcriptam fuiſſe ad Parthos, Idacij. Auguſtini, & M.SS. Codicum teſtimonijs oſtenditur.*

8. *Caterùm Ioannem Aſiæ præſertim curam geſſiſſe, eò quòd Prouincia illa ei in diſtributione obtigerat, varijs Patrum teſtimonijs comprobatur.*

9. *Idem firmatur ex Apocalypſi, & Euangelio; in Apocalypſi enim Eccleſias Aſiæ admonet, Euangelium ad inſtantiam Epiſcoporum Aſiæ ſcribit, vt Ebionitarum hæreſes euerteret. Caterùm de reliquis Apoſtolis nullum veſtigium extat, quod vltra Prouinciæ ſuæ terminos curam, ſollicitudinemque ſuam extenderint.*

10. *Quarè quæ Bellarminus tradit de cura totius Eccleſiæ ab Apoſtolis exhibita, etiam poſt diuiſionem, in Petro, & Paulo præcipuè locum habuerunt: quia in diſtributione Prouinciarum non comprehenſi ſunt, ſed ipſis totius Eccleſiæ cura relicta eſt, vt de Paulo ex Scriptura, & Patribus oſtenditur.*

*11. Idem alijs Sanctorum Patrum teſtimonijs de Paulo confirmatur, à quo vniuerſum mundum in fide inſtructum fuiſſe, disertè affirmat Clemens Romanus, & poſt eum Chryſoſtomus.*

*12. De Petro quoquè probatur ex veterum ſcriptis, eum poſt diuiſionem Apoſtolorum totius mundi curam geſſiſſe.*

*13. Idem de eodem Petro confirmatur ex eius epiſtolis.*

*14. Petrum, & Paulum Apoſtolorum Principes totius mundi curam geſſiſſe, & binos Chriſti oculos ad fundandas Eccleſias extitiſſe, Chryſoſtomi, Leonis Magni, & Nicetæ teſtimonijs oſtenditur.*

1. ENumeratis ſuperiori capite donis, & munijs, quæ ad dignitatem Apoſtolatus ſpectant, hoc capite diſcernendum eſt, quænam munia Apoſtolis propria, quænam alijs quoquè conceſſa fuerint. D. Thomas, qui commentarijs in caput 12. epiſtolæ primæ ad Corinthios officia Apoſtolorum ad tria reducit, quorum primum eſt *authoritas gubernandi fidelem populum, quæ propriè pertinet ad officium Apoſtolatus, ſecundò facultas docendi, tertiò poteſtas miracula faciendi:* docet, ex his tribus vnum tantùm Apoſtolis proprium fuiſſe, alia duo etiam cum alijs communicata eſſe: *quia in omnibus poteſtatibus, ſeu virtutibus ordinatis*, inquit, *illud quod eſt principale, reſeruatur ſupremæ poteſtati: alia etiam inferioribus communicantur*. Poteſtas autem faciendi miracula ordinatur ad doctrinam, ſicut ad finem, doctrina autem ad gubernationem populi, *& ideò primus gradus inter Eccleſiaſtica miniſteria eſt Apoſtolorum, quibus ſpecialiter competit Eccleſiæ regimen*. Regimen itaque Eccleſiæ ſolis Apoſtolis iuxta doctrinam Angelici Doctoris competebat, illudque nulli alteri communicatum fuit, quia vt Paulus tradit, *Deus illos primùm in Eccleſia poſuit*; & vt Sanctus Thomas obſeruat, *eorum regimini Eccleſiam commiſit*.

2. Aliud dicendum eſt de doctrinæ officio, & virtute miraculorum, quæ iuxta Diui Thomæ ſententiam etiam inferioribus communicata ſunt. *Quamuis enim ad Apoſtolos præcipuè pertineat doctrinæ officium... tamen*, inquit, *alij in communionem huius officij aſſumuntur, quorum quidam per ſe ipſos reuelationes à Deo accipiunt, qui dicuntur Prophetæ; quidam verò de his, quæ ſunt alijs reuelata, populum inſtruunt, qui dicuntur Doctores ... Similiter etiam & gratia miraculorum fuit alijs communicata, quæ primitùs à Chriſto data fuit Apoſtolis*. Hæc ibi Sanctus Thomas in commentario ad epiſt. 1. ad Corinth. cap. 12. vbi Paulus præter Apoſtolos enumerat Prophetas, Doctores, gratias curationum, & donum linguarum habentes: de quibus idem Apoſtolus eodem capite: quòd per Spiritum *alteri quidem detur gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcre-*

*ſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult.* His autem verbis clarè ſignificat Apoſtolus, alios, atque alios in Eccleſia ſuo tempore fuiſſe, & ſequentibus temporibus futuros, quibus Spiritus ſanctus dona ſua diſtribuit, & diſtributurus erat, prout vellet. Qua de re D. Irenęus: *Multos fratres in Eccleſia ipſi audiuimus, qui & dona prophetiæ habent, & varijs linguis per Spiritus ſancti gratiam loquuntur, & occulta hominum in apertum proferunt.* Idem Irenæus apud Euſebium libro 5. cap. 7. tradit, quòd *dona ne dicendo quidem numerari poterunt, quæ Deus Eccleſiæ per vniuerſum mundum diffuſæ donauerit ... quæque illa ſicut à Deo accepit gratuitò, ſic cuique gratìs ſubminiſtrat.* Vnde hæc Spiritus ſancti dona à D. Thoma cum communi Theologorum vocata ſunt gratiæ gratìs datæ, & à Baronio dotes Eccleſiæ dicuntur, quia ſemper in Eccleſia aliqui fuerunt, qui ſignis operationum eius doctrinam confirmarunt.

3. Quod ex Diuo Thoma vidimus de gratijs gratìs datis, & præſertim virtute operandi miracula, quòd alijs præterquàm Apoſtolis communicata ſint, etiam locum habet in ijs, quæ ad poteſtatem ordinis ſpectant, & in confectione ſacramentorum potiſſimùm conſiſtunt, vt in collatione baptiſmi, conſecratione Euchariſtiæ, vnctione, ordinatione &c. hæc enim iuxta communem quoquè Theologorum ſententiã, vel diſcipulis, vel ſacerdotibus, vel Epiſcopis communicata ſunt, idque ab ipſis Apoſtolorum temporibus, vt ex Scriptura patet, quæ non ſolùm Apoſtolos, ſed etiam diſcipulos baptizaſſe, ſacerdotes Euchariſtiam conſecraſſe, & infirmos vnxiſſe, Epiſcopos ordines contuliſſe perhibet. Ac de baptiſmo quidem narratur Actorum 8. capite, quòd Simon Samariæ, & Eunuchus Aethiops aqua baptiſmatis abluti ſunt à Philippo. Actorum 9. Ananias Damaſci baptizauit Saulum: & Actorum 11. *Diſcipuli, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerunt vſque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, ibidemque prædicantes verbum Euangelij, multus numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum*, factaque, & fundata eſt Eccleſia Antiochena, vt Actorum 13. perhibet Sanctus Lucas, qui & Actorum 17. enarratis Pauli laboribus refert, eum perueniſſe Corinthum, *vbi multi credebant, & baptizabantur*, non quidem omnes per manus Pauli, ſed plerique per manus diſcipulorum, ſcribente Paulo epiſtola 1. ad Corinthios, cap. 1. *Gratias ago Deo, quòd neminem veſtrum baptizaui, niſi Criſpum & Caium, ne quis dicat, quòd in nomi-*

*mine meo baptizati eſtis. Baptizaui autem & Stephanæ domum. Cæterùm neſcio, ſi quem alium baptizauerim, non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* Hæc ibi Paulus, qui capite 11. eiuſdem epiſtolæ ſatis ſuperque indicat, ab alijs, quàm Apoſtolis, in Eccleſia Corinthiorum ſacramentum corporis, & ſanguinis Dominici conſecratum, adminiſtratumque fuiſſe à ſacerdotibus, vel Epiſcopis, quos Paulus vbique inſtitui curabat: vnde ſcribit epiſtola ad Titum, cap. 1. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates Presbyteros ſicut & ego diſpoſui tibi.* Quamuis autem hoc loco Presbyterorum nomine Epiſcopi intelligendi videantur, non ſoli tamen Epiſcopi per Ciuitates inſtituti ſunt, ſed etiam Presbyteri in primitiua Eccleſia ordinati fuerunt, de quibus Iacobus Apoſtolus in epiſtola canonica cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* His enim verbis Iacobus confirmat ea, quæ probanda aſſumpſimus, ſacramenta à ſacerdotibus quoquè adminiſtrata fuiſſe, adeòque non ſolis Apoſtolis, ſed etiam alijs auctoritatem conficiendi, & adminiſtrandi ſacramenta communicatam eſſe.

4. Hæc autem cum ex Scriptura tam manifeſtè pateant, & perpetua Conciliorum, Patrum, & Eccleſiaſticorum ſcriptorum traditione confirmata ſint; mirabitur forſan aliquis, qua ratione, quo fundamento inter munia Apoſtolica adminiſtrationem ſacramentorum ſuperiùs enumerauerimus. Si enim hæc munia non Epiſcopis tantùm, ſed quædam etiam ſacerdotibus competant; quomodò Apoſtolis propria fuerunt, vt ad dignitatem Apoſtolatus facere videantur? Hanc difficultatem pro huius materiæ dilucidatione mouere oportuit, ne poteſtatem Apoſtolis propriam cum poteſtate alijs communicata confundamus. Obſeruandum itaque, aliud eſſe poteſtatem ordinis, aliud poteſtatem iuriſdictionis: noſq; cum dicimus poteſtatem conficiendi ſacramenta alijs communicatam fuiſſe, loqui de poteſtate ordinis, quam ſacerdotibus, & Epiſcopis competere aſſerimus, non verò de poteſtate iuriſdictionis, niſi intelligas limitatam, quam ſacerdotes, & Epiſcopi accipiunt in populum ſibi ſubditum; non enim obtinent, neque obtinuerunt ſacerdotes, vel Epiſcopi Apoſtolorum temporibus auctoritatem iuriſdictionis vniuerſalis, ſeu in mundum vniuerſum, & totius orbis fideles: ſed id ſolis Apoſtolis à Chriſto conceſſum, reſeruatumque fuit, ſpectatque ad auctoritatem illam, quam Diuus Thomas vocat poteſtatem gubernandi populum fidelem, de qua non conſtat, an Apoſtoli ipſi diuiſis terrarum

rum

rum regionibus eam ſemper, & vbique exercuerint, cum ſinguli proprias præſertim prouincias adminiſtrandas ſuſceperint, & tunc tantùm curam, ſollicitudinemque ad omnes Eccleſias extenderint, cum hæreſibus in Eccleſia exortis, neceſſarium videbant, doctrinam euangelicam ſcripto relinquere, vel editis de eius veritate epiſtolis teſtimonia ſua poſteris conſeruare iuxta facultatem capite præcedenti num. 11.

5. Putat quidem Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus libro 1. de ſummo Pontifice cap. 9. non ſolùm ante, ſed poſt diſtributionem Prouinciarum, & ipſorum diuiſionem dicere potuiſſe illud Pauli 2. Corinth. capite 11. *Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum*, *quam ſollicitudinem*, inquit, *non ſolum geſſit de omnibus Eccleſijs, quas plantauerat, ſed de omnibus ſimpliciter: nam Chryſoſtomus in hunc locum ſcribit, Paulum totius orbis terræ curam geſſiſſe; & idem probari poſſet ex epiſtola ad Romanos, & ad Coloſſenſes, & ad Hebræos: ſcribit enim ad eos, quibus non prædicauerat, quos tamen ad curam ſuam pertinere arbitrabatur. Et quamquàm Apoſtoli inter ſe diſtribuerant, quibus peculiari ſtudio verbum Domini prædicarent, non tamen propterea vnius prouinciæ finibus ſollicitudinem ſuam concludebant, ſed vnuſquiſque eorum ita totius Eccleſiæ curam gerebat, ac ſi ad ſe ſolum ea cura pertineret*. Hæc Bellarminus, qui Apoſtolicæ auctoritatis vſum vniuerſalem ſingulis Apoſtolis etiam poſt diuiſionem adiudicat. Contra quam ſententiam iam dudùm annotauit Cancellarius vniuerſitatis Pariſienſis Ioannes Gerſonius de Eccleſiaſtica poteſtate conſid. 9. *Fortè quoad vſum, vel exercitium poteſtatis Eccleſiaſticæ ſic euenit etiam Apoſtolis, & diſcipulis, quòd poſt immediatam conceſſionem vtriuſque ſcilicet poteſtatis, & vſus factam à Chriſto, poſtmodùm creſcente numero fidelium, fuit ad tollendum ſchiſma, & ad exemplum dandum poſteris limitatio facta talis poteſtatis quoad vſum: & hoc per Petrum ſummum Pontificem de conſenſu totius Eccleſiæ primitiuæ*. Ita Gerſonius dicens, id forſan contigiſſe, dum ſcilicet vnuſquiſque Apoſtolorum eam orbis partem curandam ſuſcepit, quæ ſibi in diſtributione Prouinciarum obtigerat; quod Nicetas laudatione in Sanctum Andream indicat his verbis: *Poſtquam verò omnes pariter veluti perfecti Arietes Principis paſtorum, ouibus dati duces, iuxta Diuinum oraculum Spiritum ſanctum induerant, inde alius aliam orbis terrarum partem ſortientes, ad propriam Apoſtolatus ſortem operam Euangelio nauaturi exierunt*.

6. Cæterùm multa ſunt, quæ pro Bellarmini, multa quæ pro Ger-

Gerſonij, & Nicetæ ſententijs facere videntur, quæque nos hoc modo conciliamus, quòd putemus quidem cum Gerſonio, Apoſtolos poſt diuiſionem, Prouinciarum ſuarum præcipuè curam geſſiſſe, neque vnum in alterius prouincia, ſi Petrum, & Paulum excipias, Eccleſias inſtituiſſe, vel Epiſcopos, & Presbyteros ordinaſſe; cum Bellarmino tamen cenſemus, ſollicitudinem omnium Eccleſiarum à Chriſto accepiſſe, illaque vſos fuiſſe, dum exortæ ſunt hæreſes, à quibus Catholicos omnes fidei traditione, quam à Chriſto acceperant, cauere docuerunt. Sunt qui pro ſecunda ſententiæ noſtræ parte facere exiſtimat ſeptem epiſtolas Canonicas, quas Græci Catholicas vocant, ideſt, inquit Cornelius in Commentarijs ad primam Ioannis epiſtolam, *Circulares, & vniuerſales ſcriptas ad omnes fideles vbiuis degentes*. Repetit alibi hanc Catholicarum epiſtolarum interpretationem, & ſeptem Canonicis epiſtolis à Iacobo, Ioanne, Petro, & Iuda ſcriptis conuenire exiſtimat: cuius ſententiam licèt probare non poſſim in duabus epiſtolis Ioannis, quorum altera ad Gaium, altera ad Dominam, quam Ioannes Electam vocat, miſſæ ſunt; negare tamen non poſſum, quin locum habeat in epiſtola Iacobi, quæ circularis fuit ad omnes Iudæos fideles; & epiſtola Iudæ ad omnes Catholicos toto orbe diſperſos miſſa. De Iacobi epiſtola conſtat ex eius inſcriptione: *Iacobus Dei, & Domini noſtri IESV Chriſti ſeruus duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione*. De Iudæ epiſtola ex inſcriptione quoquè docemur, quòd ſcripta ſit *his, qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto IESV conſeruatis, & vocatis*, hoc eſt omnibus fidelibus vbique terrarum exiſtentibus. Porrò vtraque epiſtola conſcripta fuit poſt Apoſtolorum diuiſionem, cum iam hæreſes exortæ eſſent, monente Iacobo Hieroſolymorum Epiſcopo omnes Iudæos ad fidem conuerſos, ne Simonis Magi erroribus deciperentur, & adhortante Iacobo omnes totius mundi fideles, vt in fide, quam ipſi ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto acceperant, perſiſterent, neque Cerinthi, aliorumque hæreticorum falſitatibus aurem præberent. *Chariſſimi*, inquit Iudas, *omnem ſollicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium, impij &c.* His enim verbis Iudas curam, ſollicitudinemque ſuam ad omnes fideles extendit. Cæterùm exceptis his duabus epiſtolis, difficilè ex alijs canonicis epiſtolis demonſtratur, cæteros Apoſtolos, præter Petrum & Paulum ad omnes mundi fideles

les

les ſcripſiſſe.

7. Vt enim de epiſtolis Ioannis agamus, certum eſt, tertiam eius epiſtolam ſcriptam eſſe ad Gaium, ita enim incipit: *Senior Gaio chariſſimo*. Licèt autem Beda, alijque credant, hunc Gaium eſſe Corinthium illum, cuius meminit Paulus in epiſtola ad Romanos capite vltimo his verbis: *Salutat vos Caius hoſpes meus*; alij verò alium Caium fuiſſe exiſtiment: in eo tamen omnes conuenire debent, quòd hæc epiſtola ſit ſcripta à Ioanne non ad totius mundi Eccleſias, ſed ad vnum ex fidelibus: adeòque ſi illa epiſtola catholica à Græcis vocetur, id ideò factum, non quia circularis fuit, ſed quia ab vniuerſa Eccleſia inter canonicas recepta eſt. Idem omninò dicendum eſt de ſecunda Ioannis epiſtola, quæ ita incipit: *Senior Electæ dominæ, & natis eius, quos ego diligo in veritate*. Ex quibus verbis patet, eam ſcriptam eſſe ad dominam, quam Electam vocat, eiuſque natos, adeòque ad familiam particularem, non ad Eccleſiam aliquam particularem, aut vniuerſalem. Idem demùm dicendum de prima Ioannis epiſtola, quæ licèt incipiat abſque vlla penitùs inſcriptione cum his verbis: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem &c.* hæc tamen epiſtola neque fuit miſſa ad omnes fideles, vt epiſtola Iudæ Apoſtoli, neque ad omnes ex Iudæis conuerſos, vt epiſtola Iacobi Apoſtoli, ſed ad fideles Parthos à Ioanne ad fidem conuerſos. Verè namque hanc epiſtolam, & non aliam modò deperditam, vt nonnulli exiſtimarunt, ſcriptam fuiſſe ad Parthos, manifeſtè patet, tum ex ijs, quæ refert Idacius aduersùs Varimandum, vbi epiſtolam *Ioannis ad Parthos* citat; tum etiam ex Diuo Auguſtino lib. 2. quæſtion. Euangelic. cap. 39. vbi ſcribit: *Secundum ſententiam hanc etiam illud dictum eſt à Ioanne in epiſtola ad Parthos: Dilectiſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*. Locus, quem hìc citat Diuus Auguſtinus, ex Ioannis epiſtola ad Parthos, reperitur cap. 1. vers. 2. epiſtolæ Ioannis primæ. Quarè in præſtantiſſimo octingentorum annorum Codice Vaticano continente Biblia Diui Hieronymi, hæc ipſa epiſtola dicitur ſcripta ad Parthos. Ita enim notatur pro titulo: *Incipit epiſtola B. Ioannis ad Parthos*. Et in ſeptingentorum annorum Codice, qui ſub numero 1410. in Bibliotheca Reginæ Sueciæ aſſeruabatur, nunc verò munificen-

M tia

tia Alexandri VIII. Bibliothecæ M. SS. Codicum Vaticanæ adiunctus eſt, habet primam Ioannis epiſtolam cum titulo ſequenti: *Incipit epiſtola Sancti Ioannis Apoſtoli prima ad Parthos*. Et eruditus Thomaſius libro de ſacrorum Bibliorum titulis ex duobus M. SS. Codicibus, vno PP. Oratorij de Vrbe, altero PP. Benedictinorum Diui Pauli propè Vrbem refert, poſt capitula epiſtolæ primæ Ioannis hanc annotationem: *Expliciunt capitula ad Parthos*: & poſteà ex pluribus Vrbis Codicibus M.SS. hunc titulum: *Incipit epiſtola Sancti Ioannis Apoſtoli ad Parthos*. Scripſit itaque Diuus Ioannes hanc epiſtolam ad Parthos, vt rectè annotauit Baronius, qui affirmat Tomo primo Annalium, Ioannem ad Parthos profectum ibidem fidem prædicaſſe. Quod aliundè confirmari poſſet, ſi verum eſſet, quod refert Clemens Alexandrinus, ſecundam Ioannis epiſtolam ad Electam dominam, quæ in Babylonia cum filijs ſuis morabatur, ſcriptam fuiſſe. Cum enim Babylonia in Parthorum ditione tunc eſſet; & nonnulli putent, prædictam dominam Ioannis hoſpitem fuiſſe, facilè quis hinc confirmaret, Ioannem apud Parthos prædicaſſe.

8. Verùm cum Ioannes in ſecunda ad Electam dominam epiſtola affirmet: *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramentum; ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui*; ex his verbis nonnulli interpretes colligunt, epiſtolam illam miſſam fuiſſe non Babylonem ad Babyloniam fœminam, ſed ad aliquam Aſiæ vrbem Epheſo vicinam: inde enim ad vicinas Aſiæ vrbes in fide erudiendas, & confirmandas excurrere poterat, & ſolebat Sanctus Ioannes iam grandæuus, & penè decrepitus, vt refert Clemens Alexandrinus in opere, *Quis ſit diues, qui ſaluetur*: narrat enim quòd Ioannes poſt Domitiani mortem ex Patmo Epheſum rediens, quorumdam rogatu *ad finitimas gentes proficiſcitur, illuc integras Eccleſias ritè diſpenſaturus: alibi certos homines ſibi Spiritus ſancti inſtinctu demonſtratos in clerum delecturus*. Vbi notanda ſunt illa verba, *finitimas gentes*, id eſt Epheſo proximas, & in Aſia minore conſtitutas. Vnde Euſebius, qui hoc Clementis teſtimonium refert libro 3. cap. 17. ita ſcribit cap. 16. *Ioannes adhuc in Aſia vitam traducens, ſimul ac ab exilio, quod in Inſula pertulerat, poſt Domitiani mortem reuertebatur, Eccleſias ibi adminiſtrauit*. Et Diuus Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Ioanne: *Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à Senatu reſciſſis ſub Nerua Principe redit Epheſum: ibique vſque ad Traianum Principem perſeuerans totas Aſiæ fundauit, rexitque Eccleſias*. Et

Ni-

Nicetas oratione in Ioannem: *Ioannes Aſiam in ſortem accepit .... prouinciam nimirum multis vrbibus, iiſque potentibus confertam ... in Aſiam ingreſſus, atque in vnam primùm in ea Metropoleon maximam, ſcilicet Epheſum venit .... nedum vrbem Aſiæ principem, ſed & omnem deinceps prouinciam, vrbeſque omnes ex eius, quam dicebam, normæ ratione obiens, dæmonum ſacrificia omnia, rituſque abrogabat, paſtoreſque, ac ſacerdotes conſtituens, Eccleſias per loca Chriſto erigebat*. Hæc aliaque plura de Ioanne, ex quibus facilè quis colliget, cum potiùs Aſiæ, quæ ei prouincia obtigerat, quàm cæterarum orbis Eccleſiarum curam geſſiſſe.

9. Confirmari hæc videntur ex Ioannis Apocalypſi, quam ſcripſit in Patmo Inſula, dum ibidem iuſſu Domitiani in exilio verſaretur. Teſtatur namque capite 1. ſe audiuiſſe iubentis vocem: *Quod vides, ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatyræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiceæ*. Vbi ipſius Dei iuſſu admonens, laudans, & vbi opus eſt arguens Eccleſiarum illarum Epiſcopos, ipſiſque quæ tunc erant, & quæ futura ſunt, ſignificans, clarè demonſtrat, ſibi potiùs Aſiæ, quæ ei in Prouinciarum diſtributione obtigerat, quàm cæterarum Orbis Eccleſiarum curam, ſollicitudinemque diuinitùs commiſſam fuiſſe. Quod etiam ipſi Epiſcopi Aſiæ agnouerunt, ad quorum inſtantiam Ioannes Euangelium ſuum ſcripſit, vt refert Diuus Hieronymus libro de viris illuſtribus: *Ioannes Apoſtolus*, inquit Hieronymus, *nouiſſimus omnium ſcripſit Euangelium rogatus ab Aſiæ Epiſcopis*. Quamuis autem Euangelium ſuum non pro Aſiæ tantùm, ſed pro totius quoquè orbis Eccleſijs ſcripſiſſet Ioannes: ratio clara & manifeſta eſſet, quòd in eo conſcribendo totius Eccleſiæ curam aſſumpſiſſet; cum ad refutandos Ebionis errores compoſitum ſit. *Hic namque tempore adhuc Ioannis Apoſtoli iuxta Aſiam extitit, & Chriſtum hominem communem ex Ioſeph, & MARIA natum auſus eſt prædicare*: vt tradit Marius Mercator in appendice ad contradictionem 12. Anathematiſmi. Idem refert Hieronymus libro ſupracitato, affirmans Ioannem maximè contra Ebionitarum dogma compulſum fuiſſe *diuinam Chriſti natiuitatem edicere*. Ideò Euangelium ſuum incipit hoc modo: *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum .... Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*. Vbi Ioannes procul dubio reſpicit ad Chriſti transfigu-

rationem, cuius teſtis erat, vti & omnium ferè, quæ in Euangelio ſcripſit. Quarè capite vltimo de ſe ipſo refert: *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius.* Ita Ioannes contra naſcentium hæreſum errores teſtimonium perhibet veritati; prout & perhibuit epiſtola ad Parthos, quæ Euangelij ipſius compendium eſſe videtur: adeò vt epiſtola illa contra hæreſes ſcripta ſit, adeòque ſententiæ noſtræ nequaquam obſiſteret, licèt non ad Parthos tantùm, ſed generalis, & circularis fuiſſet. Verùm cum ad Parthos ſcriptam fuiſſe ſuprà oſtenderimus, Euangeliumque, & Apocalypſis pro Aſianis, vel eorum rogatu ſcripta ſint à Ioanne: facilè ex his colligitur, Apoſtolum illorum præſertim curam egiſſe, quos in fide erudierat. Et etiamſi admitteremus, Ioannem occaſione hæreſum ad quoſdam alios, quàm qui prouinciæ ſuæ terminis comprehendantur, curam ſuam extendiſſe: vnde probabitur, prouinciarum ſuarum terminos egreſſos fuiſſe cęteros Apoſtolos, Thomam, Bartholomæum, Philippum, Iacobum, Simonem Zelotem, & alios, de quibus nullum iſtius rei veſtigium ſupereſt?

10. Quæ igitur Bellarminus dixit de vſu poteſtatis Apoſtolicæ poſt diuiſionem, in Petro & Paulo præſertim locum habuerunt, qui ideò Apoſtolorum Principes vocati ſunt, quia cæteris in ijs terrarum partibus, quæ ſibi obtigerant, prædicantibus, & Eccleſias inſtituentibus, illi vbique Euangelium annuntiarunt, Petrus quidem Iudæis, Paulus verò Gentibus fidem promulgantes. Hinc Diuus Hieronymus commentario in caput 54. Iſaiæ: *Duo Apoſtolorum Principes agmina ſibi credentium in Chriſto circumciſionis, & Gentium diuiſerunt.* Et Diuus Ambroſius in capite 2. ad Galatas ideò Paulum ſe Petro comparaſſe affirmat: *Quia primatum ipſe accepit ad fundandam Eccleſiam, ſe quoquè pari modo electum, vt primatum habeat in fundandis Gentium Eccleſijs, ita tamen vt & Petrus Gentibus prædicaret, ſi cauſa fuiſſet, & Paulus Iudæis: nam vterque inuenitur vtrumque feciſſe. Sed tamen plena autboritas Petro in Iudaiſmi prædicatione data dignoſcitur, & Pauli perfecta autboritas in prædicatione Gentium inuenitur. Vnde & magiſtrum ſe Gentium vocat in fide, & veritate.* Hæc ibi Ambroſius adferens illa Pauli verba Act. 22. *Cum vidiſſent, quia creditum eſt mibi Euangelium præputij, ſicut Petro circumciſionis, operatus eſt & in me ad Gentes.* Quæ verba ita commentatur Chryſoſtomus: *Quemadmodum præputij nomine deſignat Gentes, ita & circumciſionis nomine Iudæos, iamque ſe cæte-*

*ris*

*ris honore parem oſtendit, nec ſe reliquis illis, ſed ipſi ſummo comparat, declarans, quòd horum vnuſquiſque parem ſortitus eſt dignitatem.* His verbis Chryſoſtomus innuit, Paulum Petro Apoſtolorum ſummo in prædicando vbique Euangelio, quo Eccleſia coaluit, parem fuiſſe. Et hæc eſt ratio, ob quam idem Doctor Comment. in epiſtolam 2. ad Corinth. obſeruat, Paulum totius mundi ſollicitudinem geſſiſſe; & homilia de profectu Euangelij dicit: *Quotidie igitur curæ ei erat, quid Corinthij, quid Macedones, quid Philippenſes, quomodò Cappadoces, quomodò Galatæ, quomodò incolentes Pontum, quomodò omnes homines valerent.* Nempè Paulus exequi ſtudebat, quod Deus ipſi commiſerat, & de quo ad Ananiam dixerat: *Quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël.*

11. Porrò cum Paulus orbis curam ordinante Domino ſuſceperit, nulli ſpecialiter regioni addictus fuit; quare Diuus Hieronymus in caput 5. Amos Prophetæ: *Quòd Paulus vocatus à Domino effuſus ſit ſuper faciem vniuerſæ terræ, vt prædicaret Euangelium, ædificaret non ſuper alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, ſed à Hieroſolymis vſque ad Illyricum, & vſque ad Hiſpanias tenderet, & à mari rubro, imò ab Oceano vſque ad Oceanum curreret, imitans Dominum ſuum ſolem iuſtitiæ, de quo legimus: A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, vt antè eum terra deficeret, quàm ſtudium prædicandi.* Vbi notanda verba, *non ſuper alterius fundamentum*, quæ ad Hiſpaniam ſpectant, quam Paulus ſe viſurum prædixerat epiſtola ad Romanos, & ad quam ante Paulum nemo Apoſtolorum peruenerat: non autem de alijs Occidentis regionibus, cum in ijs Petrus iam anteà prædicaſſet, vt de Italia certum eſt; in qua Romæ Eccleſiam ante Pauli aduentum inſtitutam fuiſſe, ipſe Paulus epiſtola ad Romanos ſignificat, & Diuus Lucas in Actibus narrat, dum Paulum à fratribus ſuſceptum fuiſſe affirmat. Romæ itaque Paulus prædicauit, ibique biennio integro permanens *ſuſcepit omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans Regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino IESV Chriſto cum omni fiducia ſine probibitione.* Sic Sanctus Lucas Actibus Apoſtolorom finem imponit, vt rectè obſeruat Euſebius lib. 2. capite 21. additque: *Tandem cum pro ſe in iudicio reſpondiſſet, traditum eſt, eum ad Euangelium paſſim prædicandum ſe denuo recepiſſe; ac poſtquàm ciuitatem ſecundò aduentauerat, beato martyrio extremum vitæ diem obijſſe.* Porrò poſt primum ad vrbem aduentum Paulum, qui iam in

Orien-

Oriente fidem annuntiauerat, ad Occidentis partes, ac ad terminos eius perueniſſe, teſtis eſt Clemens Romanus, qui cum Paulo verſatus eſt, eiuſque acta, & geſta perſpecta habuit; in epiſtola enim ad Corinthios apertè refert, quòd ad Occidentis terminos venerit, & in Oriente, & Occidente verbi præco factus, vniuerſum mundum inſtruxerit. Quamobrem etiam ſcribit Chryſoſtomus homilia in epiſtolam ad Romanos, quòd *non Græciam tantùm, ſed & barbaram terram omnem conuerterit, & non Siciliam, atque Italiam, verùm vniuerſum terrarum orbem verbum Dei prædicans peragrarit.*

12. Quæ de Paulo oſtendimus, etiam in Petro locum habuiſſe, ex Scripturis & traditione comprobari poteſt. Habemus enim de Petro in Euangelijs, quòd ei Chriſtus curam totius ouilis ſui commiſerit his verbis: *Paſce agnos meos, paſce oues meas.* Habemus Apoſtolorum Acta à Sancto Luca conſcripta, ex quibus Petrum Hieroſolymis, & per Iudæam vniuerſam fidem annuntiaſſe, & Ecclefias inſtituiſſe colligimus. Ex Pauli epiſtola ad Galatas cap. 2. habemus, Petrum veniſſe Antiochiam, ibique teſte Hieronymo in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis Epiſcopalem cathedram erexiſſe, in qua ſeptem annis ſedit. Inde per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, atque Aſiam, Iudæis qui in diſperſione erant, prædicaſſe, tradit Euſebius libro 3. capite 1. Quorum omnium veritatem confirmat Leo Magnus ſermone 80. in Apoſtolorum Principes, vbi ita Petrum alloquitur: *Iam populos, qui ex circumciſione crediderant, erudiueras: iam Antiochenam Eccleſiam, vbi primùm Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaueras: iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras: nec aut dubius de prouectu operis, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Chriſti Romanis arcibus inferebas.* Leo Magnus expreſsè teſtatur, Petrum poſt prædicatum in Oriente Euangelium, ad Occidentis partes veniſſe, & in orbis domina Roma fidem annuntiaſſe. Quod Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Iſaiam, temporibus ſuis adeò certum fuiſſe ſcribit, vt nemo tunc eſſet, qui ea de re ambigeret.

13. Ex Vrbe Roma Petrum primam ſuam epiſtolam ſcripſiſſe ad electos aduenas diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, indicat capite 5. vbi Romam ſub nomine Babylonis appellat, ita ſcribens: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta; & Marcus filius meus.* Vbi Petrus Marcum ſecum Romæ fuiſſe ſignificat: quod & Euſebius narrat libro

bro 2. cap. 15. dum Marcum Romæ Euangelium ex ijs, quæ à Petro acceperat, conſcripſiſſe, & ſecum Alexandriam portaſſe refert. Alexandriam autem à Petro miſſum fuiſſe habet Gelaſius I. cum Romana ſeptuaginta Epiſcoporum Synodo anno 494. affirmat namque, quòd *Marcus à Petro in Aegyptum directus verbum veritatis ibidem prædicauerit, & Beati Petri nomine ſecundam ſedem apud Alexandriam conſecrauerit*. A Petro quoquè in Occidente Epiſcopos, Paſtoreſque conſtitutos fuiſſe, tradit Innocentius Primus epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum. Qua in re cum Innocentio manifeſtè conſentit Cyrillus Alexandrinus libro 11. in Geneſim, vbi de Apoſtolis ac præſertim Petro agens aſſerit, quòd, *cum per vrbes Prouinciaſque curſitarent, populis, qui credebant, complures Paſtores præficiebant, gregemque Chriſti rationalem regere magnopere admonebant*. In cuius veritatis teſtimonium hæc Petri verba adducit ex prima eius epiſtola. *Seniores igitur*, inquit, *qui apud vos ſunt, hortor conſenex ego, & teſtis Chriſti paſſionum, qui & futuræ gloriæ, quæ reuelari debet, particeps ſum: paſcite gregem Dei, qui apud vos eſt*. Quid plura dè Petro referam? Cum ex his facile conſtet, Petrum in Oriente, & Occidente Euangelium prædicaſſe, & per totum terrarum Orbem Eccleſias inſtituiſſe. Id Leo Magnus affirmat, dum epiſtola 92. ſcribit accipiendam eſſe doctrinam, *quam præcipuus Apoſtolorum omnium beatiſſimus Petrus per totum mundum vniformi prædicatione tradidit*. Quod & ex ipſa Petri epiſtola ſecunda præclarè confirmatur, cum eam ad omnes totius orbis fideles ſcripſerit, eoſque fidei ſuæ monuerit. Incipit epiſtola: *Simon Petrus, ſeruus, & Apoſtolus IESV Chriſti ijs, qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in iuſtitia Dei noſtri, & Saluatoris IESV Chriſti*. Et infrà, cum magnus ille Apoſtolus diuinitùs intellexiſſet, quòd velox eſſet depoſitio tabernaculi ſui, tamquam paſtor bonus ouiliſdominici curam gerens, omnem ſollicitudinem adhibuit, eoſque ad firmiter in fide permanendum adhortatus eſt, dicens ad omnes, qui coæqualem cum ipſo ſortiti erant fidem: *Propter quod incipiam vos ſemper commonere*. Et rursùs: *Iuſtum autem arbitror, quamdiù ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione, certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter IESVS Chriſtus ſignificauit mihi*. Sic Petrus martyrio, & morti proximus cycneam illam vocem emiſit, qua omnes Chriſti fideles pro cura ſibi diuinitùs impoſita contra vitia armauit, contra errores, & hæreſes inſtruxit, contra perſecutiones, contra mala om-

omnia, quæ vel tunc, vel poſteà aduentura erant, virtutum ſtudio roborauit.

14. Ex his, ni fallor, conſtat non Paulum tantùm, ſed & Petrum dicere potuiſſe, *Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum*; & de vtroque illo Apoſtolo meritò exclamaſſe Diuum Chryſoſtomum oratione encomiaſtica in Petrum, & Paulum Apoſtolorum Principes: *O par beatum, cuius fidei totius mundi animæ ſunt concreditæ*. Et infrà: *Qui terram omnem, & mare colluſtrarunt, ſcelerum radices euulſerunt, pietatiſque ſemina infidelium cordibus iniecerunt*. Et rursùs rectè hunc aureum Doctorem eos vocaſſe *Eccleſiæ luminaria*: verè enim vniuerſam Eccleſiam luce fidei illuminarunt. Vnde Leo Magnus ſermone 80. affirmat, quòd *gratia Dei Petrum, & Paulum in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtrueret lumen oculorum*. Et diù poſt Leonem Magnum Nicetas oratione encomiaſtica in Apoſtolorum Principes Petrum, & Paulum affirmans duos illos Apoſtolos ad inſtar duorum oculorum Chriſto inſeruijſſe: *Velut enim duo lucidiſſimi, ac blandiſſimi Dominici corporis proſtatis oculi, quibus totum eius corpus illuſtratur: per quos Dominus extantes toto orbe Eccleſias inſpectans ædificet, perficiatque*. Illo igitur modo, quo Nicetas explicauit, Petrus & Paulus Chriſti corporis, id eſt Eccleſiæ Luminaria fuerunt, quia per eos quaſi per duos oculos, Chriſtus inſtantes toto orbe Eccleſias inſpexit, fundauit, ædificauitque. Quomodò autem ex his non ſequatur, biceps Eccleſiæ caput à Chriſto inſtitutum fuiſſe, vt aliqui malè intulerunt, ex infrà dicendis patebit.

# CAPVT TERTIVM

## *Quod excepta Petri Cathedra, nulla alia ſollicitudinem omnium Eccleſiarum ab Apoſtolis acceperit.*

1. *Marci Antonij de Dominis ſententia, quòd omnes Apoſtoli in ſolidum Eccleſiam gubernarint, & Epiſcopis ſucceſſoribus ſuis auctoritatem gubernandi Eccleſiam reliquerint, adeòque Petrus nihil præ cæteris Apoſtolis obtinuerit. Idem cum illo ſcripſit auctor modernus.*

2. *Nullam Cathedram Apoſtolicam, excepta Petri, auctoritatem gubernandi vniuerſam Eccleſiam accepiſſe, ex enumeratis à Tertulliano Eccleſijs Apoſtolicis oſtenditur.*

3. *Patet id de Eccleſijs, Corinthiaca, Achaia, Philippenſi, & Theſſalonicenſi in Macedonia, quæ cum ab Apoſtolis inſtitutæ ſint, authoritatem illam nunquam obtinuerunt.*

4. *Idem probatur de Eccleſia Epheſina in Aſia ab Apoſtolis Paulo, & Ioanne fundata, quæ tamen vltra Aſiæ diæceſim nunquam curam ſuam extendit.*

5. *Re-*

5. *Retenſentur cæteræ Eccleſiæ Apoſtolicæ à Tertulliano omiſſæ, quæ tamen juriſdictionem in totam Eccleſiam numquam acceperunt, nunquam exercuerunt, nunquam ſui iuris eſſe contenderunt.*

6. *Epiſcopum Byzantinum non auctoritate ab Andrea Apoſtolo, ſed à tranſlato Conſtantinopolim Imperio iuriſdictionem Epiſcopali maiorem vſurpaſſe cum fœdo ſchiſmate, ex ipſis Synodis Conſtantinopolitanis probatur.*

7. *Epiſcopum Byzantinum ante Synodum generalem Secundam ſuffraganeum fuiſſe Heracleenſis Metropolitæ, & tribus primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopatus ſui terminos egreſſum non fuiſſe, probatur.*

8. *Auctoritas Apoſtolica gubernandi vniuerſam Eccleſiam, ne quidem Hieroſolymitanæ tributa fuit, licèt illam Iacobus Apoſtolus à tribus alijs Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus triginta annis rexerit, ibidemque martyrium obierit.*

9. *Iacobo ab ipſis Apoſtolis ſubſtitutus Simon Cananæus, quem & aliqui Apoſtolum fuiſſe tradunt, quo tamen non obſtante Sedes Hieroſolymitana ſuffraganea fuit Cæſareenſis Metropolis, & ſubiecta Patriarchæ Antiocheno, vt Hieronymi teſtimonio comprobatur.*

10. *Ex his omnibus reijciuntur errores Marci Antonij de Dominis initio capitis propoſiti, & ab Vniuerſitate Pariſienſi in pleriſque propoſitionibus cenſura doctrinali condemnati.*

1. VIdimus ſuperiori capite Apoſtolorum authoritatem, quæ in ſollicitudine omnium Eccleſiarum conſiſtit, nulli alteri, quàm Apoſtolis, ipſorum vita durante competijſſe. Nunc videndum eſt, an Apoſtoli auctoritatem illam ſucceſſoribus reliquerint. Si enim Marco Antonio de Dominis fidem adhibeamus: *Epiſcopi dicuntur Apoſtolorum ſucceſſores, qui in eorum officio, quod erat Apoſtolorum omnium commune, ſuccedunt omnes omnibus in ſolidum.* Ita ille libro 2. de Republica Eccleſiaſtica, capite 1. num. 13. adiungens, quòd *ſicut Apoſtoli ſimul & in ſolidum ariſtocraticè curam gerebant Eccleſiæ cum poteſtate æquali, & vniuerſali; ita Epiſcopi omnes ſimul & in ſolidum eamdem regunt Eccleſiam, ſinguli cum plena poteſtate.* Ex quibus planè ſequitur, quod idem ſcriptor aſſerere auſus eſt libro 4. quòd *Petrus non habuit quidpiam peculiare, in quo ei dari debeat magìs, quàm cæteris omnibus ſucceſſio.* Quam propoſitionem quaſi ſepultam apud Catholicæ doctrinæ propagatores noſtris temporibus auctor quidam renouare ſtuduit, dum libro de diſciplina Eccleſiæ ſcripſit, quòd *nulla ratione, nullo teſtimonio Scripturæ, aut traditionis docemur, poteſtatem Apoſtolatus Petri ad eius ſucceſſores permanaſſe, non autem poteſtatem cæterorum Apoſtolorum; cum ex æquo Eccleſiarum Apoſtolicarum Epiſcopi dicantur eorum Apoſtolorum, à quibus Eccleſiæ ſunt fundatæ, ſucceſſores: imò omnes Epiſcopi Apoſtolorum omnium ſucceſſores eſſe perhibeantur.*

2. Plura ſunt, quæ à nupero ſcriptore aſſeruntur, & vix refutatione indigent, cum communi totius Eccleſiæ traditioni, & ipſius Sorbonæ Pariſienſis ſententiæ repugnent. Supponimus enim, hìc agi de ſollicitudine omnium Eccleſiarum, quam excepta Ca-

N te-

tedra Petri, nullam aliam accepiſſe, adeò manifeſtè conſtat, vt nihil clariùs conſtare poſſit. Quis enim aliorum Apoſtolorum vllibi terrarum cathedram erexit? Cui ſollicitudinem omnium Eccleſiarum reliquit? Quænam Eccleſia in toto orbe reperitur, quæ hanc dignitatem ſibi tributam fuiſſe vnquam contendit? Percurramus cum antiquo Carthaginenſis Eccleſiæ presbytero Tertulliano Eccleſias Apoſtolicas, apud quas *ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis temporibus præſidebant, & apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitabantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem vniuſcuiuſque*: & videamus, vtrùm vel in litteris Apoſtolicis ad eas ſcriptis talis authoritas ipſis conceſſa dicatur; vel quod ſcripto non continetur, ex ſermonibus, aut verbis Apoſtolicis illis diuinitùs tributum fuiſſe colligatur.

3. *Age igitur*, inquit Tertullianus, *qui voles curioſitatem meliùs exercere in negotio ſalutis tuæ, & ſi tibi proxima eſt Achaia, habes Corinthum; ſi non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes*. Harum ciuitatum Eccleſias Apoſtoli inſtituerunt, & ad eas doctor Gentium Paulus litteras Apoſtolicas miſit: ad Philippenſes vnam, ad Theſſalonicenſes duas, ſicut & duas ad Corinthios ſcripſit, in quibus nullibi indicat, Eccleſijs illis authoritatem ſuper cæteras mundi Eccleſias conceſſam fuiſſe, quin potiùs ſecundam epiſtolam ad Corinthios hoc modo incipit: *Paulus Apoſtolus IESV Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis, qui ſunt in vniuerſa Achaia*. Ex quibus Pauli verbis nihil aliud deduci poteſt, quàm totius Achaiæ Eccleſias Corinthiacæ, tanquam Metropolitanæ contributas fuiſſe; neque authoritatem Metropolitanam maiorem à tempore Apoſtolorum vſque in hunc diem vnquam conſecuta eſt Eccleſia Corinthiaca, quamuis Paulus ad eam duas epiſtolas ſcripſerit, & ibidem ſederit *annum & ſex menſes, docens apud eos verbum Dei*, vt refert Sanctus Lucas in Actis cap. 17.

4. *Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum*, inquit Tertullianus, quia & ibidem Paulus prædicauit, & epiſtolam ad Epheſios miſit, in qua fatetur, *ipſos ſuperædificatos ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESV*. Accedit, quòd poſt Pauli tempora Epheſijs prædicauerit Ioannes Apoſtolus, vt teſtatur Clemens Alexandrinus in edito nuper à Combefiſio opuſculo, cui titulus, *Quis diues ſaluandus ſit*. Ibi refert Ioannem à Patmo Inſula Epheſum rediiſſe, vbi *vicinas quoquè gentes rogatus, partim quidem vt Epiſcopos con-*

*conſtitueret, partim vt integras Eccleſias diſponeret, & formaret, partim etiam vt vnumquemque eorum, quos Spiritus deſignaret, in clerum coaptaret.* Citat hunc locum Euſebius libro 3. cap. 23. poſt quem Diuus Hieronymus idem tradit libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis his verbis: *Sub Nerua Principe redit Epheſum, ibique vſque ad Traianum Principem perſeuerans totius Aſię fundauit, rexitque Eccleſias, & confectus ſenio ſexageſimo octauo poſt paſſionem Domini anno mortuus iuxta eamdem vrbem ſepultus eſt.* Quamuis autem ex his pateat, quòd Epheſina Eccleſia à duobus Apoſtolis edocta ſit, & vt Sanctus Irenæus lib. 3. aduersùs hæreſes obſeruat, eam Paulus conuerterit, Ioannes rexerit, qui, vt cum Hieronymo tradit auctor Synopſeos de duodecim Apoſtolis in Codice Regio manuſcripto Hippolyto Portuenſi tributæ, *ſub Traiano obdormiuit Epheſi*: Eccleſia tamen Epheſina auctoritatem Apoſtolicam in totam ſub cælo Eccleſiam nunquam obtinuit, ſed ſolùm Exarchatum Aſiæ minoris, quæ Orbis Romani pars Ioanni in diſtributione prouinciarum obtigerat, conſecuta eſt, vt infrà demonſtrabimus.

5. Quid cæteros Apoſtolos commemorem, quos non commemorauit Tertullianus? Quid Thomam adducam, qui Indos ad fidem conuertit, vt Gregorius Magnus affirmat, & Calaminæ martyrio coronatus eſt, vt auctor Synopſeos ſupracitatæ narrat? Quid Matthæum, qui Hieram Parthorum vrbem beato fine honorauit? Quid Bartholomæum, qui in Magnæ Armeniæ vrbe Albani martyrium ſubijt? Quid Philippum, qui Hierapoli in Phrygia, vbi domicilium habuit, & Eccleſiam inſtituit, crucifixus eſt? Cum neque Calamina in India, neque Hiera Parthorum, neque Albana ciuitas Armenorum, neque Hierapolitana apud Phrygas Eccleſia vnquam authoritatem Apoſtolicam ſuper cæteras orbis Eccleſias aut contendiſſe, aut obtinuiſſe ab vllo veterum Scriptorum memorentur? Quis enim vmquam memoriæ prodidit, harum Eccleſiarum Epiſcopos curam totius Eccleſiæ ſibi aſſumpſiſſe? Vel quis antiquorum Scriptorum vnquam tradidit, ſollicitudinem omnium Eccleſiarum ad ipſos ſpectaſſe? Vbinam ſunt documenta, quibus Epiſcopi illi vel minimum iuriſdictionis Apoſtolicæ indicium ad poſteros tranſmiſiſſe ſignificatur? Quis illorúm, non dico ad Occidentis Eccleſias, ſed ad Eccleſias aliarum prouinciarum Orientalium litteras auctoritatis Apoſtolicæ indices miſit? Quis vbique terrarum Eccleſias inſtituit? Quis Epiſcopos creauit? Quis de illis iudicium tulit? Quis illos à recta via aberrantes cenſura diuina, vt cum Tertulliano loquar, coër-

cuit & pœnitentes abſoluit, ac Eccleſiæ communioni reſtituit?

6. Dices forſan, id ſibi aſſumpſiſſe Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui titulum Oecumenici, & vniuerſalis Patriarchę ab annis mille vſurpauit, & in totum Orientem ab octingentis annis iudicium exercuit. Verùm qui hæc obijcere vellet, adiungere deberet, faſtum Conſtantinopolitani Epiſcopi ex Regiæ vrbis ſplendore, non ex Apoſtolica authoritate ortum ducere, eoque ipſo tempore, quo titulum vniuerſalis Patriarchæ aſſumpſit, temeritatem ipſius repreſſam fuiſſe à Gregorio Magno: & ſi ab 800. annis in Orientem authoritatem aliquam vſurpauit, ſe primùm ab Eccleſia ſeparaſſe, & Chriſti tunicam inconſutilem ſcidiſſe, ac fœdo ſchiſmate Orientales à communione totius orbis fidelium auulſiſſe, neque ad ſummam auctoritatem Apoſtolicam ſuper tres alios Orientis Patriarchatus exercendam peruenire vnquam potuiſſe. Quamuis enim nonnulli Schiſmatici Græci ſomniarint, primatum cum imperio ab vrbe Roma Conſtantinopolim commigraſſe, hoc tamen ſchiſmaticorum figmentum ex ipſis Conſtantinopolitanis Concilijs nullo negotio refutari poteſt, cum Synodi generales Secunda, & Octaua Conſtantinopoli celebratæ illi manifeſtè repugnent; hæc quidem condemnando Photium ſchiſmatis auctorem, & agnoſcendo in Romano Pontifice ſupremæ poteſtatis Apoſtolicæ primatum; illa verò non niſi ſecundum dignitatis locum poſt Romanam Eccleſiam Conſtantinopolitano Epiſcopo tribuendo. Quod vltimum tamen tanquam rem nouam, & nunquam anteà auditam vniuerſus Occidens reſpuit, & Romana Eccleſia longiſſimo tempore conſtanter improbauit.

7. Porrò quod ante Secundi Concilij generalis tempora nunquam auditum ſit, Epiſcopum Conſtantinopolitanum Secundum honoris locum in Eccleſia obtinere, vel ex eo patet, quòd ad illud vſque tempus ſuffraganeus fuerit Heracleenſis Epiſcopi, quem exciſo per Seuerum Byzantio Prouinciæ Europæ Metropolitam, & totius Thraciæ Exarchum fuiſſe conſtat. Et quamuis ante Seueri tempora Byzantinus Epiſcopus Metropolitanam authoritatem obtinuiſſet, & exarchalem in Thraciam exercuiſſet, idque obtinuiſſet à Sancto Andrea Apoſtolo, qui cum Thraciam vicinaſque regiones ſortitus eſſet, Byzantijs fidem annuntiaſſe, & Stachym Epiſcopum conſecraſſe fertur: indè tamen non ſequeretur, Epiſcopum Byzantinum auctoritate Apoſtolica vel vſum fuiſſe, vel vti potuiſſe in reliquas orbis Eccleſias. Quin etiam cum neque Scriptura, neque Patres, neque Scriptores Eccleſiaſtici tribus primis ſæculis vllam Eccleſiæ Byzantinæ mentionem fecerint, pri-

muſque illius Epiſcopus Metrophanes clariùs habeatur, quia Niceno Concilio adinſtar aliorum Epiſcoporum interfuit; quis vnquam credet, Byzantinos Epiſcopos ab ætate Apoſtolorum vſque ad Nicæni Concilij tempora curam, ſollicitudinemque totius Eccleſiæ geſſiſſe? Quis dicet, eos vbique terrarum per trecentos annos ſupremam authoritatem Apoſtolicam exercuiſſe, quorum ne quidem nomen commemoratur in tot grauibus difficultatibus, quæ medio tempore exortæ ſunt in Eccleſia? Nouerunt ipſi Græci commentitium, & à veritate alienum eſſe tale commentum; ideòq; Gregorius Cyprius in Catalogo Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, dignitatis ipſorum amplitudinem à Metrophane repetit, & eos, qui ante Metrophanem ſederunt, non niſi Epiſcopos Byzantij fuiſſe aſſerit. *Hi ſunt*, inquit, *Epiſcopi Byzantij, priuſquàm Conſtantinopolis diceretur. Sed vbi magnæ Vrbis nomine donata eſt, etiam Epiſcopi Patriarcharum titulo donati fuere*. Hæc Gregorius Cyprius, qui nullam Epiſcopis Byzantinis authoritatis Apoſtolicæ prærogatiuam tribus primis ſeculis agnoſcit.

8. Si vlli vnquam Epiſcopo hæc auctoritatis prærogatiua competijſſet, Hieroſolymitano præ cæteris competere debuiſſet, cum Hieroſolymitanam Eccleſiã Chriſtus Dominus inſtituerit, & omnes omninò Apoſtoli eam diuturno tempore edocuiſſe, ſacra Scriptura in eorum Actibus teſtetur, vbi Chriſtus ipſe cap. 1. *præcepit eis, ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris*. Et vbi inſtituta ab ipſis Eccleſia, multa quidem paſſi ſunt, diù tamen perſeuerarunt: orta enim perſecutione magna *in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, omnes*, inquit Lucas Actorum 8. cap. *diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apoſtolos*. Apoſtoli namque, vt alibi vidimus ex antiquis Eccleſiæ monimentis, & Apollonij, ac Euſebij teſtimonijs, Hieroſolymitanæ, viciniſque Iudææ Eccleſijs inſtituendis operam adhibere debebant per annos duodecim, antequàm ad Gentes conuerſi diſtributis ſibi terrarum partibus imbuendum Euangelio mundum ſuſciperent. Vnde & contigit, vt ex Chryſoſtomo alio loco obſeruauimus, quòd Apoſtoli cæſi licèt, & flagellati, diù Hieroſolymis manſerint, ibique tanto temporis ſpatio hærentes nonnulli martyrij palmam conſecuti ſunt. De Iacobo Apoſtolo Actorum 12. narrat Lucas: *Herodes occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio*. De Matthia habet Synopſis duodecim Apoſtolorum: *Cum eſſet vnus de ſeptuaginta, accenſetur duodecim Apoſtolis, cumque prædicaſſet Hieroſolymis, obijt, ac illic ſepultus eſt*. Similiter de Iacobo Alphæi:

Præ-

*Prædicans Hieroſolymis lapidatus à Iudæis occiditur, illicque propè templum ſepelitur.* Et demùm de Simone Cananæo filio Cleophæ: *Poſt Iacobum Iuſtum Hieroſolymorum Epiſcopus obijt, ſepeliturque eodem loco cum annos* 120. *vixiſſet.* Ex quibus omnibus conſtat, non ſolùm quatuor omninò Apoſtolos Hieroſolymis obijſſe, ſed etiam duos quoquè ex illis Iacobum, & Simonem Hieroſolymorum Epiſcopos fuiſſe.

*9.* De Iacobo quidem à Petro, Iacobo, & Ioanne poſt Chriſti aſcenſionem in Epiſcopum ordinato, Clementis Alexandrini teſtimonium extat in ſexto Inſtitutionum libro, quod refert Euſebius in Palęſtina Epiſcopus libro 2. hiſtoriæ, cap. 1. qui & capite 23. refert eiuſdem Iacobi martyrium: *Cui*, inquit, *Epiſcopalis Hieroſolymorum Sedes ab Apoſtolis tradita fuerat.* Hæc ibi de Iacobo Euſebius, qui libro 3. cap. 11. narrat: *Poſt martyrium Iacobi, & continuò ſubſecutam Hieroſolymorum expugnationem fama eſt, Apoſtolos, cæteroſque Domini diſcipulos, qui adhuc ſuperſtites agebant, ex varijs locis in vnum conueniſſe, & vna cum ijs, qui Dominum ſecundùm carnem propinquitate generis contigebant, plerique enim eorum adhuc in viuis ſupererant, in commune conſuluiſſe, quis in Iacobi locum ſuccedere mereretur. Omnes itaque vno conſenſu Symeonem filium Cleophæ illius, cuius in Euangelio ſit mentio, Epiſcopali Sede dignum iudicauerunt.* Ex quibus Euſebij verbis non habemus quidem, hunc Symeonem fuiſſe Apoſtolum, de quo & antiqui ſcriptores differunt, ſed in Iacobi Apoſtoli locum ab ipſis Apoſtolis communi omnium conſilio fuiſſe ordinatum Epiſcopum, quod de nullo alio totius terrarum orbis Epiſcopo dici poteſt. Adeo vt, ſi vlli Epiſcopo auctoritas Apoſtolica competeret, Hieroſolymitano attribuenda foret. Cui tamen auctoritatem illam nemo antiquorum tribuit, nec ipſa Hieroſolymitana Sedes ſibi competere vnquam aſſeruit: quin potiùs, ſi euoluere velimus Annales Eccleſiaſticos, reperiemus Eccleſiam illam ab Apoſtolorum temporibus vſque ad ſacri Nicæni Concilij tempora ſuffraganeam fuiſſe Metropolitanæ Cæſareenſis, ſcribente Diuo Hieronymo contra Ioannis Hieroſolymitani errores in epiſtola ad Pammachium: *Scribit ad Theophilum Epiſcopum apologiam, cuius iſtud exordium eſt: Tu quidem vt homo Dei, & Apoſtolica ornatus gratia curam omnium Eccleſiarum, maximè eius, quæ in Hieroſolymis es, ſuſtines, cum ipſe plurimis ſollicitudinibus Eccleſiæ Dei, quæ ſub te eſt, diſtringaris. Laudat faciem, ad perſonam principium trahit: Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni*

*ni Concilij canonibus veteris, & alienos clericos, & cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris vſurpare: reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſarienſem Epiſcopum referre debueras, cui ſpreta communione tua communicare nos noueras; aut ſi procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potiùs dirigendæ litteræ.* Hæc ibi maximus Eccleſiæ Doctor Hieronymus, qui vno eodemque ſermone & Theophili Alexandrini Epiſcopi iuriſdictionem Aegypti, & Patriarchatus ſui limitibus coërcet, & Hieroſolymitanum Epiſcopum iuxta regulas Nicænas, quæ antiquos Eccleſiæ mores renouarunt, Cæſareenſi Metropolitæ, & Antiocheno Orientis Diœceſeos Patriarchæ ſubiectum eſſe docuit. Tamque ab omni veritate alienum eſt, Hieroſolymorum Epiſcopum auctoritate Apoſtolica iuriſdictionem in orbem terrarum exercuiſſe, vt ipſe Ioannes Hieroſolymitanus Eccleſiam ſuam Alexandrinę ſubiectam eſſe finxerit, quò Cęſareenſis Metropolitæ, & Antiocheni Patriarchæ iudicium euaderet.

10. Tædet diutiùs in comprobando argumento tam claro, tam manifeſto, tempus terere, cum tota antiquitas, & ipſa veterum Eccleſiarum monumenta errorem illum condemnent, quo poteſtas Apoſtolatus cæterorum Apoſtolorum ad eos Epiſcopos permanaſſe aſſeritur, qui in illis Eccleſijs ſedent, quas vel Apoſtoli fundarunt, vel rexerunt. Multòque abſurdius eſt, quòd omnes Epiſcopi Apoſtolorum omnium ſucceſſores eſſe perhibeantur. Ex quo fundamento Marcus Antonius de Dominis propoſitiones illas elicuit, quas initio huius capitis adduximus, quaſque Sorbona Pariſienſis eodem tempore, quo editæ fuerunt, tanquam ſchiſmaticas, & hæreticas à Schola ſua proſcripſit. Refert illas Andreas du Vallius eiuſdem Sorbonæ Doctor parte 1. de Romani Pontificis poteſtate, quæſtione ſecunda; ex quo ſequentes propoſitiones cum Facultatis Theologicæ Pariſienſis cenſura pro huius capitis coronide ſubiungimus venena ſcilicet à Gallis proſcripta.

PRO-

# PROPOSITIONES

*Selectæ à Sacra facultate Theologiæ Pariſienſis inter innumeras ex quatuor libris Antonij de Dominis Archiepiſcopi Spalatenſis de Republica Eccleſiaſtica.*

Libro 1. capite 3. numero 18.

*Diſparitatem poteſtatis inter Apoſtolos eſſe humanum inuentum, in ſacris Euangelijs, & diuinis noui Teſtamenti Scripturis minimè ſubſiſtens.*

## *CENSVRA.*

*Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica, de iuriſdictione Apoſtolica ordinaria, quæ in ſolo Diuo Petro ſubſiſtebat, intellecta.*

## *PROPOSITIO.*

Libro 2. capite 1.

*Sicut Apoſtoli ſimul, & in ſolidum Ariſtocraticæ curam gerebant Eccleſiæ, cum poteſtate æquali, & vniuerſali: ita Epiſcopi omnes ſimul & in ſolidum eandem regunt Eccleſiam, ſinguli cum plena poteſtate.*

## *CENSVRA.*

*Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica quoad vltima verba:* ſinguli cum plena poteſtate.

## *PROPOSITIO.*

Numero 13. ibidem.

*Epiſcopi dicuntur Apoſtolorum ſucceſſores, qui in eorum officio, quod erat Apoſtolorum omnium commune, ſuccedunt; omnes omnibus in ſolidum.*

*CEN-*

## CENSVRA.

*Hæretica eſt, & ſchiſmatica, cum agat de iuriſdictionis Apoſtolicæ poteſtate.*

## PROPOSITIO.

*In poteſtate vniuerſali ſuccedunt Epiſcopi non modò vniuerſi, ſed etiam ſinguli.*

## CENSVRA.

*Hæretrca eſt, & ſchiſmatica, vt duæ præcedentes.*

## PROPOSITIO.

Libro 4. Capite .... numero 2.

*Omnes ſanè Epiſcopi ſunt omnium Apoſtolorum, etiam Petri in ſolidum ſucceſſores.* Et paulò poſt: *Non enim Petrus habuit quidpiam peculiare, in quo ei dari debeat magis, quàm cæteris omnibus ſucceſſio.*

## CENSVRA.

*Prior propoſitio, qua parte ſtatuit ſingulos Epiſcopos eſſe Petri ſucceſſores, eſt captioſa. Quia Petrus vltra poteſtatem ordinis, in qua ei ſuccedunt Epiſcopi, aliam habuit iuriſdictionis Apoſtolicæ, cui ſolus Romanus Pontifex ſuccedit.*

*Poſterior eſt hæretica, ſchiſmatica, & hierarchici ordinis perturbatiua.*

Hactenùs propoſitiones Marci Antonij de Dominis, quas Iſambertus vir editis ſcriptis clariſſimus tanquam Sorbonæ Syndicus vniuerſitati illi qualificandas obtulit, & quarum cenſuras poſt maturum examen de mandato Decani, ac Magiſtrorum Facultatis Theologicæ Pariſienſis Philippus Bouuot ſcripſit; adeò vt planè ignorem, qua ratione vniuerſitatis notam euadere poſſint, qui

Spalatenſis propoſitiones renouare tentarunt ſcribendo; aut omnes Epiſcopos, ex æquo eſſe omnium Apoſtolorum ſucceſſores, de quo hoc capite egimus; aut nullam Petrum præ cæteris Apoſtolis auctoritatem accepiſſe, quam ad poſteros tranſmiſit, de quo ſequentibus capitibus agemus.

# CAPVT QVARTVM

## *Quòd in ſola Petri Cathedra auctoritas Apoſtolica gubernandi vniuerſam Eccleſiam ad ſucceſſores tranſmiſſa ſit.*

*1. Bellarmini ſententiam de diſtinctione authoritatis Apoſtolicæ inter ordinariam, & delegatam, quam nuperus auctor fictitiam cenſet, Sorbona Pariſienſis pro vera agnoſcit, & contra Spalatenſem cenſuris tuetur, & vindicat.*

*2. Cum Sorbona ſentit Petrus de Marca Pariſienſis Epiſcopus, qui diſtinctionem illam varijs rationibus comprobat.*

*3. Eadem ex Diui Hieronymi, & Sancti Optati Mileuitani Epiſcopi locis eruitur ac dilucidatur.*

*4. Sanctus Optatus expreſsè affirmat, neminem Apoſtolorum ſibi Cathedram conſtituiſſe præter Petrum, idque fieri debuiſſe, vt vnitas ſeruaretur. Quod à Pariſienſi Archiepiſcopo de Marca duplici ratione illuſtratur, quarum altera ex Diuo Irenæo petitur.*

*5. Diuus Irenæus enim dicendo, quòd omnes Eccleſiæ conuenire debeant cum Petri Cathedra propter potentiorem eius principalitatem, authoritatem Cathedræ Petri permanentem eſſe ſignificat. Quod & omnes totius orbis Eccleſiæ ſemper agnouerunt.*

*6. Nec ſolæ orbis Eccleſiæ ex Apoſtolorum doctrina hanc auctoritatem agnouerunt, ſed & Paulus ipſe, vt Diui Hieronymi, Theodoreti, Ambroſij, & Chryſoſtomi teſtimonijs confirmatur.*

*7. Idem conſtat ex quæſtione de Legalibus, quam Paulus ad Apoſtolos, & Petrum præſertim retulit, vt rectè Theodoretus obſeruauit, quia Petrus præcipuus erat, & Princeps decreti extitit, vt Hieronymus affirmat.*

1. Docuerat Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus communem Patrum regulam ſecutus, quòd licèt omnes Apoſtoli authoritate pares fuerint in fundatione Eccleſiarum, non ideò tamen ſequi, Petrum nullum inter Apoſtolos primatum habuiſſe, cum poteſtas, quæ cæteris Apoſtolis ad tempus data fuit, Petro conceſſa ſit, vt ad poſteros eius permanaret, adeòque ordinariam primatus poteſtatem Petro competiiſſe, reliquis Apoſtolis delegatam, ſeu cum vita finituram. Hanc Bellarmini ſententiam nuperus ſcriptor Pariſienſis ad trutinam reuocans aſſerere auſus eſt, diſtinctionem illam inter Apoſtolorum auctoritates eſſe fictitiam: *Fictitia quidem eſt*, inquit, *quia nulla ratione, nullo teſtimonio Scripturæ, aut traditionis docemur, poteſtatem Apoſtolatus Petri ad eius ſucceſſores permanaſſe, non autem poteſtatem cæterorum Apoſtolorum*. Sic Bellarmini ſententiam reijcit ſcriptor

ptor ille, qui doctrinam ſuam à Marco Antonio de Dominis accepit, cuius propoſitionem, quòd diſparitas poteſtatis inter Apoſtolos *ſit inuentum humanum, in Scriptura noui Teſtamenti minimè ſubſiſtens*, hac cenſura à Schola ſua proſcripſit Facultas Pariſienſis: *Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica de iuriſdictione Apoſtolica ordinaria, quæ in ſolo Diuo Petro ſubſiſtebat, intellecta*. Vbi Sorbona Pariſienſis apertè indicat, aliam eſſe iuriſdictionem Apoſtolicam ordinariam, aliam delegatam; hanc ſecundam Apoſtolis fuiſſe communem, primam Diuo Petro propriam, quæ tamen ad ſucceſſores permanare debebat, vt eadem Pariſienſis Facultas in altera propoſitionis cenſura ſuperiori capite allata explicat, vbi Petrum præter poteſtatem ordinis docet habuiſſe iuriſdictionem Apoſtolicam, *cui ſolus Romanus Pontifex ſuccedit*.

2. Miratus quandoque fui legens hanc Sorbonæ Pariſienſis cenſuram, qui fieri potuit, quòd alumnus eius tam manifeſtè illam impugnare auſus ſit. Verùm ne videamur querelis locum dare, examinemus, an rectè auctor ille ſcripſerit, nulla ratione, nullo teſtimonio Scripturæ, aut traditionis doceri, poteſtatem Apoſtolatus Petri ad eius ſucceſſores permanaſſe, non autem poteſtatem cæterorum Apoſtolorum. Et cum capite præcedenti oſtenderimus, nullatenùs poteſtatem reliquorum Apoſtolorum ad ſucceſſores permanaſſe; videamus hoc capite rationes, & teſtimonia traditionis, quibus compellimur dicere & fateri, poteſtatem Apoſtolatus Petri ad ſucceſſores tranſmitti debuiſſe. Ne autem noſtris rationibus hoc euincere videamur, Pariſienſis Archiepiſcopi de Marca rationes proponamus, quas in edita per Stephanum Baluzium, inter eius opuſcula Diſſertatione de ſingulari Primatu Petri propoſuit. Reſpicit ad epiſtol 87. Leonis Magni, qua tradit, auctoritatem Eccleſiæ in Petro principaliter collocatam eſſe, & commentatur caput ſeptimum. *Rectiſſimè à Leone explicata eſt Primatus in Petri perſona auctoritas; nempè vt eadem poteſtas, quæ reliquis quoquè Apoſtolis conceſſa fuit à Chriſto, in Petro ſit principaliter collocata*. Et infrà: *Cum autem caput in Eccleſia conſtitutum fuerit à Chriſto ad ſchiſmatum, & diſſidiorum occaſionem tollendam, vt obſeruat Hieronymus, hinc fit veram eſſe, & certiſſimam definitionem iſtam, Eccleſiam Chriſtianam acephalam eſſe non poſſe, illiuſque ſtatum iure diuino eſſe monarchicum, vt loquebatur Gerſon, ne alioqui quotidianis diuiſionibus proſcindatur. Quarè Petri priuilegium reale fuit, in Eccleſiæ perpetuum commodum; non autem perſonale, cuius generis erat reliquorum Apoſtolorum dignitas. Hi namque Eccleſias per varias orbis pro-*

*uincias inſtituentes, ſingulas ſuis finibus circumſcriptas Epiſcopis proprijs regendas committebant, ſicque munere à Chriſto ſibi delato fungebantur.* Hoc eſt, *quod recentiores volunt, cum in Petro poteſtatem ordinariam, quæ ad ſucceſſores manat, agnoſcunt; in reliquis verò Apoſtolis delegatam, ſeu oxtraordinariam, quæ morte extinguitur. Quod illi locutione à iure petita docent, nos alia phraſi iuridica quoquè, ſed faciliori expreſſimus, nempè priuilegium Primatus Petri fuiſſe perpetuum cum forma Eccleſiæ, quæ perpetua eſſe debet, & ab hominibus mutari non poteſt, inſtituta fuerit in Collegio Apoſtolico vna cum ſuo capite.*

3. Placuit hæc Pariſienſis Archiepiſcopi verba adducere, quia ex ijs patet, vnà cum Bellarmino, & Vniuerſitate Pariſienſi Pariſienſem Archiepiſcopum probare diſtinctionem inter ordinariam Petri auctoritatem, & cæterorum Apoſtolorum delegatam, eiuſque diſtinctionis fundamentum non ſolùm ex Diuo Leone, ſed etiam ex Diuo Hieronymo deſumere, vtpotè qui libro 1. aduersùs Iouinianum cap. 14. diſertè affirmat, quòd licèt ſuper omnes diſcipulos fortitudo Eccleſiæ ſolidetur: *tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Ibi enim D. Hieronymus Petri tanquam capitis auctoritatem, ab auctoritate cæterorum Apoſtolorum diſtinguit, dicitque caput illud conſtitutum eſſe ad ſchiſma ab Eccleſia auertendum: quod nequaquam auerti potuiſſet, ſi vt ſumma Petri auctoritas eius ſucceſſoribus collata fuit; ita ſuprema aliorum Apoſtolorum auctoritas ad ipſorum quoq; ſucceſſores permanaſſet. Vt enim egregiè explicat D. Optatus Mileuitanus l. 2. contra Donatiſtas: *Vnitas Cathedræ eſt vna, & prima de dotibus Eccleſię, quam ſi auferre velis, ſchiſma in Eccleſiam induces.* Vnde idem: *Negare non potes ſcire te, in vrbe Roma Petro primo cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vndè & Cephas appellatus eſt, in qua vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram aliam conuocaret.* Vides, quàm manifeſtè S. Optatus Mileuitanus Epiſcopus agnoſcat, ſolum Petrum ſibi Cathedram ad finem ſæculorum cum Eccleſia duraturam conſtituiſſe, non verò cæteros Apoſtolos, ſed ſingulorum auctoritatem gubernandi vniuerſam Eccleſiam cum morte ipſorum deſijſſe, vt ſchiſmatis tolleretur occaſio.

4. Certum igitur eſt, ex Diuo Optato Mileuitano Epiſcopo, quod ſuprà probauimus, neminem Apoſtolorum ſibi cathedram conſtituiſſe excepto Petro, qui vnus inter Apoſtolos auctoritatem

tem Apoſtolicam ad ſucceſſores tranſmiſit, quia cathedra Apoſtolica debebat eſſe vna, de qua idem Optatus affirmat: *Cathedra eſt prima de dotibus, quam probauimus per Petrum noſtram eſſe.* Quo argumento Parmenianum Donatiſtarum principem à communione Eccleſiæ alienum eſſe oſtendebat, quia cum cathedræ illius Epiſcopo, qui Petro ſucceſſerat, non communicabat. Vnde etiam rectè ſcripſit Pariſienſis Archiepiſcopus de Marca, quòd modus colendæ in Petro primatus dignitatis verſetur in communione cum capite retinenda. *Quæ communionis neceſſitas*, inquit num. 6. *dupliciter ſpectari poterat; vel habita ratione Apoſtolorum, qui ex officio ad communionem cum Petro vt capite conſeruandam tenebantur; vel etiam ratione habita Eccleſiarum, quas per prouincias ipſi inſtituebant ea lege vt Petrum tanquam Eccleſiæ caput reſpicerent, eiuſque regimini ſubÿcerentur. Iſthæc quam obſeruari neceſſitas verbis Chriſti præſcripta eſt: etenim vt Eccleſiæ vnitatem ſolidaret, vni claues tradidit, vt docent veteres ſuperius laudati; & ſuper Petrum, ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum, totius ædificÿ compagem impoſuit. Quarè nullus cœtus poterat eſſe legitimus, nullus Eccleſiæ Paſtor admitti, qui à Petro, id eſt, ab eius communione diſcederet.* Hactenus de Marca Pariſienſis Archiepiſcopus, qui loquitur cum Diuo Irenæo ſanctiſſimo, & antiquiſſimo Lugdunenſi Epiſcopo lib. 3. contra hæreſes; vbi de Eccleſia, in qua Petri cathedra erecta eſt, ſcribit, *cum illa propter potentiorem eius principalitatem, neceſſe eſſe omnem conuenire Eccleſiam, ideſt eos, qui ſunt vndique fideles.* Quo Irenæi teſtimonio nullum præſtantius deſiderari, aut adferri poteſt in huius veritatis confirmationem, quam probandam ſuſcepimus.

5. Cæterùm notanda ſunt hæc Diui Irenæi verba, *propter potentiorem eius principalitatem*, quibus clariſſimè indicatur authoritatem Apoſtolicam in Petri cathedra fuiſſe permanentem, adeòque ordinariam, & nullam Eccleſiam inſtitui potuiſſe niſi cum ſubordinatione ad cathedram Petri. Vndè rectè colligit de Marca, ipſos Apoſtolos, Petrum vt ordinarium Eccleſiæ Paſtorem ſuſpicientes, Eccleſias ita inſtituiſſe, vt eas Petri, eiuſque ſucceſſorum regimini ſubiecerint. Cum enim Apoſtoli à Chriſto eruditi à Spiritu ſancto omnem veritatem edocti planè agnouerint, Apoſtolicam auctoritatem gubernandi vniuerſam Eccleſiam à ſolo Petro ad ſucceſſores tranſmittendam eſſe, eo modo Eccleſias inſtituerunt, quo Spiritus ſanctus ipſis ſuggerebat, & Chriſtus Dominus eis præceperat, adeòque cum ſubmiſſione debita ad illum,

cuius

cuius Apoſtolica auctoritas cum Eccleſijs ad finem ſæculorum perſeuerare debebat. Hoc autem licèt nullus veterum ſcriptorum memoriæ tradidiſſet, tamen ex perpetua omnium Eccleſiarum ſubiectione adeò manifeſtè colligitur, vt nullus nobis ambigendi locus relinquatur. Quis enim concipere poteſt, omnes totius orbis Eccleſias, quæ veram Chriſti fidem à ſexdecim ſæculis profeſſæ ſunt, Petri auctoritatem conſtanter in Sede Apoſtolica agnouiſſe, ſeque eidem ſubiecisſe; niſi id ab Apoſtolis, qui toto terrarum orbe Eccleſias inſtituerunt, & verbum Euangelij prædicarunt, accepiſſent? *Quis credet* (vt verbis Henrici Octaui Lutherum impugnantis vtar) *ſacerdotem inermem, ſolum, nullo ſeptum ſatellitio, in tot vbique pares Epiſcopos, apud tam diuerſas, tam procul diſiectas gentes tantum obtinuiſſe imperium, niſi id à Deo ipſe accepiſſet? Quis dicet, populos omnes, vrbes, regna, prouincias ſuarum rerum, iuris, libertatis, fuiſſe tam prodigas, vt externo ſacerdoti tantum in ſeſe poteſtatis darent, niſi id ab Apoſtolis ipſis, vel viris Apoſtolicis, quorum ope ad fidem conuerſi ſunt, ex ſacra Scriptura, quod verbum Dei continet, id facere edocti fuiſſent?*

6. Certa igitur ratione conſtat Petrum vt ordinarium Eccleſiæ Paſtorem ab omnibus ſemper Eccleſijs habitum fuiſſe, idque ex Apoſtolorum doctrina profluxiſſe iuxta celeberrimam D. Auguſtini regulam, vt *Quotieſcunque aliquid vbique, & ſemper obſeruatum, agnitumque fuerit, abſque eo quòd initium eius rei reperiatur, ab Apoſtolis profluxiſſe cenſendum ſit.* Quam regulam hìc ita locum habere dicimus, vt quod Apoſtoli de Primatu Petri prædicarunt, Petrus ipſe à Chriſto acceperit, vt Eccleſiæ veritas ſeruaretur, quæ alioquin in parte ſciſſa, & miſerè dilacerata periiſſet iuxta dictum Euangelicum, quod regnum in ſe diuiſum deſolationi obnoxium ſit, & diù durare non poſſit. Hæc enim cauſa fuit, quòd Chriſtus Dominus inter duodecim vnum elegerit, vt D. Hieronymus obſeruat, quem vt Collegij Apoſtolici Principem, non modo Eccleſiæ toto orbe diſperſæ agnouerunt, vt iam probauimus, ſed ipſi quoquè Apoſtoli venerati ſunt, vt Pariſienſis Archiepiſcopus de Marca adnotat numero 7. aſſerens ſecundum modum colendi primatum eum fuiſſe, vt Apoſtoli cauſas communes ad vniuerſalis Eccleſiæ diſciplinam pertinentes ad Petrum tanquam ad Collegij, & Eccleſiæ Principem diſcutiendas referrent. Vndè Hieronymus: *Tantæ auctoritatis Petrus fuit, vt Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit: Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.* Ad quæ Pauli verba ſubiun-

iungit Theodoretus, Doctorem Gentium ex officio, & iure veniſſe ad Petrum. *Apoſtolorum Principi*, inquit, *quem par eſt honorem tribuit*. Et commentaria ſub nomine Ambroſij ad eundem locum: *Dignum fuit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum*. Et D. Chryſoſtomus homilia 87. in cap. 21. Ioannis: *Petrus os erat Apoſtolorum, & Princeps, & vertex ipſius cœtus, propterà & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit*. Ex quibus Patrum commentarijs facilè colligitur, Petrum inter Apoſtolos primatum habuiſſe, quum ideò Paulum ad eum veniſſe referant, vt Apoſtolici Collegij Principem inuiſeret.

7. Neque enim ignorabat Paulus, qui à Spiritu ſancto edoctus erat, quòd Saluator curam Eccleſiarum ita Petro commiſiſſet, vt ad eius ſucceſſores permanare deberet, adeòque ordinarium Eccleſiæ Paſtorem conſtitutum fuiſſe, ad quem ſollicitudo Eccleſiarum principaliter ſpectabat. Quarè orta in Eccleſia Antiochena de legalibus controuerſia rursùm Paulus ad Petrum profectus eſt: *Deindè*, inquiens, *poſt annos quatuordecim iterùm aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba aſſumpto & Tito: Aſcendi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus*. Ac ſi dixiſſet, ſe Spiritu ſancto inſpirante Hieroſolymas ad Apoſtolos, & qui ibidem reperiebatur, Apoſtolorum Principem Petrum profectum eſſe, vt rationem redderet fidei iſtius, quam in gentibus prædicabat; idque Paulum feciſſe, vt ipſe quidem ſcribit, *ne in vacuum curreret*, aut cucurriſſet, ideſt, inquit Diuus Thomas in Commentarijs, ne reputaretur ab auditoribus ſuis in vanum cucurriſſe: *Quia niſi ab illis firmiter teneretur ſua doctrina, quantum ad illos in vanum cucurriſſet, & ideò voluit conferre cum ijs, vt dum ſcirent Auditores, quòd doctrina ſua concordaret cum doctrina aliorum Apoſtolorum, & approbaretur ab eis, firmiùs eius doctrinam tenerent*. Contulit igitur Paulus doctrinam ſuam cum Apoſtolis ad inſinuandam vnitatem doctrinæ ſuæ cum doctrina cæterorum Apoſtolorum, idque præſertim cum doctrina Petri, ad quem etiam venit, vt ſolutionem afferret de legalibus iuxta illud Theodoreti in epiſtola ad Leonem Magnum: *Paulus præco veritatis, tuba Spiritus ſancti ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo afferret ſolutionem*. Vbi Theodoretus tradit, quòd Paulus agnouerit præcipuum huius controuerſiæ iudicem fuiſſe Petrum. Cui concinit Diuus Hieronymus epiſtol. 89. ſcribens, Petrum *Principem decreti fuiſ-*

*fuiſſe*, quod in Concilio Hieroſolymitano editum fuit, quod ipſum ex Actis Apoſtolorum facilè comprobatur, cum pronuntiata à Petro de legalibus ſententia, tacuerit omnis multitudo, & quaſi cauſa deciſa eſſet, nulla ampliùs diſcuſſio facta eſt: ſed auditis ijs, quæ Paulus de conuerſione Gentium narrabat, Petri ſententia à Iacobo probata fuit, vt alibi oſtendemus.

# CAPVT QVINTVM.

## *Quòd Petrus Ordinarius Eccleſiæ Paſtor conſtitutus ſit, vlteriùs ex Scriptura, & traditione oſtenditur.*

1. *Oſtenditur ex duobus Scripturæ locis Matthæi 16. & Ioannis 21. Petrum inſtitutum fuiſſe ordinarium Eccleſiæ Paſtorem, cui alij in Primatus authoritate ſuccederent.*

2. *Confirmatur ex Philippi Cæleſtini Primi Legati interpretatione, quam Cyrillus Alexandrinus, atque Concilium Epheſinum generale Tertium approbauit.*

3. *Idem probatur ex traditione Stephani Papæ, Diui Auguſtini, & Sancti martyris Cypriani, cuius locus ex libro de vnitate pro Primatu in cathedra Petri inſtituta adfertur.*

4. *Lectio loci illius ex varijs M.SS. codicibus, Vener. Beda, & Pelagio Secundo confirmatur contra lectionem editionis Oxonienſis.*

5. *Adducuntur inſuper Bonifacij Primi, & Leonis Magni loca clariſſima, quibus Petri Primatus ad ſucceſſores tranſmiſſus eſſe dicitur.*

6. *Idem à Leonis Primi Legatis in Concilio Chalcedonenſi affirmatur, & ab Hadriano Primo in epiſtola, quæ à Synodo Septima probata fuit.*

7. *Alterius quoquè Amaſeæ Epiſcopus hanc veritatem tradit; dum eo modo locutus eſt, quo Diuus Chryſologus Petrum per ſucceſſores in ſua Sede viuere aſſerit.*

1. QVæ ſuperiori capite de Petri Primatu ad ſucceſſores tranſmittendo oſtendimus diuerſis rationibus, hoc capite comprobanda ſunt alijs ſacræ Scripturæ locis, & pluribus antiquorum Patrum, ac Conciliorum teſtimonijs. Nec enim videamur humanis rationibus ſtabilire velle ea, quæ diuinitùs inſtituta ſunt, & à verbo Dei ſcripto, & tradito pendent: primùm ex Scriptura adducenda ſunt loca illa, quibus Chriſtus Dominus Primatum Petri cum iure traducis ad ſucceſſores ipſius, vt Tertullianus loquitur, inſtituit. Sunt autem duo præſertim, Matthæi 16. quibus Chriſtus agit de fundanda ſupra Petrum Eccleſia, & clauibus regni cælorum ei tribuendis. Cum enim Eccleſiam inſtituturus de futuro eius regimine tractaret, ſub quibuſdam metaphoris conſilium ſuum cum Apoſtolis communicare voluit, indicans adinſtar domus, quæ fundamento nititur, ædificandam ſibi Eccleſiam, & ideò à ſe deſignari fundamentum ſpirituale, quod auctoritate ſua totius Eccleſiæ ædificium ſuſtineret. Significauit Eccleſiam adinſtar regni inſtituendam, & ideò ſupremas cla-

claues ſe Petro promittere, vt ſub clauium ſymbolo innueret primatum Apoſtolorum Principi concedendum. *Et ego dico tibi*, inquit Chriſtus Matthæi 16. capite ad Petrum, *quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam: & tibi dabo claues regni cælorum; & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Vbi fundamentum Eccleſiæ comparatur Petræ, quia Petrus inſtar Petræ firmiſſimæ non ad tempus, ſed in perpetuum, hoc eſt auctoritate in ſucceſſores deriuanda recturus erat Eccleſiam, & claues eius ſupremæ auctoritatis indices obtenturus. Quod Ioannis 21. alia metaphora explicat, dum Petrum ouium ſuarum Paſtorem declarat dicens: *Paſce agnos meos, paſce oues meas*. Dum enim Eccleſiam ouilis nomine ſignificat, & fideles agnos oueſque ſuas vocat, Petro Paſtoris officium confert, quod nunquam ceſſare poterat; ſicut enim oues ſine Paſtore diu ſubſiſtere nequeunt, ſed lupis venientibus ſtatim diſperguntur, & facilè pereunt: ſic fideles, qui ouile Chriſti conſtituunt ſummi Paſtoris auctoritate indigent, ne hæreticis inſurgentibus diſſipentur, & fidem amittant. Vnde Paſtoris officium, quod Petro collatum fuit, debebat eſſe perpetuum in Eccleſia, quæ iuxta promiſſum Chriſti ædificari debebat ſupra Petram, aduersùs quam portæ inferi præualere non poterunt.

2. Fuit autem tam certa, tam indubitata primis Eccleſiæ ſæculis hæc Scripturarum interpretatio apud omnes Chriſti fideles, vt Philippus Cæleſtini Primi Legatus actione 3. dixerit ad ſacrum Epheſinum Concilium: *Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt, ſanctum, beatiſſimumque Petrum Apoſtolorum Principem, & caput, fideique columnam, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum à Domino IESV Chriſto Saluatore noſtro, humanique generis Redemptore cæleſtis regni claues accepiſſe, ſoluendique, atque ligandi poteſtate, quam acceperat, vſum fuiſſe, necnon per ſucceſſores ſuos hucuſque ſemper viuere, cauſaſque decernere*. Quibus verbis docet clariſſimè Philippus duo Scripturæ loca de ædificanda ſupra Petrum Eccleſia, & clauibus regni cæleſtis Petro tradendis, ita intelligenda eſſe, vt auctoritas hìc Petro promiſſa, & ſubinde tributa ad ſucceſſores tranſierit, idque nulli dubium, ſed ſæculis omnibus notum eſſe declarat coram Sancto Cyrillo Patriarcha Alexandrino, & ducentis Orientis Epiſcopis in Concilio generali Tertio Epheſi congregatis. Non igitur recens excogitata eſt Scripturæ interpretatio, ſed conſtanti, & perpetuæ

traditioni conſona, quam ſupra exhibuimus. Si enim Petri Apoſtolorum Principis auctoritas ad ſucceſſores ipſius non permanaſſet, auſus ne fuiſſet dicere Philippus coram tam numeroſa Patrum Synodo, id nulli dubium, ſed ſæculis omnibus notum fuiſſe? Num Patres, ſi verum non erat, quod Philippus cum tanto auctoritatis Epiſcopalis præiudicio aſſerebat, tacuiſſent omnes, & nouitatẽ illam ſilentio præterijſſent? Nonne Orientales omnes ex antiqua Eccleſiarum traditione, ex veterum Conciliorum decretis eum malè ſcripturam interpretatum fuiſſe oſtendiſſent? Atqui tantum abeſt Patres Epheſi congregatos, hæc vel ſimilia Philippo obieciſſe, quin & Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus totius Synodi nomine dixerit: *Quòd hæc omnia perſpicuè ſancta Synodus percepit*. Sicque omnia Philippi uerba actis Concilij inſerta ſunt, quæ in omnibus iſtius Synodi Codicibus M. SS. tam græcis, quam latinis etiamnum reperiuntur, & exhibentur.

3. Quòd ſi Philippi ſenſum Patrum teſtimonijs roborari quis cupiat, non neceſſe erit adferre Stephani Papæ antiquiſſimi verba, quibus apud Firmilianum Cæſareæ Cappadociç Epiſcopum, appellat ad Petri ſucceſſionem, *ſuper quam fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt*: cum magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus in pſalmo contra partem Donati de eadem ſucceſſione affirmet: *Hæc eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*. Et ante Auguſtinum ipſius Stephani Papæ temporibus ſanctiſſimus martyr Cyprianus epiſtola 55. de Feliciſſimo, & Fortunato, qui ſchiſma contra eum conflauerant, ſcripſerit, eos auſos fuiſſe nauigare *ad Petri cathedram, & Eccleſiam principalem*. Hinc enim facilè colligitur, cathedram Petri ipſius temporibus ſuperfuiſſe, eamque authoritatem à Petro hæreditaſſe, ad quam ſchiſmatici Afri confugerant; licèt ab eiuſdem cathedræ Epiſcopo in communionem admitti non potuerint, cum vt libro de vnitate idem Cyprianus docuit, *ideò Primatus Petro datus ſit, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna monſtretur*. Quibus verbis Cyprianus clariſſimè demonſtrat, Petri cathedram, quæ primatus eius priuilegium obtinet, tanto tempore duraturam, quanto Chriſti Eccleſia vna erit, hoc eſt ad finem ſæculorum. Cumque id ex verbis Cypriani manifeſtè ſequatur, nihil habent Nouatores noſtri ſæculi, quod tam manifeſto teſtimonio objiciant, quam illud in M. SS. codicibus minimè reperiri, & ideò in nouiſſima editione Oxonienſi omiſſum eſſe.

4. Verùm cum M. SS. codices nobis objiciant, æquum eſt quod M. SS. codices, in quibus hæc verba reperiuntur, adſera-

ramus. Onuphrius Panuinius libro de primatu Petri parte 1. capite 7. teſtatur ſe hæc verba reperiſſe in antiquo codice manuſcripto tractatum Cypriani de vnitate continente, qui ad Marcellum Papam iſtius nominis Secundum ſpectabat. In manuſcripto codice 973. Vaticano obſeruauit vir antiquitatis peritus, qui varias Cypriani lectiones ex manuſcriptis codicibus eruit, eaſque in margine eiuſdem codicis poſuit, eadem Cypriani verba haberi in duobus manuſcriptis codicibus Bononienſibus. M. S. codex operum D. Cypriani, quo nullum vnquam vidi antiquiorem, eſt enim ante annos facilè 800. conſcriptus, hic inquam præſtantiſſimus codex, qui olim ſub numero 44. in Bibliotheca Reginæ Sueciæ aſſeruatus, nunc autem munificentia Alexandri VIII. in Bibliotheca Vaticana repoſitus eſt, habet hæc ipſa verba; & ante huius codicis ætatem Venerabilis Beda hunc Cypriani locum, licèt tacito eius nomine, retulit in homilia, quam in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli habuit, vbi: *Primatus Petro datur, vt vnitas Eccleſiæ commendetur*. Et ante mille annos Pelagius Papa eius nominis Secundus epiſtola 6. citato Cypriani nomine locum his verbis exhibuit: *Sed & beatus Cyprianus egregius martyr, in libro, quem de vnitatis nomine titulauit, inter alia ſic dixit: Exordium ab vnitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra monſtretur*. Hæc cum ita perſpicuè ante mille annos ex Cypriani tractatu de vnitate citet Pelagius Secundus, videant Nouatores noſtri ſæculi, an codicem habeant, qui cum authoritate Pelagij Secundi certare poſſit de antiquitate; quod ſi non habeant, fateantur neceſſe eſt, Oxonienſes in vltima operum editione malè omiſiſſe verba illa, quæ ante mille annos in codicibus manuſcriptis Operum Cypriani, vnde ea Pelagius citauit, reperiebantur; aduertantque faciliùs contingere potuiſſe, quòd poſt ſextum ſæculum à tabellarijs omiſſa ſint prædicta verba in nonnullis codicibus, vnde plerique recentiores, qui nunc extant in Bibliothecis, deſcripti ſunt; quàm quòd ante ſextum ſæculum ab amanuenſibus contra fidem antiquiſſimorum exemplarium M.SS. codicibus inſerta ſint.

5. Præclarum quoque eſt teſtimonium, quod de Petri primatu ad ſucceſſores tranſmiſſo reddit Bonifacius Primus Pontifex ſanctiſſimus, & non ab Auguſtino tantùm, ſed à tota Africana Eccleſia cum laude celebratus. Hic enim epiſtola inter Holſtenianas ſeptima ſcribit ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum: *Petrus Paſtor Dominicarum ouium eſt perpetuus conſtitutus .... in quo vniuerſalis Eccleſiæ poſitum legimus fundamentum*. Vbi notanda

da eſt vox illa, *perpetuus*, quæ nihil aliud ſignificare poteſt, quàm Petrum in ſuis ſucceſſoribus ouili Dominico, quod eſt Eccleſia, manere præpoſitum. Quarè idem Bonifacius epiſtola ad Ruſum, & cæteros Epiſcopos per Macedoniam, Achaiam, Theſſaliam, Epirum veterem, Epirum nouam, Præualim, & Daciam conſtitutos, *Manet*, inquit, *beatum Apoſtolum Petrum per ſententiam Dominicam vniuerſalis Eccleſiæ ab hoc ſollicitudo ſuſcepta: quippe quam Euangelio teſte in ſe nouerit eſſe fundatam: nec vnquam eius honor vacuus poteſt eſſe curarum, cum certum ſit, ſummam rerum ex eius deliberatione pendere*. Hæc Bonifacius Primus, quæ Theodoſius Echinienſis ciuitatis in Theſſalia Epiſcopus à Stephano Lariſſenſi Metropolitano accepta, Synodo Romanæ ſub Bonifacio Secundo, legenda obtulit, monſtrans his Bonifacij dictis, Petri auctoritatem in ſucceſſoribus reſidere. Quod Leo Magnus ſermone primo in anniuerſario ſuæ aſſumptionis die totius Eccleſię ſententiam eſſe ex eo probat, quia ordinatiſſima totius Eccleſiæ charitas *in Petri Sede Petrum ſuſcipit, & à tanti amore Paſtoris, nec in perſona iam imparis tepeſcit hæredis*. Quæ alibi paucioribus verbis explicat, dum dicit, quodque Petri erant, in hærede eius licèt indigno non deficiant, quo ſenſu ſermone 4. in anniuerſario ſuæ aſſumptionis die dixit: quòd ſoliditas, *quam Petrus de petra Chriſto, etiam ipſa petra factus accepit, in ſuos ſe transfudit hæredes, ſicque Sedi ſuæ præeſſe non deſinit*.

6. Ne autem quiſquam obijciat, Leonem Magnum hæc in epiſtolis priuatis ſcripſiſſe, audiendus eſt Paſchaſinus eius legatus, qui actione 3. Chalcedonenſis Concilij rogatus à ſexcentis triginta Orientis Epiſcopis ſententiam proferre in Dioſcorum, ita exorſus eſt: *Sanctiſſimus, & beatiſſimus Archiepiſcopus magnę & ſenioris Romæ Leo per nos, & per præſentem Sanctam Synodum, vnà cum ter beatiſſimo, & omni laude digno Beato Petro Apoſtolo, qui eſt petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudauit eum Epiſcopatus dignitate, quem etiam & ab omni ſacerdotali alienauit miniſterio*. Vbi Petri auctoritas etiam in deponendo Dioſcoro adhibetur; quod certè nulla ratione fieri poterat, niſi auctoritas eius ad ſucceſſores deriuata fuiſſet. Hoc autem ſenſu Paſchaſinus Leonem *vnà cum ter beatiſſimo Petro Apoſtolo ſententiam proferre* dicitur, quia auctoritas, quam Chriſtus Petro promiſerat, dum eum petram, & fundamentum Eccleſiæ futurum prædixerat, ad Leonem Petri ſucceſſorem tranſmiſſa erat. Et huic Paſchaſini ſententiæ tam clarè, tam manifeſtè *Vniuerſalis*

*lis Synodus conſors effecta eſt*. Quæ proinde illam actioni tertiæ inſeri iuſſit, prout à Synodo generali Septima actis Synodalibus inſerta eſt epiſtola Hadriani Primi, qua dicitur: *Petri Sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucere, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtere, vnde & ipſe beatus Petrus Apoſtolus Dei iuſſu Eccleſiam paſcens nihil omninò prætermiſit, ſed vbique principatum obtinuit, & obtinet*. Quæ cum ab Hadriano Primo perſpicuis adeò verbis ſcripta ſint in epiſtola, quæ coram Concilio generali Septimo Niceæ habito perlecta fuit, quid his verbis opponi, quid obijci poteſt? planè non video, cum Epiſcopi, Metropolitani, Exarchi, & Patriarchæ Orientales ea digna iudicauerint, quæ actis ſuis Synodalibus infererentur.

7. Concludamus igitur cum Sancto Aſterio Amaſcæ Epiſcopo oratione in Apoſtolos Petrum & Paulum Tomo primo Auctarij Græcorum Patrum ὁ μὲν σωτὴρ ἡμῶν ἡνίκα ἔμελλεν ἁγιάζειν τῷ αὐθαιρέτῳ θανάτῳ, ὥσπερ τινα παραθήκην ἐξαίρετον τὴν καθόλου καὶ οἰκουμενικὴν ἐκκλησίαν, τούτῳ τῷ ἀνδρὶ παρατίθεται, τρίτον αὐτοῦ πυθόμενος τὸ, Φιλεῖς με· Ὡς δὲ ταῖς ἐρωτήσεσι μάλα προθύμως ἰσαρίθμους τὰς ὁμολογίας προέθετο, ἔλαβεν τὸν κόσμον εἰς ἐπιμέλειαν. ὡς μίαν ἀγέλην εἷς ποιμὴν, ἀκούσας· Βόσκε τὰ ἀρνία μου. καὶ σχεδὸν ἀνθ' ἑαυτοῦ τὸν πιστότατον μαθητὴν ἔδωκεν ὁ κύριος τοῖς προσηλύτοις πατέρα, καὶ νομέα, καὶ παιδευτήν. *Cum ergo Saluator ſponte aſſumpta morte humanum genus ſanctificaturus eſſet, ſeu peculiare quoddam depoſitum ac peculium, vniuerſalem in toto orbe diffuſam viro huic commendat Eccleſiam, vbi tertiò interrogaſſet, Amas me? cumque is alacritate ſingulis interrogationibus totidem profeſſiones adieciſſet, mundi curam accepit, velut vnum gregem vnus Paſtor, quibus audiuit: Paſce agnos meos: fereque ſuo loco dedit Dominus fideliſſimum diſcipulum in Patrem, Paſtoremque, & Magiſtrum ijs, qui acceſſuri ſunt ad fidem*. Præclara ſunt hæc Aſterij verba, ijs enim ſignificat, Chriſtum vniuerſalis Eccleſiæ curam Petro commiſiſſe, eumque velut vnum Paſtorem vni gregi præpoſitum, Chriſti loco gubernare debuiſſe omnes eos, qui acceſſuri erant ad fidem, ac ſi dixiſſet, paſtoralem Petri curam cum ouili Chriſti ad finem vſque duraturam in ſucceſſoribus. Quo loquendi modo vſus eſt D. Petrus Chryſologus Rauennas Epiſcopus, dum ſcripſit, quòd Petrus, qui in propria Sede viuit, præſtet quærentibus fidei veritatem.

# CAPVT SEXTVM

## *De ſacræ Scripturæ locis, quibus de Primatu Petri agitur, & an in alio ſenſu intelligenda ſint?*

## ARTICVLVS PRIMVS.

### *Quòd Matthæi* 16. Tu es Petrus &c. *agatur de Primatu Eccleſiæ Petro tribuendo.*

1. *Mens Ioannis Launoij circa loca Scripturæ Petri primatum indicantia Matthæi 16. Lucæ 22. & Ioannis 21. quæ ad alios ſenſus detorquet.*

2. *Quàm imprudenter hoc fiat ex Hæreticorum operibus Launoium pro ſe allegantibus oſtenditur.*

3. *Expoſitiones Patrum tres adducit Launoius vltra allatam à Bellarmino de fundata ſupra Petrum Eccleſia, quarum vltimam de ædificata ſuprà fidem Petri Eccleſia minus rectè à Bellarmino Hæreticis tributam eſſe aſſerit.*

4. *Oſtenditur Launoium immeritò contra allatam à Bellarmino Patrum interpretationem adducere alias tanquam contrarias, quandoquidem ſe inuicem compatiuntur, vt vel ex eo colligitur, quod ijdem Patres, qui aliarum mentionem faciunt, etiam ſupra Petrum fundatam Eccleſiam velint.*

5. *Et illam interpretationem retinendam eſſe, demonſtrat textus Scripturæ originalis, nimirum Syriacus, in quo non habetur:* Tu es Petrus, *ſed* Tu es Cephas, *id eſt Petra: additur ratio cur græcus vertit,* Tu es Petrus.

6. *Secundò idem confirmant primitiuæ Eccleſiæ Patres, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Stephanus Papa, Hilarius, Baſilius, Epiphanius, Gregorius Nazianzenus, Pacianus, Cyrillus Alexandrinus, & Chryſoſtomus.*

7. *Tertiò quatuor Eccleſiæ Doctores, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, & Gregorius.*

8. *Quartò duo Concilia generalia, Epheſinum, & Chalcedonenſe, quæ rem abſoluunt.*

9. *Conciliantur Patres, qui dicunt ſupra fidem Petri fundatam Eccleſiam, nimirum cauſaliter.*

10. *Qui modus loquendi obtinuit ad refellendum Arianos, vt probè annotauit Peronius.*

11. *Certum itaque eſſe ſuprà Petrum ædificatam eſſe Eccleſiam, vt dixit Bonifacius Papa.*

12. *Reijciuntur proindè Reyſeri ſcripta quibus Launoij placita contra reliquos ſcriptores Catholicos defendenda ſuſcepit.*

1. DIximus ſuperiori capite ex tribus potiſſimùm Scripturæ locis haberi primatum Petri; hoc capite videndum eſt, an loca illa ad alium ſenſum retorqueri poſſint, vel debeant. Prodierunt enim noſtris temporibus octo libri epiſtolarum Ioannis Launoij Pariſienſis Theologi, in quibus dum auctor Bellarmini tractatus de Pontifice, & Concilijs, refellit ſupradicta Scripturæ loca, ex quibus Bellarminus, & Catholici omnes primatum Petri, eiuſque ſucceſſorum diuinitùs inſtitutum eſſe probarunt, ipſe non ad Petrum, ſed Eccleſiam potius ſpectare contendit. Sic enim parte

te 5. epiſtola ad Gulielmum Voëllum probare ſtudet, Eccleſiam non eſſe fundatam ſupra Petrum, vt Bellarminus libro 4. de Romano Pontifice cap. 3. ex Matthæi 16. cum communi Catholicorum probauerat. Deinde parte 2. epiſtola ad Hadrianum Vallantium explicans Matthæi locum de clauibus regni cælorum, oſtendere conatur, eas non perſonæ Petri, ſed Petro dumtaxat, vt repræſentanti perſonam Eccleſiæ fuiſſe promiſſas. Tertiò parte 5. epiſtola ad Raymundum Formentinum Bellarmino contradicit quoad interrogationem loci Ioannis c. 21. *Paſce oues meas*. De quo parte 2. epiſtola 1. ad eundem Raymundum Formentinum ſcripſerat, quæ hìc Petro dicta ſunt, etiam ad alios Eccleſiæ Paſtores dicta eſſe; concluditque: *In perſona ergo Apoſtolorum omnium, ſeu Eccleſiæ dixit*.

2. Notaueram in prima Antiquitatis editione, mirum videri poſſe, & acerbiori reſponſo dignum, à Doctore Catholico impugnari fundamentum primatus Petri ex allatis Scripturæ locis, quæ pro eo allegare, & contra hæreticos, ac ſchiſmaticos perpetuò vrgere conſueuit Eccleſia. Id autem iuſta ratione à me notatum fuiſſe, euentus ipſe probauit, cum ob prædictas potiſſimùm interpretationes Launoius à Reyſero ſcriptore Lutherano inter teſtes, & confeſſores Religionis Catholico-Euangelicæ relatus ſit, & libri octo epiſtolarum, quibus Launoius interpretationes illas inſeruit, Cantabrigiæ anno 1689. recuſæ ſint à Guillielmo Sayvvello, non ob aliam rationem, quàm vt ijs reformationem Eccleſiæ Anglicanæ tueatur, & contra Baronium, Bellarminum, alioſque ſcriptores Catholicos defendat, vt ipſe Sayvvelius in præfatione apologetica explicat; & Lipſienſes in Actis Eruditorum ad menſem Aprilis anni 1690. diſertè referunt. Cæterùm vt graſſanti huic malo antidotum aliquod afferatur, loca ipſa adferenda ſunt, & quid Patres, quid Concilia, quid antiqua Eccleſia de ijs ſenſerit, quomodò ea intellexerit, inueſtigandum eſt.

3. Ac primò quidem Matthæi 16. conſtat Chriſtum ab omnibus Apoſtolis petijſſe, quem putarent eſſe filium hominis, ſolum verò Petrum præſentibus alijs reſpondiſſe: *Quia tu es Chriſtus filius Dei viui*; tunc verò Chriſtum ad Petrum dixiſſe: *Beatus es Symon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c.* Quem locum Bellarminus de reædificata ſupra Petrum Eccleſia intelligendum eſſe docuit, Ioannes verò Launoius parte 5. epiſtola ad Gulielmum Voëllum tribus alijs modis intelligi poſſe, & vno ex illis intelligi debere contendit.

dit. Primus modus interpretandi locum, quem adducit, eſt, quo ſuper Apoſtolos, vel eorum ſucceſſores ædificata dicitur Eccleſia. Secundus, quo fundata dicitur ſuper ipſum Chriſtum. Tertius demùm, quo ſupra fidem Petri dicitur ſtabilita à Chriſto Eccleſia. Quam vltimam explicationem cæteris præferendam eſſe contendit, quòd pro ea quadraginta duo Patrum, & Doctorum teſtimonia reperiat, & Eccleſia in oratione, quam pro feſto beati Leonis Clero præſcripſit, legat: *Quos in Apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidaſti*. Vnde Bellarmino pro crimine imputat, quòd non ſolum primam, & ſecundam Patrum expoſitionem Hæreticis tribuerit, ſed hanc tertiam quoquè Luthero, & Centuriatoribus adſcribere non dubitarit. Dicit pro ea facere vnanimem Patrum conſenſum, iuxta quem ex præſcripto Tridentini Concilij explicanda ſunt ſacræ Scripturæ loca; Bellarminum hanc regulam violaſſe, & à mendacio excuſari non poſſe, cum pro illa ſententia, quæ tenet fundatam eſſe ſupra Petrum Eccleſiam, omnes Patres facere conſcripſit. Non enim ſupra Petrum, ſed ſupra Petri fidem ædificatam à Chriſto Eccleſiam aſſerit Launoius, idque habere omnium Patrum traditionem, quæ ſequenda eſt iuxta Tridentini Concilij regulam.

4. Atque hoc quidem Launoius, cui Bellarminus facilè reſpondiſſet, dicendo ſe non ita interpretationes illas Hæreticis adſcripſiſſe, vt nullo ſenſu Catholicis attribui poſſint, quin potius cum ijdem Patres nunc vnam, nunc plures expoſitiones admittant, ipſique illas ſimul conſiſtere poſſe clarè demonſtrarint; Hæretici verò ita peculiarem loci interpretationem vrgeant, vt alias omnes excludant: rectè Bellarminum interpretationes ab Hæreticis admiſſas eatenus reijcere, quatenus per illas conati fuerunt communem Eccleſiæ ſententiam de ædificata ſupra Petrum Eccleſia abiudicare. Acta peragerem, ſi quod ſæpius à Doctoribus Catholicis præſtitum eſt, laudatas à Ioanne Launoio Patrum expoſitiones ſine præiudicio iſtius expoſitionis demonſtrarem intelligendas. Enim verò quam producit ex Innocentio III. alijſque de ædificata ſupra Chriſtum Eccleſia, nemo fidelium negauit, vt pote qui vltro Chriſtum inſtar ſolidæ terræ primarium Eccleſiæ fundamentum profeſſi ſunt; & cum eodem Innocentio epiſtola ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, Petrum relinquunt fundamentum ſecundarium ſolidæ terræ ab Artifice Chriſto ſuperſtructum. Quamuis enim vt præclarè apud Launoium Hieronymus ex Scripturis deducit, Apoſtoli omnes fundamenta Eccleſiæ ſint; vt tamen idem Hieronymus libro 1. contra Iouinianum ſcribit, Petrus eſt fundamentum

prin-

principale, quia conſtitutus fuit caput Eccleſiæ, & ordinarius Chriſti in terris Vicarius: *Licèt*, inquit, *ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio*. Vnde D. Hieronymus alibi conſtanter aſſerit, Eccleſiam ſuper Petrum ædificatam: quam interpretationem Chriſti inſtituto, & menti Eccleſiæ conformiorem eſſe illa, quæ docet ſupra Petri fidem fuiſſe fundatam, paucis demonſtrabo, licèt & ea ſano ſenſu poſſit admitti, vt infra videbimus.

5. Aedificatam itaque ſupra ipſum Petrum Chriſti Eccleſiam probatur, & in primis ex textu Syriaco, quo idiomate Chriſtus vſus eſt, dicens: *Tu es Cephas, & ſuper hanc Cepham ædificabo Eccleſiam meam*. Cephas enim ſignificat petram, vt Hieronymus docet in capite 2. ad Galatas, & ſic Petrum quoquè nuncupandum promiſerat Chriſtus Ioannis 1. *Vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Vbi notandum interpretem latinum ſecutum eſſe textũ græcum in quo habetur Πέτρος loco Πέτρα, eò quòd tam vnum, quàm alterum vocabulum in græco ſignificet lapidem, viſumque ſit, vt rectè animaduertit Bellarminus, homini potius nomen maſculinum tribuere, quàm fœmininum.

6. Secundò ex primitiuæ Eccleſiæ Patribus, inter quos Tertullianus libro de præſcriptionibus, ſic habet: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum?* Origenes homilia 5. in exodum: *Vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam*: Et in caput 17. Matthæi pariter de Petro: *Per promiſſionem meruit fieri Eccleſiæ fundamentum*. Diuus Cyprianus epiſtola ad Quirinum: *Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam*. Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Primas epiſtola ad Cyprianum referens Stephanum Papam appellaſſe ad ſucceſſionem Petri, *ſuper quam fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt*. Sanctus Hilarius in cap. 16. Matthæi: *O in nuncupatione noui nominis fælix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra!* Diuus Baſilius in cap. 2. Iſaiæ: *Petrus, ſupra quam petram pollicitus fuerat ſuam ſe ædificaturum Eccleſiam*. Et in ſermone de pœnitentia: Πέτρος τρὶς ἀπαρνεῖται, καὶ κεῖται ἐν θεμελίῳ ... εἰπὼν ὅτι υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. καὶ ἀκούσας ὅτι πέτρα εἶ, ἐνεγκωμιάσθη· εἰ γὰρ καὶ πέτρα, οὐχ ὡς Χριστὸς πέτρα, ὡς Πέτρος πέτρα. Χριστὸς γὰρ ὄντως πέτρα ἀσάλευτος, Πέτρος δὲ διὰ τὴν πέτραν, χαρίζεται γὰρ Ἰησοῦς τὰ ἑαυτοῦ ἀξιώματα, οὐκ ἀποκενούμενος, ἀλλ᾽ ἔχων ἃ δίδωσιν. *Petrus ter abnegat, & poſitus eſt in fundamento .... cum dixiſſet: Tu es Filius Dei viui,*

*laudatus eſt, atque illud audiuit, tu es petra; licèt autem ſit petra, tamen non vt Chriſtus petra, ſed vt Petrus petra eſt. Chriſtus enim verè petra eſt immobilis; Petrus verò id eſt propter petram ipſam; largitur enim IESVS dignitates ſuas, non ipſe inanis factus, ſed habens quæ dat.* Et paulò poſt: Πέτρα ἐστὶ πέτραν ποιεῖ, καὶ τὰ ἴδια χαρίζεται τοῖς δούλοις, τοῦτο γὰρ σημεῖον πλουσίου τὸ ἔχειν καὶ χαρίζεσθαι. *Petra eſt, Petram facit, propria largitur ſeruis; hoc enim ſignum eſt diuitis largiri, & nihilominus habere, quæ largiatur.* Sanctus Epiphanius in Ancorato: Ἔδει τὸν πρῶτον ἀποστόλων τὴν πέτραν τὴν στερεὰν, ἐφ' ἣν ἡ Ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ᾠκοδόμηται. *Talem oportebat eſſe primum Apoſtolum petram illam ſolidam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt.* Diuus Gregorius Nazianzenus oratione 26. Ὁρᾷς τῶν Χριστοῦ μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν καὶ τῆς ἐκλογῆς ἀξίων, ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται. *Vides quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in ſuam fidem accipiat.* Sanctus Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus epiſt. 3. ad Symphorianum: *Ad Petram locutus eſt Dominus, ad vnum ideò, vt vnitatem fundaret ex vno.* Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. ſuper Ioannis caput 12. Καὶ Σίμωνα μὲν οὐκ ἔτι καλεῖσθαι συγχωρεῖ, κατεξουσιάζων ἤδη, καὶ κατακρατῶν, ὡς γεγονότος οἰκείου, φερωνύμως δὲ ἀπὸ τῆς πέτρας μετονομάζει Πέτρον, ἐπ' αὐτῷ γὰρ ἔμελλε τὴν αὐτοῦ θεμελιοῦν ἐκκλησίαν. *Et Simonem eum non iam vocari patitur, eum ſibi pro ſua poteſtate, iam tum vt ſuum vindicans, ſed congrua ſimilitudine Petrum à petra vocare placuit, puta ſuper quem fundaturus erat ſuam Eccleſiam.* Diuus Chryſoſtomus homilia 55. in caput 16. Matthæi non ſolùm fidei confeſſionem à Petro factam, ſed etiam Petrum ipſum petram interpretatur, vnde ait: *Piſcatorem hominem paſtorem, & caput orbis effectum adamantis naturam firmitate ſuperaſſe.* Additque τοῦτον δὲ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης, *hunc*, nimirum Petrum, *Chriſtus terrarum orbi præpoſuit.*

7. Quid vltro proferam cætera antiquorum teſtinomia, cùm quatuor præſtantiſſimi Patres, quos vt Doctores ſuos veneratur Eccleſia, id ipſum confirment? Diuus Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum Papam, agens de cathedra Petri; *Super illam petram, inquit, ædificatam Eccleſiam ſcio.* Diuus Ambroſius ſermone 48. *Diximus frequenter ipſum Petrum à Domino nuncupatum, ſicut ait, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Si ergo petra eſt Petrus, ſuper quam ædificatur Eccleſia &c.* Diuus Auguſtinus, qui ita Eccleſiam ſupra Chriſtum docuit ædificatam, vt ſupra Petrum

quo-

quoquè fundatam admiſerit pſalmo contra partem Donati. Dicit itaque de Petri ſucceſſoribus: *Hæc eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Et libro 1. Retractationum capite 21. de eodem pſalmo: *In hoc libro dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quòd in eo tanquam in petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſij, vbi de Gallo Gallinaceo ait: Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpam diluit.* Cantabat nimirum Eccleſia iſtis temporibus, quod huc vſque facit in hymno laudum de Dominica. Vnde Gregorius Magnus libro 6. Regeſti epiſt. 3. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum: *Quis enim neſciat, ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit à nomine, vt Petrus à petra vocaretur?*

8. Huic ſanctorum Patrum, & Doctorum traditioni ab initio naſcentis Eccleſiæ communi fidelium ſententia comprobatæ accedunt Concilia generalia, ac primò quidem Concilium Epheſinum generale tertium tempore Cœleſtini Papæ ſub Sancto Cyrillo Alexandrino celebratum, quod admiſit dicta Legati Pontificij actione 3. Petrum conceptis verbis nuncupantis *Eccleſiæ Catholicæ fundamentum.* Secundò Concilium generale quartum ſub Leone Primo Chalcedone habitum, quod pariter actione 3. de Beato Petro Apoſtolo: *Qui eſt petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum.* Quid clarius, quid manifeſtius? Concilia, quorum actis hæc inſerta ſunt, ex omni Oriente congregata, & præſentibus Sedis Apoſtolicæ legatis à Patriarchis, Metropolitis, & Epiſcopis plùs quàm octingentis celebrata fuerunt; adeò vt de ædificata ſupra Petrum Eccleſia nullus relinquatur dubitandi locus, niſi quis in dubium vocare velit expreſſam ſacræ Scripturæ auctoritatem: manifeſtam primitiuæ Eccleſiæ traditionem: auctoritatem duorum Conciliorum generalium, quæ Gregorius Magnus vt ſacroſancta Euangelia veneranda eſſe credidit, & omnis ſemper Eccleſia venerata fuit.

9. Sola difficultas reſtare videtur, quomodo conciliari poſſint Patres illi, qui ſupra fidem Petri fundatam dixerunt Eccleſiam, quam hìc ſolueremus; niſi iam anteà Eminentiſſimus Cardinalis Perronius contra Angliæ Regem capite 56. id operosè præſtitiſſet. Vt enim præclarè obſeruat vir ille eruditiſſimus, cùm Chriſtus Matthæi 16. ſuſcepiſſet confeſſionem Petri: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Saluator mundi fidem Petri remuneraturus affirmauit: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et ego*

*dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Laudat Chriſtus Petri confeſſionem, tanquam ex æterni Patris reuelatione profecta eſſet, ſtatimque ſubiungit: *Et Ego dico tibi, quia tu es Petrus*: ac ſi diceret, quia talem confeſſionem ex Patris reuelatione protuliſti, ſuper te ædificabo Eccleſiam meam: vt manifeſtum ſit, inquit Perronius, Petri confeſſionem cauſam fuiſſe ædificatæ ſupra eum Eccleſiæ: *Remunerat enim*, vt loquitur Theophylactus, in capite 16. Matthæi *Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd ſuper eum ædificauit Eccleſiam.* Sicque dici poteſt fidem, & confeſſionem Petri eſſe fundamentum cauſaliter, & Petrum fundamentum Eccleſiæ formaliter; adeò vt vna interpretatio aliam non excludat, ſed potius ſupponat, & admittat; ſicut & neceſſariò dicendum eſt iuxta mentem Patrum, qui vtramque diuerſis in locis tradunt, & exhibent, quod certè nunquam feciſſent, ſi vnam cum altera conſiſtere non poſſe exiſtimaſſent.

10. Quòd ſi vlterius quæras, cur Patres toties ſcripſerint, Eccleſiam ſupra fidem Petri ædificatam eſſe? Rationem reddit Perronius, id ex Ariana hæreſi ortum eſſe. Cum enim Ariani negarent filij diuinitatem, quam Petrus tam clarè his verbis prædicauerat: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: Patres poſt Nicænum Concilium cæperunt hunc locum vrgere contra Arianos, dicendo, confeſſionem iſtam Petri eſſe fundamentum Eccleſiæ; *& ſe licentierent*, vt loquar cum Perronio *(de l'appeller le fondement de l'Egliſe (par tranſlation de l'effet a la cauſe) reprochans aux Ariens, qu'il ruinerent le fondement de l'Egliſe.* Vocarunt itaque confeſſionem Petri, quæ in cauſa fuerat, quòd Chriſtus ſupra ipſum fundaret Eccleſiam, vocarunt, inquam, Eccleſiæ fundamentum, vt qui illam fidei confeſſionem veritate niti negarent ipſum Eccleſiæ fundamentum deſtruere viderentur. Sicque patet ratio, cur ante Nicænum Concilium, & Arij hæreſim Patres omnes tradiderint, fundatam ſupra Petrum Eccleſiam: poſt ortam verò Arij hæreſim, nunc ſupra Petrum, nunc ſupra Petri fidem fundatam dixerint: quòd ſcilicet poſteriorem interpretationem de Petri fide vrgerent contra Arianos, & priorem de Petro ipſo ſeſe cum antiquioribus Eccleſiæ Patribus retinere oſtenderent.

11. Manet igitur, ædificatam fuiſſe ſupra Petrum Eccleſiam, quod ſub initium ſæculi 5. epiſtola 10. ad Rufum, & Epiſcopos Illyrici apud Lucam Holſtenium, adeò certò exiſtimabat Bonifacius I. Diui Auguſtini contemporaneus, vt ſcripſerit: *Ad Deum Petro ſuſcipiente peruenitur, in quo Eccleſiam, ſicut ſupra*

*pra memorauimus*; *vniuerſalem certum eſt eſſe fundatam*: Certum, quia textus originalis Matthæi, & verſiones ferè omnes Hebræa, Arabica, Perſica, Armenica, Ruthena, Aegyptiaca, & Aethiopica apud Cardinalem Perronium cap. 56. id expreſsè demonſtrant: non enim habent *Petrus*, ſed *tu es rupes*, *tu es petra &c.* Certum, quia primitiuæ Eccleſiæ traditio id indubitanter poſteritati conſecrauit, & ſubſequentium ſæculorum auctoritate id conſtanter probatum fuit. Certum, quia Concilia generalia duo id vltro profitentur, & admittunt. Certum denique, quia à temporibus Diui Ambroſij illud, teſte Auguſtino libro 1. Retract. capite 21. in publico officio decantat, & etiamnum fidelibus ſuis proponit Eccleſia, cui dum Lutherus inſtar Goliathi exprobrare cæpiſſet, exurgens de caſtris Eccleſiæ alter Dauid Ioannes Roffenſis Epiſcopus, & Martyr, obuiauit illi, & exprobrationem retorquens his verbis Lutherum confixit: *Huc adſis & tu Luthere cum Lutheranis omnibus tuis, & omnia ſtudia veſtra in vnum conflate, neque vnquam efficietis, quin vera prædixerit Chriſtus, nempe quòd ſuper petram, hoc eſt Petrum, ędificaturus eſſet Eccleſiam: ſtat contra vos hæc auctoritas inuicta, quæ etiam de vobis triumphat & triumphabit.*

12. His poſitis nolim inhærere refutandis ijs, quæ poſt primam huius libri editionem Antonius Reiſerus miniſter Hamburgenſis in defenſionem Ioannis Launoij contra me, alioſque anno 1685. in lucem edidit. Prætérquàm enim quòd liber ipſius ſine ordine, & methodo compoſitus ſit, ipſis Heterodoxis exiguo iudicio factus videtur. Obſeruauerat Reiſerus, Ioannem Launonium à varijs Scriptoribus Catholicis impugnatum fuiſſe, neminemque eius cauſam defendendam ſuſcepiſſe: vnde hanc partem ſibi ſeruatam exiſtimans, edidit librum in 4. ſub hoc titulo: *Ioannes Launoius Theologus, & Sorboniſta Pariſienſis, teſtis, & confeſſor veritatis Euangelico-Catholicæ in potioribus fidei capitibus controuerſis aduerſùs Robertum Bellarminum, & alios quoſdam Sedis Romanæ Defenſores, egregiùs & luculentiùs nunc poſt obitum contra Chriſtianum Lupum Louanienſem, Emmanuelem à Schelestrate Antuerpienſem, Natalem Alexandrum Pariſienſem, Dominicum Galeſium, & Franciſcum Marcheſium Romanos vindicatus &c.* Prima autem, quam aduerſùs me pro Ioanne Launoio diſputationem inſtituit, eſt de loco Matthæi 16. quem ex Launoij rationibus nihil pro primatu Romani Pontificis facere contendit. Quòd ſi daretur ex ipſius Launoij fundamentis ſequi, parum contra me efficeret Reiſerus, vtpote qui initio huius capitis

tis notaui, Ioannem Launoium non rectè interpretatum eſſe loca Scripturæ, ex quibus Petri primatum diuinitùs inſtitutum fuiſſe probare conſueuit Eccleſia; neque meum eſſet, poſt prædictam obſeruationem contra Reiſerum Ioannis Launoij partes tueri; ſed alijs id oneris incumberet, quibus nimirum videtur, Launoium ipſum, & à Reiſeri ſententia longiùs diſcrepaſſe, & Romani Pontificis Primatum contra Heterodoxorum errores, & ſchiſma Anglicanum eo modo, eaque ratione, qua Catholicum ſcriptorem decebat, propugnaſſe.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *De Clauibus Petro promiſſis, num in ſignum Primatus, & immediatè potius Eccleſiæ, quàm Petro traditæ ſint?*

1. *Mens Launoij exiſtimantis hìc Petro, vt perſonam Eccleſiæ repræſentanti claues fuiſſe promiſſas, & ſic immediatè Eccleſiæ datas eſſe. Huic quæſtioni præmittitur alia, num per claues promiſſus fuerit primatus?*

2. *Bellarmino id affirmanti licèt vltra duo Patrum teſtimonia non adducat, adſtipulantur complures Eccleſiæ Patres, Optatus, Baſilus, Chryſoſtomus, Cæleſtinus I. Leo I. Flauita, Gelaſius I. Gregegorius Magnus, S. Maximinus, Petrus Damianus, & Rupertus Abbas.*

3. *Patribus accedunt antiquiores Scholaſtici, Hugo de Sancto Victore, cuius teſtimonium probat Waldenſis: Diuus Thomas, cuius teſtimonium adducit Turrecremata: Ianſenius Gandauenſis, Eſtius, Dwallius, & nouiſſimè Habertius.*

4. *His præmiſſis, agitur de quæſtione principali, num immediatè Petro claues fuerint à Chriſto promiſſæ, & traditæ? adfertur ſententia Baſileenſium, & ſequacium, quod fuerint traditæ immediatè potius Eccleſiæ.*

5. *Oppugnatur Baſileenſium fundamentum, & Petro claues promiſſas eſſe, ex ſacra Scriptura contra Hæreticos deducit Sanctus Franciſcus Saleſius Gebennenſium Epiſcopus.*

6. *Idem cum Saleſio ſentit Tertullianus, qui ſententiam ſuam nullibi retractauit.*

7. *Item S. Optatus immeritò in contrarium adductus.*

8. *Innocentius I. fauente Diuo Auguſtino.*

9. *Gregorius Nyſſenus, & omnium clariſſimè Leo I. quem ſecutus eſt Alcuinus Caroli Magni præceptor.*

10. *Sanctus Thomas, cuius locus fruſtra ad alios ſenſus detorquetur, Turrecremata Apologia Eugenij IV. Tarentinus Archiepiſcopus, & S. Ignatius.*

11. *Concilium Senonenſe ſub Cardinali Perronio, & Aquenſe ſub eiuſdem Ciuitatis Archiepiſcopo, dum cenſura perſtrinxit librum de Eccleſiaſtica, & politica poteſtate, cuius libri propoſitiones ex Baſilio adducuntur cum reſponſionibus Dwallij.*

12. *Obiectiones latiùs refutauit Turrecremata in Apologia Eugenij IV. vbi ſcribit claues quidem Eccleſiæ relictas, non tamen monarchicas vtpote Petro, ſoliſque eius ſucceſſoribus datas.*

1. POſt diſcuſſionem eorum, quæ ad primi loci interpretationem faciunt, alter Scripturæ locus occurrit, vbi Matthæi 16. Chriſtus Petro promittit claues regni cælorum; per quas Ioannes Launoius parte 2. epiſtola ad Iacobum Vallantium, allatis

tis multis Sanctorum Patrum teſtimonijs, intelligit claues pœnitentiæ, ſeu poteſtatem ligandi, & ſoluendi omnibus Apoſtolis, & Epiſcopis communem. Allegat viginti ſex Auguſtini, aliorumque Patrum teſtimonia, quibus claues illas non perſonæ Petri, ſed Petro dumtaxat vt repræſentanti perſonam Eccleſiæ promiſſas; ſicque immediatè potiùs Eccleſiæ, quàm Petro datas fuiſſe contendit. Vnde Cardinali Bellarmino libro 1. de Pontifice capite decimo ſecundo illam ſententiam adſcribenti Luthero, Caluino, & Synodo Smalchaldicæ, quæ docet: *Principaliter claues Eccleſiæ, & immediatè datas eſſe*. Opponit ſe Launoius, aſſeritque per latus Hæreticorum impeti, & odioſam reddi Pariſienſium ſententiam, quæ docet poteſtatem excommunicandi à Chriſto immediatè datam Eccleſiæ. Qua de re antequam agatur, notandum duplicem inſtitui poſſe quæſtionem, quarum prima in eo verſatur, num hoc loco per claues Petro, eiuſque ſucceſſoribus promiſſus ſit Primatus Eccleſiæ? Secundò quomodo claues illæ promiſſæ, & datæ ſint, num primò, & immediatè Eccleſiæ, & poſteà Petro, an è contra?

2. Habet Bellarminus libro 1. de Pontifice cap. 33. *Nos & Catholici omnes per claues datas Petro intelligimus ſummam poteſtatem in omnem Eccleſiam*. Quod minimè placet Launoio, qui Bellarmino objicit, cum duo tantùm Patrum loca pro ſua ſententia attuliſſe. Verùm, licèt non inſtituam apologiam Bellarmini, hoc tamen pro Bellarmino dici, ni fallor, poterit, cum plura Patrum loca afferre potuiſſe, vt ex ſequentibus conſtabit. Sanctus enim Optatus Mileuitanus lib. 7. contra Parmenianum de clauibus agens: *Bono vnitatis*, inquit, *B. Petrus, cui ſatis erat, ſi, poſtquàm negauit, ſolam veniam conſequeretur, & præferri cæteris Apoſtolis meruit, & claues regni cælorum communicandas cæteris ſolus accepit*. Sanctus Baſilius homilia de iudicio Dei: *Beatus Petrus, ille omnibus diſcipulis prælatus, ſolus præ cæteris honorifico teſtimonio, ac beatificatione inſignitus, ille, qui regni cælorum claues accepit*. Diuus Ioannes Chryſoſtomus homilia 55. in caput 16. Matthæi, cum propoſuiſſet illum locum: *Dabo tibi claues regni cælorum*: ex eo contra Arianos oſtendit, poteſtatem filij non minorem eſſe Patris, vtpote ſi Pater Petro reuelauerit filium, filius Petro licèt mortali poteſtatem cæleſtem conceſſerit, & claues regni dederit, *ac vniuerſo terrarum orbi eum præfecerit*. Quæ omnia aſſerit Petro per Chriſtum Matthæi 16. promiſſa. *Namque Deus concedere ſolus poteſt, peccatorum ſcilicet remiſſionem, & vt Eccleſia tot, tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat;*

*at; cuius paſtor, & caput piſcator homo, atque ignobilis terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate ſuperet; hæc inquam omnia, quæ ſolius Dei ſunt, ſe pollicetur daturum.* Vtique illo loco Matthæi, de quo hic agimus, & de quo D. Chryſoſtomus ibidem loquitur. Sanctus Cæleſtinus I. Papa epiſtola inter Holſtenianas 13. ad Epiſcopos per Illyricum conſtitutos: *Noſque præcipuè circa omnes cura conſtringimur, quibus neceſſitatem de omnibus tractandi Chriſtus in Sancto Petro Apoſtolo, cum illi claues aperiendi, claudendique daret, indulſit.* Leo Primus eloquentiſſima Sedis Apoſtolicæ tuba homilia de Transfiguratione Domini agens de confeſſione, quam Petrus Matthæi 16. fecit: *Tantumque in hac fidei ſublimitate complacuit, vt Beatitudinis felicitate donatus ſacram inuiolabilis Petræ acciperet firmitatem, ſuper quam fundata Eccleſia portis inferi, & mortis legibus præualeret: nec in ſoluendis, aut ligandis quorumcumque cauſis aliud ratum eſſet in cælis, quàm quod Petri ſediſſet arbitrio.* Vbi Leo manifeſtè tradit, ſupremam ſoluendi, & ligandi auctoritatem Petro conceſſam fuiſſe, eiuſque arbitrio relictam. Quod etiam agnouerunt Flauita Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & Zeno Imperator, probante Felice 3. Pontifice, *Apoſtolorum ſummum, Petramque fidei, & cæleſtis diſpenſatorem myſterij, creditis ſibi clauibus beatum Petrum Apoſtolum confeſſi ſunt.* Gelaſius Primus in tractatu contra Græcos per Sirmondum edito ſcribit: *Primæ beatiſſimæ Petri Sedi, antiquam, & vetuſtam reuerentiam adiudicatam fuiſſe à Patribus Nicæni Concilij*: Idque inter cætera, ex hoc loco Matthæi: *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Diuus Gregorius Magnus epiſtola ad Mauritium Auguſtum: *Cunctis ergo Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominica Sancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſique dicitur .... Et tibi dabo claues regni cælorum &c. Ecce claues regni cæleſtis accipit, poteſtas ei ligandi, & ſoluendi tribuitur, cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committitur.* Sanctus Maximus Taurinenſis Epiſcopus ſermone 5. de Petro, & Paulo: *Dominus Petro, ſicut bono Diſpenſatori clauem regni cæleſtis dedit.* Addit clauem Magiſterij Paulo datam, & pergit: *Ambo igitur claues à Domino perceperunt, ſcientiæ iſte, ille potentiæ.* Beda homilia de Sancto Petro, & Paulo: *Petrus ſpecialiter claues regni cælorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit.* Diuus Petrus Damianus ſermon. 26. de Sancto Petro: *Vnus eſt, quem prænobilitant ſingularis primatus inſignia, clauicularius regni cælo-*

lo-

*lorum*. Et infrà: *Ad eius arbitrium orbis vniuerſitas ſoluitur, & ligatur*. Rupertus Abbas vol. 4. Euangel. libro 1. capite 25. cui titulus eſt: De Primatu Petri Apoſtoli: *Vnum, & ſingulare vnius eſt Petri priuilegium, cui priùs, & ſingulariter dictum eſt: Tibi dabo claues regni cælorum*.

3. Patribus accedunt antiquiores, & recentiores ſcholaſtici etiam Sorbonæ Pariſienſis alumni; & in primis quidem Hugo de Sancto Victore libro 2. de Sacramentis, parte 3. cap. 5. *Qui ſolus prærogatiua dignitatis, claues habet ligandi omnia, & ſoluendi ſuper terram*. Ad quæ verba Thomas Vvaldenſis eruditone ſua quondam Sorbonæ, & Martino V. venerabilis, libro 2. Doctrinalis Fidei, cap. 45. *Nota prærogatiuam dignitatis eius, qua ſolus ligandi, & ſoluendi, id eſt, in plenitudine claues habet*. Aequè clarè ex Angelico Doctore contra errores Græcorum, capite 58. id deducit Ioannes de Turrecremata quæſtione 20. teſtimoniorum Diui Thomæ tempore Baſileenſis Concilij collectorum: dicit enim plenitudinem poteſtatis Petro competere. Et addit ex verbis Diui Thomæ: *Hoc trahitur ex authoritate S. Scripturæ; nam Matthæi 16. vniuerſaliter Petro dixit: Quodcunque ſolueris &c.* Subſcribunt Ianſenius ex Louanienſi Doctore Gandauenſis Epiſcopus in Concordia Euangelica, cap. 46. *Per claues regni cælorum Petro promiſſas rectiùs intellexerimus, metaphoricè ſignificatam plenariam, ſupremam poteſtatem gubernandi Eccleſiam Chriſti*. Ex facultate Duacena Guilielmus Aeſtius in difficiliora Scripturæ loca ad caput 16. Matthæi: *Dabo tibi claues, ideſt, poteſtatem, & adminiſtrationem ſuper totam Eccleſiam*. Ex facultate Pariſienſi Dvvallius parte 1. quæſtione 3. *claues*, inquit, *quæ ſupremam in perſona Petri poteſtatem aptiſſimè ſignificant*. Quod ipſum præter alios complures manifeſtè tuetur Habertius, ex Doctore Pariſienſi, Regis Galliæ Eccleſiaſtes, Tractatu de Primatu Petri ſingulari, libro 1. cap. 1. numero 4. vbi habet: *Præter claues Apoſtolis omnibus communes, peculiares quoquè Petro promiſſæ, datæ: Et tibi dabo claues regni cælorum, in eo à cæterorum Apoſtolorum clauibus diſtinctas, quòd ſupremæ, principes, propriæ futuræ eſſent: quòd cum ipſis poſt Chriſtum Petro claudente nemo aperire: Petro aperiente, nemo Apoſtolorum claudere potis eſſet; ob primam, ac ſupremam in cæli portas, claueſque Petri poteſtatem vni Petro à Chriſto promiſſam; vt poſteà conceſſam*. Admittit vir eruditus, per claues intelligi poteſtatem ligandi, & abſoluendi, Apoſtolis quidem communicatam in poteſtate clauium ſimpliciter ſumpta; ſed po-

teſtatem Petri in eo ab Apoſtolorum clauibus fuiſſe diuerſam, quòd eſſet ſuprema in Eccleſia, & ad ſucceſſores tranſmittenda; in quibus oſtendimus conſiſtere Petri præ cæteris Apoſtolis prærogatiuam. Idque eſt, quod D. Petrus Damianus ſermone 41. de S. Bartholomæo docet: *Quòd beato Petro Dominus claues regni cælorum, ſpeciali quadam voluit traditione committere ... vt vnitatem Eccleſiæ commendaret.*

4. His poſitis agendum nunc eſt de quæſtione clauium: an ſcilicet Petro immediatè? an potiùs Eccleſiæ in Petro apud Matthæum 16. fuerint promiſſæ, & Ioannis vltimo cum ouium cura datæ? Sunt quidem duæ diuerſæ de hac quęſtione ſententię. Nonnulli enim iam dudum tenuerunt cum Concilio Baſileenſi in dato ad Legatos Eugenij Quarti reſponſo: *Etſi Papa maior ſit in Eccleſia, non tamen maior eſt tota Eccleſia; vni autem quare dictum ſit: Tibi dabo claues regni cælorum: Sancti Doctores exponunt, vt vnitatem deſignaret Eccleſiæ; & ideò ab vnitate exordium proficiſcitur, vt Eccleſia vna demonſtraretur: & Petrus quando claues accepit, vt dicit Auguſtinus, Eccleſiam ſignificauit.* Loquitur Baſileenſe Concilium cum Ioanne Gerſonio Cancellario Pariſienſi, opuſculo de poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione 4. *Quòd ſi poteſtas prædicta* (ſcilicet clauium) *ſit data Eccleſiæ, Concilium generale repræſentans Eccleſiam, habet illam .... & fundatur prædicta poteſtas Eccleſiaſticæ iuriſdictionis in vnitate, vel vnione tali; quemadmodum notaſſe videtur eleuatus Auguſtinus, quòd claues Eccleſiæ datæ ſint vnitati. Verumtamen hoc non impedit, quin datæ ſint Petro tanquam Monarchæ, legitimiſque ſuis Succeſſoribus.* Monarchalem Romanorum Pontificum poteſtatem ſaluam voluit Ioannes Gerſonius, non obſtante, quòd doceat, claues Eccleſiæ datas: quòd ſi ſalua ſit Monarchalis Pontificis auctoritas iuxta ſententiam illam, quę claues immediatè Eccleſiæ datas perhibet; multò magis ſalua erit iuxta illorum ſententiam, qui immediatè ipſi Petro conceſſas fuiſſe affirmant.

5. Porrò hæc ſententia fundata eſt in ipſis Chriſti verbis, qui in Euangelio indicat, ſe, non Eccleſiæ, ſed Petro totius Eccleſiæ capiti clauium poteſtatem promiſiſſe. *Ego dico tibi*, inquit Chriſtus Matthæi 16. *quia tu es Petrus*, & infrà: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Quid manifeſtius? non dicit ibi Chriſtus, ſe claues daturum Eccleſiæ, ſed *Tibi*, inquit ad Petrum. Vnde cùm Hæretici verba illa de Eccleſia interpretarentur, Sanctus Gebennenſium Epiſcopus Franciſcus Saleſius diſcurſu 32. de Eccleſia exclamat: *Les Miniſtres tachent*

*tant*

*tant qu'ils peuuent de troubler ſi finement la claire fontaine de l'Euangile, que S. Pierre n'y puiſſe plus trouuer ſes clefs, & font leur poſſible, pour nous degouter d'y boire l'eau de la ſainte obeïſſance, qu'on doit au Vicaire de noſtre Seigneur; mais qu'ont ils fait? ils ſe ſont auiſez de dire, que S. Pierre auoit receu cette promeſſe de noſtre Seigneur au nom de toute l'Egliſe, ſans qu'il ait receu pour cela aucun priuilege particulier en ſa perſonne. Or ſi cecy n'eſt pas violer l'Ecritture, iamais homme ne la violera: car n'eſt ce pas à S. Pierre, a qui il parloit, & comme pouuoit il mieux exprimer ſon intention, qu'en diſant: Et ego tibi dico, dabo Tibi, car puis qu'immediatement il venoit de parler de l'Egliſe ayant dit: Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, qui l'eut empeché d'adiouter: Et dabo illi claues regni; s'il les eut voulu donner a toute l'Egliſe immediatement? il ne dit: illi, mais: dabo Tibi, que s'il eſt permis d'aller ainſi deuinant ſur des paroles claires, il n'y aura plus rien en l'Ecriture, qu'il ne ſe puiſſe plier à tous ſens.* Id eſt: *Hæreticorum miniſtri omnem lapidem mouent, vt quantum poſſint, inquinent fontem Euangelij, ne Petrus ibi reperiat claues ſuas: nihil intentatum relinquunt, vt nos auertant ab obedientia, quæ debetur Vicario Chriſti. Quid autem fecerunt? dixerunt, ſancto Petro promiſſionem à Domino factam nomine totius Eccleſiæ, ſic vt nullum peculiare priuilegium conceſſum fuerit ipſius perſonæ. Si igitur hoc interpretandi modo non peruertatur Scriptura, nunquam ab aliquo in alienum ſenſum detorquebitur. Nonne enim Petro loquutus eſt Dominus? & quomodo clariùs mentem ſuam exprimere poterat: quàm his verbis? Et ego dico tibi, dabo tibi: Cùm enim immediatè anteà locutus fuiſſet de Eccleſia, dum ait: Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, quidnam obſtat? quominùs adiunxiſſet, & dabo illi claues regni, ſi illas immediatè dare voluiſſet Eccleſiæ? non dixit: illi, ſed dabo Tibi: Quòd ſi liceat explicare loca clara, nihil omnino in Scriptura reperietur, quod in omnem ſenſum detorqueri non poſſit.* Hæc pro interpretatione ſupradicti loci Sanctus Gebennenſis Epiſcopus toti Galliæ Venerabilis. Ex quibus videre licet iuxta expreſſam ſacræ Scripturæ auctoritatem, claues non immediatè promiſſas eſſe Eccleſiæ, & per Eccleſiam Petro datas, ſed potiùs immediatè promiſſas, & datas fuiſſe Petro, ac ex Petro deſumptas eſſe, quas Chriſtus Eccleſiæ reliquit. Ne verò quiſquam obijciat, tractatum, in quo ſupradictus locus continetur, deſiderari inter opera ſancti Franciſci Saleſij, obſeruandum eſt, tractatum illum editum fuiſſe ſeparatim, meque apo-

graphum ipſius ſancti Franciſci Saleſij in manibus habuiſſe, illudque Romæ in Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Chiſij aſſeruari, cum authenticis plurimorum Doctorum cenſuris, quibus opus illud probatum fuit; adeò vt locus ſupradictus, quem cum autographo S. Franciſci diligenter contuli, ipſius Beati Saleſij habendus ſit.

6. Conſentiunt autem ex Patribus Tertullianus ex libro Scorpiaci contra Gnoſticos cap. 10. *Memento claues hìc Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe*. *Iſtud*, *per eum*, ſubdit inſignis Sorbonæ Pariſienſis Doctor Habertius libro primo de Primatu Petri cap. 1. *vni Petro peculiare eſt*. *Enim verò ſupremum ius clauium vni Petro datum, à Petro in cæteros transfuſum, ac deductum exprimit*. Neque hanc ſententiam retractauit Tertullianus in hæreſim lapſus, vti exiſtimauit Ioannes Launoius: nam vt rectè oſtendit Chriſtianus Lupus parte 4. ad canonem 19. Dictatus Gregorij Septimi, ſolùm reuocauit, has claues datas Petro, cum iure traducis in omnem Petro propinquam Eccleſiam. Vnde & libro de pudicitia clamans contra edictum Zephirini Papæ contendit ipſum non habuiſſe poteſtatem clauium Perſonæ Petri collatam: *Super te*, inquit, *ædificabo Eccleſiam meam: Et Tibi dabo claues*, *non Eccleſiæ*. En ſententiam priorem, non retractatam, ſed potiùs firmatam, de datis primum Petro, non verò Eccleſiæ à Chriſto clauibus; quod ipſum Diui Cypriani teſtimonio comprobatur, dum libro de vnitate dixit: *Quòd Chriſtus quidem Apoſtolis parem poteſtatem tribuit; tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*. Quaſi diceret, Petro primùm collatam auctoritatem, & ex illo vno tanquam fonte, cæteris datam fuiſſe à Chriſto.

7. Clariùs loquitur Sanctus Optatus Mileuitanus Epiſcopus contra Parmenianum lib. 7. *Bono vnitatis beatus Petrus, cui ſatis erat, ſi poſtquam negauit, ſolam veniam conſequeretur, tamen cæteris omnibus Apoſtolis præferri meruit; & claues regni cælorum communicandas cæteris ſolus accepit*: nihil hoc loco expreſſius. Nec hìc ſolùm, ſed & libro 1. idem vrget Sanctus Mileuitanus Epiſcopus: *Hæretici non habent claues, quas ſolus Petrus accepit*. Solus, nimirum vt Eccleſiæ Monarcha: licèt enim cæteris communicatæ ſint claues, prout vocabantur in partem ſollicitudinis, retinuit tamen Petrus plenitudinem poteſtatis. Dicat ergo Sanctus Optatus libro 2. *Certa membra ſua habet Eccleſia, Epiſcopos, Præsbyteros, Diaconos, Miniſtros, & turbam fidelium*: Et addat Launoius Commentarium. *Si Epiſcopi, Præsby-*

*ſbyteri, Diaconi, Miniſtri, certa quædam ſunt membra Eccleſiæ, profectò Eccleſia corpus eſt, quod per illa membra ſuos actus exercet.* At negatur hinc ſequi, claues principaliter Eccleſiæ datas, & per Eccleſiam Petro: quin potiùs ſequetur, ob bonum Eccleſiæ Petro principaliter datas, & cæteris Eccleſiæ Epiſcopis, prout in partem ſollicitudinis vocati ſunt, & non aliter conceſſas fuiſſe.

8. Tertiò Siricius Papa epiſtola 4. quæ inſeritur Concilio Telenſi de Petro ait: *Per quem & Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium.* Et poſt Siricium Innocentius primus epiſt. 24. ad Concilium Carthaginenſe inter Auguſtinianas 91. *A quo*, nimirum Petro, *ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis huius emerſit.* Quomodo enim emerſiſſet, niſi Chriſtus per Petrum auctoritatem Epiſcopalem alijs communicaſſet? Hoc autem Diuus Auguſtinus ſuum fecit, cum epiſtola 106. ad Bonifacium; hæc *eo modo*, ab Innocentio Primo fatetur conſcripta, *quo fas erat, atque oportebat Sedis Apoſtolicæ Antiſtitem.* Quin imò Diuum Auguſtinum huic conuenire ſententiæ probat Chriſtianus Lupus ex ſermone 26. de diuerſis: *Petrus*, inquit Auguſtinus, *multis locis Scripturarum apparet, quòd perſonam geſtet Eccleſiæ, maximè illo in loco, vbi dictum eſt: Tibi dabo claues regni cælorum; num quid iſtas claues Petrus accepit, & Paulus non accepit, & cæteri Apoſtoli? Aut non ſunt iſtæ in Eccleſia claues, vbi peccata quotidiè dimittuntur? ſed quoniam in ſignificatione perſonam Petrus geſtabat Eccleſiæ, quod illi vni datum eſt, Eccleſiæ datum eſt.* Nota, *illi vni datum eſt*; vni ergo Petro datæ ſunt à Chriſto claues: neque enim dicit, quod Eccleſiæ datum eſt, *illi datum eſt*: ſed cum emphaſi, *quod illi vni datum eſt, Eccleſiæ datum eſt*: *Hoc eſt*, ſubdit Lupus, *ab illo vno fonte in omnes Apoſtolatus, & Epiſcopatus Collegas, & ſucceſſores traductum eſt; & vſque ad finem ſæculi traducendum.* Sicut auctoritatem Diui Auguſtini de clauibus datis Eccleſiæ obijcientibus reſpondet Nicolaus Cæffæteau, electus à Rege Chriſtianiſſimo Maſſilienſis Epiſcopus: *Noſtræ ſententiæ non obeſt: nec enim negamus, ſed facimus Chriſtum ordinis Epiſcopalis authorem, atque ex eius ordinatione relictos in Eccleſia aſſeueramus, eoſque ſucceſſores Apoſtolorum, qui tamen Petrum ſuæ poteſtatis radicem agnoſcant.*

9. Quartò Gregorius Nyſſenus tractatu in eos, qui ægrè ferunt caſtigationem: *Chriſti prædicatio exitum fallacem non habet: per Petrum Epiſcopis dedit claues cæleſtium bonorum.* Et omnium clariſſimè Sanctus Leo eloquentiſſimum Apoſtolicæ Sedis

dis

dis oraculum, ſerm. 3. in anniuerſario ſuæ conſecrationis: *Magnum, & mirabile huic viro* (ſcilicet Petro) *conſortium potentiæ ſuæ tribuit Diuina dignatio, & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid alijs non negauit.* Et epiſtola ad Viennenſis Prouinciæ Epiſcopos cap. 1. *Huius muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolo, omnium ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quodam quaſi capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* Notanda ſunt verba Leonis I. qui clarè teſtatur, poteſtatem primò, & principaliter Petro collatam, & à Chriſto ex Petro deſumptam eſſe, quam alijs conceſſit. Eadem indicat Alcuinus Caroli Magni præceptor libro 1. de Diuinis officijs cap. 19. vbi ſcribit: *Religionis cultum ſic Dominus inſtituit, vt in beatiſſimo Petro principaliter collocaret, atque ab ipſo quaſi capite dona ſua vellet in corpus omne manare.*

10. Quintò idem plæclarè affirmat Diuus Bonauentura opuſculo, Quarè Fratres Minores prædicent, vbi: *Quòd à Petro manat in omnes inferiores per vniuerſam Eccleſiam auctoritas, prout ſingulis competit ei participari.* Idem docuit Theologorum Princeps Sanctus Thomas libro 4. contra Gentes, cap. 76. *Et ſoli, Petro, promittit tibi dabo claues regni cælorum, vt oſtenderetur poteſtas clauium per eum ad alios deriuanda.* Quæ verba eludere conatur Ioannes Launoius, ſed fruſtra: nam luce meridiana clariora ſunt. Vnde cum ad inſtantiam Cardinalis Iuliani, Ioannes de Turrecremata, tunc Apoſtolici Palatij Magiſter, in faſciculum, vt vocat, congeſſiſſet ſententias D. Thomæ ad auctoritatem Pontificiam ſpectantes, quæſtione 23. inquirit idem Turrecremata *Vtrùm à Papa deriuetur poteſtas in alios?* ſubditque: *Ad hanc quæſtionem reſpondit Sanctus Thomas affirmatiuè in locis ſuperiùs notatis: primò in 4. contra Gentiles, cap. 76. vbi ita dicit: Petro ſcilicet promiſit dicens: Tibi dabo claues regni cælorum, vt oſtenderetur poteſtas clauium per eum ad alios deriuanda ad conſeruandam Eccleſiæ vnitatem.* Item hoc dicit in 4. ſententiarum diſtinct. 24. quæſtione vlt. ſub his verbis: *Quamuis Apoſtolis data ſit communiter poteſtas ligandi, atque ſoluendi: tamen in hac poteſtate, vt ordo aliquis ſeruaretur, primò ſoli Petro data eſt, vt oſtendatur, quòd ab eo debeat iſta poteſtas deſcendere.* Hunc faſciculum ex teſtimonijs D. Thomæ per Turrecremata, ad inſtantiam Iuliani Cardinalis, & Baſileenſis Concilij Præſidis, ſæculo 15. confectum, tomo 1. ſummæ Conciliorum exhibuit D. Ludouicus

Bail

Bail Doctor, & Propænitentiarius Pariſienſis: idque fuſiùs contra Baſileenſes propugnat Turrecremata in Apologia pro Eugenio IV. viua voce anno 1439. in ſacroſancto Concilio Florentino exhibita ſignanter in reſponſione ad articulum 1. numero 50. & ſequentibns. Edita eſt hæc Apologia Tomo 13. Conciliorum apud Philippum Labbeum. Et vt finiam, Ioannes Archiepiſcopus Tarentinus in oratione habita coram Patribus Baſileenſibus, quę extat in appendice prima ab Baſileenſe Concilium, *Petro*, inquit, *ſoli promiſit*; *Tibi dabo claues regni cælorum*; *vt oſtenderetur*, *vt inquit beatus Doctor*, *quòd poteſtas clauium eſſet ad alios diffundenda vſque ad ſæculi finem*. Et beatus Ignatius Societatis IESV Fundator epiſtola ad Claudium Imperatorem Abyſſinorum, de hac eadem clauium auctoritate agens: *Cæteris quidem Apoſtolis*, inquit, *auctoritatem Chriſtus Dominus noſter impertijt delegatam*, *ac veluti extra ordinem*: *at ſancto Petro*, *eiuſque ſucceſſoribus ordinariam dedit*, *ac plenam*; *vbi ab hoc ſummo Paſtore*, *tanquam à fonte reliqui animarum paſtores peterent*, *eidemque acceptum ferrent*, *quidquid omnino iuris ad ſuum quiſque munus*, *ac regimen obtinerent*.

11. Sextò Eminentiſſimus Cardinalis Perronius Archiepiſcopus Senonenſis, & Galliarum Primas in Concilio Senonenſi, cum Henrico Epiſcopo Pariſienſi, Franciſco Antiſiodorenſi, Ioanne Meldenſi, Gabriële Aurelianenſi, Rænato Træcenſi, Euſtatio Niuernenſi, & Philippo Carnutenſi Epiſcopis, hac cenſura perſtrinxit Libellum anonymum de Eccleſiaſtica, & politica poteſtate: *Ob multas*, *quas continet propoſitiones*, *& allegationes falſas*, *erroneas*, *ſcandaloſas*, *ſchiſmaticas*, *& vt ſonant*, *hæreticas*. Quod eodem anno 1612. ſub Paulo Haralto Hoſpitalio Archiepiſcopo imitatum eſt Aquenſe in Gallia Concilium; vt in Concilijs nouiſſimis Galliæ publicauit Ludouicus Odeſpun Presbyter Turonenſis, & ex ipſo Philippus Labbeus, & Ludouicus Bail, qui in controuerſia Senonenſi Concilio ſubiuncta obſeruat, hanc quoque propoſitionem de clauibus immediatè Eccleſiæ conceſſis, fuiſſe cenſura notatam.

„ Verba Diui Baſilij ſunt in
„ libro noſtro manuſcripto, in
„ quem referimus famoſiora,
„ quæ inter legendum nobis oc-
„ currunt. Inuenimus multas
„ propoſitiones eius libelli, quas
„ præſens Concilium reproba-
„ uit, cum reſponſionibus præ-
„ fati Doctoris Dvvallij, viri
„ quà pietate, quà doctrina per-
„ celebris, qui aduersùs eum
„ ſcriptum ediderat cum hac in-
„ ſcriptione: *Elenchus libelli de*
„ *Eccleſiaſtica*, *& politica po-*
„ *teſtate*. Ex quo nos ante 18.
„ fer-

,, ferme annos, quæ ſequuntur,
,, colligebamus. Ex quibus poſteri
,, intelligant cauſam huius Con-
,, cilij, & cum quanta circum-
,, ſpectione de ſummi Pontificis
,, auctoritate loquendum, ac
,, ſcribendum ſit .... Anony-
,, mus pag. 1. vulgare eſt, De-
,, um & naturam priùs, atque
,, immediatiùs ad totum ſuppo-
,, ſitum, quàm ad partem ali-
,, quam ſuppoſiti intendere ....
,, Schola Pariſienſis hoc infalli-
,, bili munita firmamento ....
,, docuit Chriſtum fundando Ec-
,, cleſiam priùs, immediatiùs,
,, atque eſſentialiùs claues, ſiue
,, iuriſdictionem toti Eccleſiæ
,, dediſſe, quàm Petro? A. Dv-
,, vallius ridet verbum *eſſentia-*
,, *liùs*, eſſentiæ enim indiuiſibi-
,, les. Ad argumentum, conce-
,, dit, priùs eum intendiſſe ad
,, totum, quàm ad partem; ad
,, Eccleſiam, quàm ad Papam;
,, pars enim eſt propter totum.
,, Non ſequitur tamen, priùs
,, toti datas eſſe claues, ſicut iu-
,, iuriſdictio non priùs conuenit
,, ciuitati, quæ eſt totum, quàm
,, iudici, qui eſt pars; poteſtas gre-
,, gi, quàm Paſtori ..... nullæ
,, propriæ communitati Eccleſiæ
,, datæ ſunt claues ..... Luthe-
,, raniſmum ſapit iſta expoſitio:
,, ſi enim claues communitati
,, datæ, ergo omnes tanquam
,, Sacerdotes, vt volebat Lu-
,, therus, ligare, abſoluere, &
,, prædicare poterunt. Deinde
,, data hypotheſi, quòd Prælati
,, omnes de medio tollerentur,
,, poſſet tunc Eccleſia iuriſdictio-
,, nem exercere, *quod erroneum*
,, *eſt*. Habet plures Anonymi propoſitiones cum reſponſionibus Dvvallij, & pergit Dñs Bail:
,, Hæc pauca proſcrimus ex plu-
,, ribus, quæ aliàs annotauera-
,, mus, quæque annotari pote-
,, rant, vt agnoſcantur, quæ
,, difficultates ventilatæ ſint in
,, hoc Concilio Senonenſi, vt in
,, ſequenti Aquenſi.

12. Argumenta, quæ opponuntur, latiùs refutantur in apologia Eugenij IV. quam Turrecremata anno 1439. vt diximus, in Concilio Florentino viua voce exhibuit; vbi optimè aduertit, Petrum non potuiſſe accipere claues nomine Eccleſiæ, quaſi vices eius gereret; quia Papa non Eccleſiæ Vicarius, ſed Chriſti, non Eccleſiæ, ſed Chriſti gerit vices in terris. Deinde nec ita Eccleſiam ſignificare potuiſſe, vt claues datæ ſint vniuerſo corpori Eccleſiæ in omnibus eius membris, cùm in ſolis Epiſcopis, & Presbyteris, vt adnotarunt Ambroſius, & Hieronymus, illas ſuſceperit. Vnde etiamſi admittamus, Patres dixiſſe, Petrum nomine Eccleſiæ, aut ipſam Eccleſiam in Petro claues accepiſſe, ad ſummum intelligi poſſunt Epiſcopi, & Presbyteri vocati, non quidem in plenitudinem poteſtatis, ſed in partem ſollicitudinis: *Quamuis* (inquit Turrecremata in apologia pro Eugenio IV. *non ſolus*

*Pe-*

*Petrus accepit claues, ſolus tamen, vt ſæpè ex dictis Sanctorum commemoratum eſt in plenitudine ſuſcepit, vtpote aliorum princeps, & caput*. Neque D. Auguſtinus, alijque Eccleſiæ Patres, cùm dicunt claues Eccleſiæ, vel Eccleſiarum Miniſtris datas eſſe, agunt de clauibus monarchicis; ſed de auctoritate clauium, per omnem Eccleſiam Petro propinquam, pro parte ſollicitudinis diſtributa. Vnde Onuphrius Panuinius libro de Primatu Petri ,, parte 1. cap. 5. Quamquàm ,, cunctis Apoſtolis in communi ligandi, & ſoluendi facultas data ſit, tamen vt in hac ,, poteſtate ordo aliquis ſignificaretur, oſtenderetur que, poteſtatem clauium per Petrum ,, ad alios transferendam, vt ,, Eccleſię vnitas conſeruari poſſet: primùm ſoli Petro conceſſa eſt, deinde cæteris per ,, eum: in quam ſententiam ,, verba D. Auguſtini omnino ,, intelligenda ſunt.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *Quòd Ioannis 21. paſce oues meas; Petri Primatus inſtitutus ſit.*

*1. Marci Antonij de Dominis ſententia, quòd Chriſtus Ioannis 21. non conſtituerit Petrum ſupremum ouium Paſtorem, ſed ſupremam auctoritatem Eccleſiæ, & Epiſcopis conceſſerit; idque Baſilij, Diui Auguſtini, & Ambroſij teſtimonijs comprobari exiſtimat.*

*2. De Dominis ſententiam ſecutus nuperus Auctor, ideò Petrum Primatum obtinuiſſe aſſerit, quia primus in Scripturis commemoratur.*

*3. Petrus ideò Primatum obtinuit, quia Chriſtus Ioannis 21. cum cura ouium illi eundem contulit, vt probatur ex omnium nationum Patribus, Diuo Cypriano, Origene, Euſebio, Cyrillo Hieroſolymitano, Chryſoſtomo, Stephano Lariſſæenſi, Eucherio Lugdunenſi, & Iſidoro Hiſpalenſi.*

*4. Idem tradunt Bonifacius Primus, Leo Primus, Gelaſius, Vigilius, & Gregorius Magnus.*

*5. Baſilij locus à Spalatenſi oppoſitus integer adfertur, & pro Primatu Ioannis 21. Petro per Chriſtum collato facere monſtratur.*

*6. Diuus Ambroſius, dum dicit Epiſcopos cum Petro oues curandas accepiſſe, agit de cura ouium ſingulis diſtributa.*

*7. Eodem modo loquitur D. Auguſtinus, qui plerìſque in locis ſignificat Petro primatum fuiſſe collatum.*

1. EGimus de duobus Scripturę locis, quibus Chriſtus Mat. 16. primatum Petro promiſit: nunc agendum eſt de tertio loco Ioannis 21. & videndum an his verbis: *Paſce oues meas*: Primatum contulerit. Si enim Marco Antonio de Dominis aures præbeamus, hic locus nihil ad ,, Petri Primatum facit: Quamuìs enim, inquit libro 1. de ,, Republica cap. 8. veriſimum ,, ſit verba illa ſeorſim ſumpta ,, ſoli Petro fuiſſe dicta, etiam ,, alijs Apoſtolis præſentibus; ,, nihilominùs in ſolo Petro ea ,, eſſe-

,, effectum ſuum habuiſſe, dici ,, nullo modo poteſt. Nonne ,, ipſemet Chriſtus dedit quoſ- ,, dam quidem Apoſtolos, alios ,, Doctores, & Paſtores? non ,, ergo ſolus Petrus Paſtor. Be- ,, ne itaque Baſilius, *atque hoc*, ,, inquit, *à Chriſto ipſo doce-* ,, *mur, dum Petrum Eccleſiæ* ,, *ſuæ Paſtorem poſt ſe conſti-* ,, *tuit. Petre enim, inquit, a-* ,, *mas me plùs his? Paſce oues* ,, *meas, & omnibus prætereà* ,, *deinceps Paſtoribus, ac Ma-* ,, *giſtris eandem tribuit poteſta-* ,, *tem, cuius quidem rei ſignum* ,, *eſt, quòd omnes ſimiliter, at-* ,, *que ille, & ligent, & ſol-* ,, *uant.* Aguſtinus verò nun- ,, quam illa ad Primatum Petri ,, confirmandum adduci patie- ,, tur, ſiquidem nihil illuſtre ,, vult circa perſonam ſingula- ,, rem Petri in Euangelio fieri, ,, diciue, niſi illud ad totam Ec- ,, cleſiam referatur. Vnde & ait: ,, *Ideò Petro, quem facere vo-* ,, *lebat Paſtorem bonum, non* ,, *in ipſo Petro, ſed in corpore* ,, *ſuo ait: Petre amas me? pa-* ,, *ſce oues meas .....* Quid ve- ,, rò Ambroſius? nonne & ipſe ,, Petrum quaſi procuratorem ,, omnium Prælatorum fecit, qui ,, omnium nomine paſturam ,, ouium acciperet? *Quas oues*, ,, inquit, *& quem gregem non* ,, *ſolùm hunc Beatus ſuſcepit* ,, *Petrus, ſed & nobiſcum eas* ,, *ſuſcepit, & cum illo eas nos* ,, *ſuſcepimus omnes.* Et infrà: ,, Igitur locus iſte: *Paſce oues* ,, *meas*, nihil ſingulare Petro ,, tribuebat, quod non etiam ,, cæteris Apoſtolis *tribueretur*. Hæc, & multò plura adducuntur ibidem à Marco Antonio de Dominis, quæ libens præterirem, niſi quis noſtris temporibus repertus eſſet inter Catholicos, qui præfati Marci Antonij interpretationem ſecutus, iiſdem planè argumentis Primatum Petri impugnare auſus fuiſſet.

2. Eſt enim inter modernos Scriptores, qui non ſolùm loca Matthæi 16. cap. ſuperiùs explicata; ſed etiam locum Ioannis de paſcendis ouibus, æquè de cæteris Apoſtolis, ac de Petro intelligendum eſſe putauit, citans pro ſua ſententia eadem Baſilij, Ambroſij, & Auguſtini loca, quę Exarchiepiſcopus Spalatenſis allegauerat: & poſt hæc concludit. ,, Itaque ex locis à Bellarmino ,, allatis non poteſt colligi Pri- ,, matus Petri, vt ipſe colligit; ,, at aliter poteſt colligi, vt ob- ,, ſeruauimus, quia his in locis ,, Petrus perſonam gerit Eccle- ,, ſiæ, pro cæteris Apoſtolis ,, loquitur, & ipſe à Chriſto ,, nomine eorum compellatur ,, quaſi primus, ac præcipuus. ,, Nunc aliunde primatum Pe- ,, tri ſtabiliamus. In omni ho- ,, minum collegio debet aliquis ,, ordo ſeruari, & neceſſe eſt, ,, aliquem primum inter plures ,, eſſe. Haud igitur dubium, ,, quin in Collegio Apoſtolico ,, pri-

,, primus aliquis fuerit : ſed ,, hunc Petrum fuiſſe diſertè teſtantur Euangeliſtæ, qui cùm ,, Apoſtolos enumerant, Petrum ,, non modò ſemper primo collocant ordine, ſed primum ,, fuiſſe affirmant Matthæi 10. ,, *Duodecim Apoſtolorum nomina hæc ſunt: Primus Simon, qui dicitur Petrus*. Apud ,, Marcum Euangelij cap. 3. Simon Petrus primus commemoratur: in multis exemplaribus græcis Πρῶτος etiam dicitur, non ſecus ac apud Matthæum. Denique Lucas capite 6. ver. 14. electos à Chriſto Apoſtolos numerans ordi- ,, tur à Petro. Atque hinc ſatis luculenter conſtat Petrum ,, inter Apoſtolos primum fuiſſe. Ita interpretatur Scripturæ loca, & ea, quibus iuxta Concilia, Patres, Doctores, & perpetuam Eccleſiæ traditonem Petri primatus à Chriſto inſtitutus eſt, nihil pro eodem facere contendit. Alias verò, in quibus Petrus primus dicitur, quia primus electus eſt, & primus inter Apoſtolos nominatur, primatum eius ſufficienter ſtabiliri adſtruit: quamuis pauci admodum Patres, & vix vllum Concilium ex ijs primatum Petri deduxerit.

3. Ne igitur relicta antiqua Eccleſiæ interpretatione, nouam inducere conemur, dicendum eſt: Petrum inter Apoſtolos primatum habuiſſe, quia Matthæi 16. ei promiſſus, & Ioann. 25. ei collatus fuit. Quod vltimum, vt præcipuarum nationum teſtimonijs comprobemus, audiendus eſt ex Africa Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus, & Martyr glorioſiſſimus libro de vnitate Eccleſiæ: *Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam, & illi paſcendas mandat oues ſuas ..... Primatus Petro datur, vt Cathedra vna monſtretur*. Ex Aegypto Origenes in caput 6. epiſtolę ad Romanos: *Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſupra ipſum velut petram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitatis exigitur*. Ex Paleſtina Euſebius Cæſareenſis Epiſcopus lib. 3. demonſtrationis Euangelicæ. Ὁ πάντων αὐτῶν προκεκριμένος Ἀπόστολός τε καὶ μαθητὴς αὐτοῦ Πέτρος. *Qui omnibus ipſis* (nimirum Chriſti diſcipulis) *præpoſitus fuerat Apoſtolus illius, & Diſcipulus Petrus*: vel vt habet Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 11. Πέτρος ὁ προστάτης τῶν Ἀποστόλων *Petrus Princeps Apoſtolorum*. Ex Oriente Chryſoſtomus, qui ex presbytero Antiocheno factus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus homilia 87. in Ioannem ad illa verba: *Simon Ioannis diligis me plùs his? dicit ei : Etiam Domine tu ſcis, quia amo te. Dicit ei : Paſce agnos meos* : petit : *qui tandem alijs omiſſis, de his dumtaxat Pe-*

*trum affatur?* Et reſpondet: Ἔκκριτος. ἦν τῶν Ἀποστόλων καὶ στόμα τῶν μαθητῶν καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ. *Præcipuus erat Apoſtolorum, os Diſcipulorum, & Princeps ipſius cætus.* Vnde & homilia 55. in cap. 6. Matthæi ait de Petro: *Quòd fuerit Eccleſiæ Paſtor, & caput Piſcator homo.* Ex Illyrico Stephanus Lariſſæ in Theſſalia Metropolitanus, epiſtola ad Bonifacium II. vbi de Petro indicat, quòd totius Eccleſiæ Pater, & Doctor conſtitutus ſit à Chriſto Ioannis 21. dum ei dixit: *Paſce oues meas.* Ex Gallia Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis ſermone de natali Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Euſebio Emeſeno quondam tributo: *Priùs agnos, deinde oues ei commiſit: quia non ſolùm Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem eum conſtituit: paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oues; paſcit filios, paſcit & matres, regit & ſubditos, & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quia præter agnos, & oues in Eccleſia nihil eſt.* Ex Hiſpania Diuus Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis epiſtola ad Redemptum Archidiaconum: *Quod verò de parilitate agitur Apoſtolorum, Petrus præeminet cæteris, qui à Domino audire meruit: tu vocaberis Cephas: tu es Petrus &c. & non ab alio aliquo, ſed ab ipſo Dei, & Virginis filio honorem Pontificatus in Chriſti Eccleſia primus ſuſcepit. Cui etiam poſt reſurrectionem filij Dei ab eodem dictum eſt: Paſce agnos meos, agnorum nomine Eccleſiarum Prælatos notans, cuius dignitas poteſtatis, etſi ad omnes Catholicorum Epiſcopos eſt translata, ſpecialiùs tamen Romano Antiſtiti ſingulari quodam priuilegio velut capiti, cæteris membris celſior permanet in æternum.*

4. Quid hìc plura antiquorum teſtimonia adferam, cùm ex prædictis conſtet, omnium gentium, omnium nationum Patres Chriſti verba Ioannis 21. de ſuprema ouium cura Petro commiſſa intellexiſſe? ſufficiet itaque indicaſſe, quòd cum Diuo Cypriano in Africa, Origene in Aegypto, Euſebio in Paleſtina, Chryſoſtomo in Oriente, & Thracia, Stephano Lariſſęnſi in Gręcia, Eucherio in Gallia, Iſidoro in Hiſpania locum hunc ita interpretati ſint in Italia Romani Pontifices Petri ſucceſſores, qui primatum eius ex iiſdem Chriſti verbis deduxerunt. Sic enim Bonifacius Primus affirmat epiſtola inter Holſtenianas 7. *Petrus Paſtor Dominicarum ouium eſt perpetuò conſtitutus.* Et Leo Magnus ſermone 71. de Aſcenſione Domini: *In his per inſufflationem Domini infunditur Apoſtolis omnibus Spiritus Sanctus: & Beato Apoſtolo Petro ſupra cæteros poſt regni claues, ouilis Dominici cura mandatur.* Gelaſius in Tractatu, ſiue epiſtola 8. inter eas, quas in appendice Codicis Theo-

do-

doſiani edidit Sirmondus ad plura Scripturæ loca pro Petri primatu facientia, quorum vltimum allegat: *Si amas me, paſce oues meas*: petitque: *Quarè igitur ad Petrum tam frequens Domini ſermo dirigitur, num quidnam reliqui Sancti, & Beati Apoſtoli non erant ſimili virtute ſuccincti? quis hoc audeat affirmare? ſed vt capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio, & vna monſtraretur compago Corporis Chriſti, quæ ad vnum Caput glorioſiſſima dilectionis ſocietate concurreret*. Sic Vigilius epiſtola Encyclica ad vniuerſam Eccleſiam; *Deus noſter contra errorum feritatem paſtorale cælitùs armauit officium, quod Beatiſſimo Petro Apoſtolo trina præceptione commendans ait: Paſce oues meas: & rectè illi paſcendarum eſt cura commiſſa, cuius fidei præclara confeſſio Dei eſt ore laudata*. Cura autem illa non ſpecialis cuiuſdam regionis eſt, ſed totius Eccleſiæ, vt ſuprà ex Diuo Gregorio audiuimus: libro enim 4. Regeſti, epiſtola 75. ait: *Cunctis enim Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominica Sancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt: ipſi quippe dicitur: Petre amas me? Paſce oues meas*.

5. Hæc perſpicua, hæc manifeſta ſunt, quibus Diuus Baſilius, Sanctus Ambroſius, & Magnus Auguſtinus nullatenus contradicunt; teſtimonium enim Baſilij, quod à Marco Antonio de Dominis citatur ex conſtitutionibus monaſticis cap. 23. ita habet apud Baſilium: *Diſcipulos Chriſtus in hoc elegit, qui hoc vitæ inſtitutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eamdem ſecuturæ poſteritati. Nihil enim eſt aliud Antiſtes, qui modo diligenter munus exequatur, cui præpoſitus ſit, pietatem videlicet, quàm is, qui perſonam Chriſti ſuſtinet, & ſequeſter eſt inter Deum, & homines, eorum, qui in ipſius officio ſunt, ſalutem ſacrificans Deo. Atque hoc à Chriſto ipſo docemur, dum Petrum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem poſt ſe conſtituit: Petre enim, inquit, amas me plùs his? paſce oues meas: & omnibus deinceps Paſtoribus, ac Magiſtris eandem tribuit poteſtatem, cuius quidem rei ſignum eſt, quòd omnes ſimiliter, atque ille, & ligent, & ſoluant. Quemadmodum igitur Paſtori ſuo oues obtemperant, & viam quamcumque ille vult ingrediuntur: ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent &c.* Agit enim hoc loco Diuus Baſilius primùm de Petro, tum de cæteris Paſtoribus, ac Magiſtris. De Petro dicit, quòd Chriſtus eum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem poſt ſe conſtituit, dum eidem dixit: *Amas me plùs his? paſce oues meas*: quibus verbis totius Eccleſiæ curam Petro commiſſam fuiſſe ſignificat. De reliquis

quis deinceps Paſtoribus ait: eis quoquè poteſtatem paſcendi tributam, non quidem omnes totius Eccleſiæ fideles, ſed illos, quibus præpoſiti ſunt. Quod veriſſimum eſt, & nullatenùs repugnat ſupremæ Petri poteſtati, quam Diuus Baſilius ſæpiùs agnouit; ſignanter verò oratione 3. de peccato: *Diuus Petrus, qui alijs omnibus diſcipulis antepoſitus fuit, & qui teſtimonium maius, ac beatitudinem longè ampliorem cæteris omnibus adeptus erat, cui denique claues regni cælorum erant concreditæ.* Similia habet in procemio de iudicio Dei, & libro 2. aduersùs Eunomium: *Petrus quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ commiſſam ſibi ædificationem ſuſcepit.* Quibus locis Diuus Baſilius Petrum cum alijs diſcipulis, & Apoſtolis comparat, & cum alijs in regimine Eccleſię pręlatum fuiſſe perſpicuè docet.

6. Neque aliud quidquam voluit Diuus Ambroſius, ſi tamen auctor eſt libri de dignitate Sacerdotali, vbi cap. 2. monſtraturus à Laico obediendum eſſe Sacerdoti, aſſerit id præceptis imperatum eſſe Euangelicis: *Sic certè à Domino ad Beatum Petrum dicitur: Petre amas me? & ille tu ſcis Domine, quia amo te: & cùm tertiò fuiſſet interrogatus, & trina reſponſione fuiſſet ſubſecutus, repetitum eſt à Domino tertiò: Paſce oues meas. Quas oues, & quem gregem non ſolùm tunc Beatus ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes. Vnde regendæ Sacerdotibus cùm traduntur, meritò Rectoribus ſuis ſubdi dicuntur.* Nil enim aliud hoc loco vult Ambroſius, quàm Epiſcopos ſingulis gregibus ouiū tanquam Paſtores præpoſitos, & in partem ſollicitudinis vocatos eſſe, ac fideles ſuis Epiſcopis obedire debere: quod nemo fidelium negat, & ſalua ſuprema Petri poteſtate dici poteſt; de qua Diuus Ambroſius in caput primum ad Galatas: *Primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum.*

7. Reſtant nunc Diui Auguſtini loca, quibus ſignificat Petrum repręſentaſſe Eccleſiam, cùm claues regni cæleſtis, & præfecturam ouium accepit. Quæ loca poſt Marcum Antonium de Dominis in vnum congeſſerunt alij eius veſtigia inſecuti; inter quæ hunc præcipuum eſſe putant ex tractatu 47. in Ioannem: *Non ipſi Petro, ſed in corpore ſuo ait, Petre amas me? paſce oues meas.* Verùm qui adducunt hunc Auguſtini locum, eum priùs in fonte legere debebant, antequam allegarent: ſic enim habet D. Auguſtinus: *Ideò Petro, quem facere volebat Paſtorem bonum, non in ipſo Petro, ſed in corpore ſuo ait: Petre amas me? paſce oues meas. Hoc ſemel, hoc iterum, hoc tertiò vſque ad eius triſtitiam. Et cùm tantum interrogaſſet Dominus, quantum interrogandum eſſe iudi-*

*dicauit*, *vt ter confiteretur*, *qui ter negauerat* : *& ei paſcendas ſuas oues tertiò commendaſſet &c.* Vbi Diuus Auguſtinus non negat, Petro curam ouium conceſſam, ſed expreſsè affirmat, tertiò illi oues à Chriſto commiſſas fuiſſe. Hæc itaque verba, quæ hoc modo referuntur : *non ipſi Petro* : apud D. Auguſtinum ita leguntur : *non in ipſo Petro*; quibus ſolummodò indicat, Petro tanquam repręſentanti perſonam Eccleſiæ commiſſas fuiſſe oues Chriſti, quod ipſum D. Auguſtinus alibi paſſim docet, & ſaluo Petri primatu ab eodem explicatur tractatu 124. in Ioan. *Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum Eccleſiæ gerebat, figurata quadam generalitate, perſonam.* Et ſermone 13. de verbis Domini : *Petrus Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens*. Principatum namque illum nunquam in Sede Petri defeciſſe, ſed ſemper viguiſſe affirmat D. Auguſtinus, dum epiſtola 162. ſcribit : *In qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*. Mens igitur erat Diui Auguſtini, quòd Petrus principatum inter Apoſtolos obtinuerit.

DIS-

# DISSERTATIO TERTIA.

## *Quòd Primatus Petri ad eius in Cathedra Romana Succeſſores tranſmiſſus ſit.*

*1. Adſertur Caluini ſententia, qua negat Petri Primatum diuinitùs in Romana Sede ita collocatum fuiſſe, vt ad Epiſcopos in Sede illa Succeſſores permanaret, quæ eadem facilitate refellitur, qua proponitur.*

*2. Aliorum Nouatorum ſententiæ referuntur; quibus aſſerunt, vel Petrum nunquam Romæ fuiſſe, vel Paulum æquè ac Petrum Sedem Romanam inſtituiſſe; contra quos varijs capitibus hac Diſſertatione monſtrandum ſuſcipitur, Petri Primatum ad eius in Sede Romana Succeſſores deriuaſſe.*

EGIMVS ſuperiori Diſſertatione de Petri Primatu, eiuſque Priuilegijs, quæ ad Succeſſores tranſmitti debuiſſe oſtendimus. Hac Diſſertatione inquirendum eſt, quinam ſucceſſores illi cenſendi ſint, ad quos primatus Petri, eiuſque priuilegia tranſmiſſa fuerunt. Quamuis autem de hac re inter Catholicos conueniat, qui fide certum eſſe reputant, Petri Succeſſores eſſe Romanos Pontifices; communis tamen Nouatorum ſententia hanc veritatem impugnat, aſſerente Caluino in ijs libris, quos de inſtitutionibus inſcripſit, quod etiamſi largiatur, *Sic conſtitutum in Petro Eccleſiæ Primatum, vt perpetua ſucceſſione ſemper maneret, inde tamen non euinci, Sedem Romæ ita collocatam, vt quicumque ſit Vrbis illius Epiſcopus, orbi vniuerſo præſideat:* nam, inquit, *quo iure hanc loco dignitatem alligant, quæ ſine loci mentione data eſt? Petrus, inquiunt, Romæ vixit, & mortuus eſt: quid Chriſtus ipſe? nonne Hieroſolymis functus eſt Epiſcopatu, dum vixit, & moriendo Sacerdotij munus impleuit? Princeps Paſtorum, Summus Epiſcopus, Caput Eccleſiæ, non potuit honorem loco acquirere. Petrus longè ipſo inferior potuit? nonne ſunt ineptiæ*

*ptiæ iſtæ magis quàm pueriles?* ſic loquitur Caluinus, cuius argumentum eadem facilitate refutatur, qua proponitur. Si enim Chriſtus, qui omnem poteſtatem in cælo, & in terra obtinebat, Primatum Eccleſiæ non Iacobo Apoſtolo, & Primo Hieroſolymorum Epiſcopo, ſed Petro Apoſtolorum coryphæo, & futuro Primo Romanorum Epiſcopo contulit, vt ad eius in Cathedra ſucceſſores permanaret, iam Romana Cathedra à Chriſto per Petrum primatum obtinebit; neque, vt putem, priuilegium illud inter pueriles ineptias reputandum erit, quod Romani Pontifices iure Diuino accipiunt.

2. Sunt inter Hæreticos, qui vim ſolutionis percipiunt, & ideo telum, quod frangere nequeunt, aſtu declinare ſtudent, contendentes cum Luthero ſuo anteſignano, fabuloſum eſſe, quod Petrus vmquam Romæ fuerit; adeoque Cathedram Romanam ab ipſo inſtitutam non eſſe, & Romanos Epiſcopos ei nequaquam ſucceſſiſſe. Alij cum Marco Antonio de Dominis libro 4. de Republica Eccleſiaſtica capite 1. animaduertentes errorem illorum, qui negant Petri aduentum ad Vrbem, aliam viam ingrediuntur, negantque Romanam Eccleſiam à Petro primùm inſtitutam, eique non ſolùm Petrum, ſed etiam Paulum præſediſſe affirmant; & Romæ Cathedram illam, in qua Romani Epiſcopi ſe Petro ſuccedere dicunt, inſtitutam fuiſſe negant. Alij alijs commentis Petri Cathedram, & Sedis Apoſtolicæ primatum impetunt, ſed irrito planè conatu, non recordati quòd Eccleſia fundata ſit ſupra Petram firmiſſimam, aduersùs quam ſuperbæ inferorum portæ, & omnia Hæreticorum ſtudia non præualebunt. Licèt autem quod dicimus diuturna, & longiſſima temporum ſerie, ac ſeptemdecim ſæculorum euentu comprobatum ſit: ne tamen videamur difficultates velle effugere, hac Diſſertatione eas ordine refellemus; oſtenſuri ſequentibus capitibus, primò Petrum Romæ fuiſſe: ſecundò Romæ Epiſcopatum tenuiſſe, & Cathedram inſtituiſſe: tertiò Romanos Epiſcopos Petro in Sede Apoſtolica ſucceſſiſſe: quartò ſolos Romanos Pontifices ſupremam auctoritatem Apoſtolicam, ſeu primatum à Petro hæreditaſſe: demùm eis primatus priuilegia competere,

# CAPVT PRIMVM.

## *Quòd Beatus Petrus Romam venerit.*

*1. Proponitur Hæreticorum ſententia, qua Petrus neque ſub Claudio, neque ſub Nerone Romam veniſſe dicitur: & argumentum negatiuum ex Apoſtolorum Actibus deſumptum, auctoritate D. Hieronymi refellitur.*

*2. Ex Euangelio Ioannis, in quo mortis genus Petro prædicitur, Romanorum traditio, de Petri in Vrbe crucifixione confirmatur.*

*3. Item ex ipſo Petro Romam ſub Babylonis nomine commemorante in prima ad fideles epiſtola, vt ex Clemente Alexandrino, Papia Hierapolitano refert Euſebius.*

*4. Idem oſtenditur ex prædicatione Petri & Pauli Romæ habita, cuius meminit Lactantius, qui illam ad ſua tempora conſeruatam fuiſſe affirmat.*

*5. Demùm confirmatur hæc veritas ex ijs, quæ D. Ambroſius refert de Petri fuga ex Vrbe; & Christi occurſu; quæ Petrus ipſe ſignificare videtur epiſtola 2. ad finem vitæ ſcripta.*

*6. Satisfit obiectioni, quam nonnulli ex Clementis ad Corinthios epiſtola deſumunt; & monſtratur Clementem in ea ſupponere, quòd Petrus Romæ mortuus fuerit.*

*7. Licèt autem ex prædictis omnibus non manifeſtè pateret Petrum Romæ fuiſſe; id tamen conuincerent clariſſima Virorum Apoſtolicorum teſtimonia, Ignatij Martyris D. Irenæi, & Papiæ Hierapolitani.*

*8. Idem clarè conſtaret ex Caij, & Tertulliani ſcriptis.*

*9. Denique ex teſtimonijs Euſebij, Origenis, Petri Alexandrini, Diui Athanaſij, Epiphanij, & ſequentium Patrum, quorum conſenſus tantum valuit apud Caluinum, & Marcum de Dominis, vt hanc veritatem negari non poſſe confeſſi ſint.*

1. QVamquàm de Petri ad Vrbem aduentu ex veterum ſcriptis tam certò conſtet, vt ipſi Centuriatores Magdeburgenſes Centuria 1. lib. 2. cap. 7. fateantur, cum in fine vitæ Romam veniſſe; non defuêre tamen, qui Petri ad Vrbem aduentum negare auſi ſint: quodque impudentius eſt, libros ea de re ediderunt, vt conſtat ex tractatu Vlrichi Veleni, cui titulus: *Quòd Petrus Apoſtolus nunquam Romæ fuerit*. Quem tractatum Melchior Goldaſtus tomo 3. Monarchiæ edidit. Porrò cum Vlricho ſentit Balæus in actis Romanorum Pontificum anno 59. ſuperioris ſæculi editis, cuius in primis argumenta refutanda ſunt, quæ ex Scriptura deſumpſit. Primum enim quod ex actibus Apoſtolorum accepit, in quibus refertur, quòd Petrus in Iudæa prædicauerit, & multa miracula in ciuitatibus eius maritimis, Ioppe, Cæſarea, alijſque operatus ſit: nihil Petri in vrbe aduentui officit. Licèt enim ex ijs conſtet, Petrum in Iudæa verſatum fuiſſe, & miracula effeciſſe, non tamen probatur, cum in Iudæa obijſſe; quod Diuum Hieronymum aſſeruiſſe non reperimus, licèt illud eidem Eccleſiæ Doctori falsò ab Auctore illo affingatur. Porrò Sanctum Lucam quod attinet, non tradidit ille Petrum Romæ obijſſe, quia Apoſtolorum acta ad tempus mortis

Pe-

Petri nequaquam perduxit; & cùm indiuiduus Pauli comes extiterit, eius itinera, & acta potiſſimùm deſcripſit; omniaque ferè cæterorum Apoſtolorum geſta omiſit; quod D. Hieronymus libro 1. commentariorum in epiſtolam ad Galatas de Petri actis affirmat: *Multa*, inquit, *quæ Paulus ſe ſuſtinuiſſe replicat, Hiſtoriographi licentia Lucas prætermiſit; neque ſtatim contrarium eſt, ſi quod alius ob cauſam dignum putauit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde tranſlatum, quod Lucas penitus omiſit.* Hæc ibi Hieronymus de Lucæ hiſtoria Apoſtolica, in qua iuxta eundem Hieronymum omitti potuiſſet Petri martyrium Romæ peractum, etiamſi S. Lucas ad tempora eiuſdem martyrij hiſtoriam ſuam perduxiſſet, nunc autem cùm non perduxerit, de eo nequaquam agere potuit.

2. Quamuis autem in actibus Apoſtolorum non egerit Sanctus Lucas de Petri ad vrbem aduentu, eiuſdemque martyrio ibidem peracto, non obſcurè tamen ex Euangelio colliguntur, quæ de martyrio Petri à Romanis referuntur. Ioannis namque vltimo capite dixit Chriſtus ad Petrum: *Amen, amen dico tibi, cùm ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis*, & adiungit S. Ioannes, Chriſtum ijs verbis ſignificaſſe, *quo mortis genere clarificaturus eſſet Deum*. Ac ſi dixiſſet, Petri mortem in cruce adeò conſpicuam eſſe debuiſſe, vt Dei nomen per illam celebraretur in mundo; prout in hunc vſque diem celebratur Romæ, quæ ſola ex omnibus totius orbis ciuitatibus ſe Petri Apoſtoli martyrio nobilitatam fuiſſe gloriatur. Quis autem credet (vt cum Pearſonio Scriptore Anglo loquar) tantum Apoſtolum tam obſcurè mori potuiſſe, vt ſi Romæ martyrium non ſubijſſet Petrus, nemo vnquam loci illius, vbi mortuus eſt, meminiſſet? Quis credet, cùm aliæ regiones ſuum Apoſtolum vindicent, quòd nulla vrbs, nulla regio, nulla Eccleſia dixerit, ſe cruore Petri nobilitatam eſſe? cùmque Chriſtus ipſe dixerit: *Amen, amen dico tibi cùm ſenueris, extendes manus tuas*: & diu poſt mortem Petri ſcripſerit S. Ioannes Apoſtolus, Chriſtum ijs verbis ſignificaſſe, quo genere mortis, nimirum crucis, glorificaturus eſſet Deum; quis vnquam putabit Chriſtianorum neminem, quo genere mortis paſſus ſit, nouiſſe, omneſque potiùs quomodo Deum glorificauit ignoraſſe? hæc fermè homo à vera religione alienus, cuius obſeruationibus quid rectè reſpondeatur, haud omnino videre poſſum.

3. Porrò poſt Ioannem, ipſum quoquè Petrum audire neceſſe

eſt, qui epiſtola 1. capite 5. ita ſcribit ad fideles diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſię, & Bithyniæ: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus*. Vt enim D. Hieronymus libro de Scriptoribus adnotat: *Petrus in epiſtola prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificat*. Et ante Hieronymum Euſebius libro 2. Hiſtoriæ, cap. 15. vbi citat Clementem Alexandrinum, & Papiam Hierapolitanum Epiſcopum aſſerentes, Marcum Romæ ſcripſiſſe ſuum Euangelium, iuxta ea, quæ à Petro ibidem docente audierat: *Refertur id*, inquit Euſebius, *à Clemente in ſexto inſtitutionum libro, cui teſtis etiam accedit Papias Hierapolitanus Epiſcopus. Porrò Marci mentionem fieri aiunt à Petro in priore epiſtola, quam Romæ ſcriptam eſſe contendunt, idque Petrum ipſum innuere, qui Romam figuratè Babylonem appellat his verbis: ſalutat vos Babylonis Eccleſia, à Deo perinde ac vos electa, & Marcus filius meus*. Cùm igitur Clemens Alexandrinus, qui Apoſtolorum diſcipulos audiuit, & eos per ætatem videre potuit, qui Marcum Euangeliſtam Alexandriæ, & in Aegypto prædicantem audierunt, & Papias Hierapolitanus Epiſcopus, qui Apoſtolos ipſos magiſtros habuit, teſtentur, quòd Marcus Romæ ſub Petro ibidem verſante, & prędicante Euangelium ſuum ſcripſerit, quis ſanæ mentis dubitare poterit, num Petrus Romæ fuerit? vbi & epiſtolam ſuam ſcripſit, & Eccleſiam iam inſtitutam fuiſſe aſſerit? Ex his ſanè refutantur quàm facillimè Salmaſius & Pearſonius, quorum alter per Babylonem Aſſyriæ Metropolim, alter Aegypti ciuitatem eiuſdem nominis intelligunt, idque abſque vllo Veterum teſtimonio, aut antiquitatis monimento, ex quo eorum ſententia confirmari poſſit.

4. Quæ de Petri ad vrbem aduentu, ex Petri litteris oſtendimus, nunc teſtimonijs Petri, & Pauli comprobanda ſunt: fuerunt enim tribus primis Eccleſiæ ſæculis aſſeruati apud fideles ſermones, quos hi duo Apoſtolorum Principes de euerſione Hieroſolymæ Romæ habuerunt. Quod ne videar abſque teſtimonio fide digno referre audiendus eſt Lactantius Criſpi Conſtantini Magni filij Magiſter, & Scriptor apud omnes longè celeberrimus: hic enim libro 4. cap. 21. agens de Euangelicę prędicationis exordijs dicit, Apoſtolos per Prouincias fuiſſe diſperſos, & Chriſtum per eos incredibilia miracula effeciſſe: *Sed & futura*, inquit, *aperuit illis omnia, quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicauerunt; & ea prædicatio in memoriam ſcripta permanſit, in qua, cùm multa alia mira, tum etiam hoc futurum eſſe dixerunt, vt poſt breue tempus immitteret Deus Re-*

gem,

*gem, qui expugnaret Iudæos, & ciuitates eorum ſolo adæquaret, ipſos autem fame, ſitique conſectos obſideret: tum fore, vt corporibus ſuorum veſcerentur, & conſumerent ſe inuicem.* Et poſt multa alia: *Itaque poſt illorum obitum, cum eos Nero interemiſſet, Iudæorum nomen, & gentem Veſpaſianus extinxit, fecitque omnia, quæ illi futura prædixerant.* Hæc Lactantius; qui dum ex Petri, & Pauli prædicatione Romæ habita, quam à Romanis ad futuram memoriam ſcripto exceptam fuiſſe indicat, & ad ſua vſque tempora permanſiſſe affirmat, teſtimonium luculenlentiſſimum de Petri ad vrbem aduentu perhibet, non de opere aliquo ſuppoſititio, vt Pearſonius conijcit, ſed de vero Petri & Pauli ſermone, qui nunc interijt, aut latet, locutus fuiſſe videtur.

5. Aequè perſpicuum eſt, quod Romani de Petri fuga tradunt; cuius, cùm ei Chriſtus apparuiſſet, & de reditu ad Vrbem admonuiſſet, etiamnum ſacra monumenta ſuperſunt, & in via Appia omnium oculis conſpiciuntur. Non referam pro huius rei veritate Boſium fide dignum ſcriptorem, ſed recentiorem, qui in Roma ſubterranea libro 3. capite 22. hiſtoriam enarrat: non adducam Baronium Auctorem grauiſſimum, qui tomo 1. Annalium ad ann. 69. eam exhibet: non citabo Rupertum Abbatem, qui libro 8. c. 5. de proceſſ. Spiritus Sancti hanc hiſtoriam ſuis temporibus pro vera habitam fuiſſe ſignificat: non adferam Luitprandum, alioſque medij æui ſcriptores; quin & ipſum Gregorium Magnum præteribo, qui in pſalmo 4. ea de re agit. Scriptorem antiquiſſimum producam Ambroſium Præfecti Italię filium, Magni Auguſtini Magiſtrum, Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtitem, & totius Eccleſiæ Doctorem, qui epiſtola ad Auxentium de Baſilicis non tradendis ſcribit, quod Petrus à fidelibus rogatus, vt ad tempus cederet, *nocte*, inquit, *muro egredi cæpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, vrbemque ingredi, ait: Domine quò venis? reſpondit Chriſtus: venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum.* Et infrà: *Itaque ſponte remeauit interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimque correptus per crucem ſuam honorauit Dominum IESVM.* Atque cum hæc Ambroſius enarret, quid hic opponent Hæretici, quo fuco, qua ratione, quo fundamento authoritatem eius euertent? forſan dicent eum hiſtoriam ex Egeſippi recentioris hiſtorijs, aut Lini paſſione deſumpſiſſe, ſed præterquàm quòd Ambroſius nullam Lini, vel Egeſippi illius mentionem faciat, fontes caſtigatiores adiiſſe Ambroſium, & ex ijs ſua acta deſcripſiſſe, omnino exiſtimandum eſt. Quid igitur Hære-

re-

retici reſpondebunt? fortè argumento ex Scriptura ſacra deducto, quia in illa nulla huius hiſtoriæ mentio reperitur, quod eſt argumentum negatiuum, & cum in alijs rebus nihil probare ſoleat, hac in re nihil probare poteſt, etiam ſi ſubſiſteret? Sed age Scripturam conſulamus, & Petrum in ea loquentem audiamus, epiſtola namque ſecunda, quam morti proximus ad omnes fideles conſcripſit: *Certus*, inquit, *ſum, quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod & Dominus noſter IESVS Chriſtus ſignificauit mihi*. Hunc locum conferamus cum ijs, quæ de Petro, & Chriſto ſupra narrauit Ambroſius, & facilè intelligemus, Petrum de eadem illa Chriſti reuelatione locutum fuiſſe, eamque Petrum teſtimonio ſuo comprobatam Poſterorum memoriæ conſecraſſe.

6. Sed inquiunt nonnulli Hæretici, ſi Petrus Romæ fuiſſet, Clemens Romanus, qui cum Romæ videre debuiſſet, in epiſtola nomine Romanæ Eccleſiæ ad Corinthios ſcripta, mentionem huius rei feciſſet in illo loco, vbi de Petri laboribus, & martyrio agit; ſicut ibidem Pauli in Occidentem aduentum commemorat, ſcribit namque: *Sed vt vetera exempla relinquamus, veniamus ad nuperos Athletas, & ſæculi noſtri generoſa exempla proponamus. Propter æmulationem, & inuidiam, qui fideles, & iuſtiſſimæ Eccleſiæ columnæ erant ad mortem vſque acerbam, perſecutionem paſſi ſunt: ponamus nobis ante oculos Sanctos Apoſtolos: propter æmulationem iniquam Petrus, non vnum, aut alterum, ſed plures labores ſuſtulit, atque ita martyrium paſſus in debitum gloriæ locum diſceſſit: Paulus propter æmulationem in vincula ſepiùs coniectus, verberibus cæſus, lapidatus patientiæ præmium reportauit, & in Oriente, ac Occidente verbi præco factus, illuſtrem fidei ſuæ famam ſortitus eſt, in iuſtitia mundum vniuerſum inſtruens, & ad Occidentis terminos veniens, & ſub Imperatoribus martyrium ſubiens; ſic è mundo migrauit, & in locum Sanctum abijt, patientiæ ſummum exemplar factus*. Hactenus Clemens, cuius verba, dum nobis Hæretici obijciunt, nihil planè contra Petri ad Vrbem aduentum efficiunt. Non ſolius Petri, ſed & Pauli ad Vrbem aduentum tacet Clemens, inde tamen non ſequitur, Paulum nunquam Romæ fuiſſe? Sanè cum Lucas in actis Apoſtolorum Pauli ad vrbem aduentum commemorat, de eo nemo ambigere poteſt, licèt Clemens illum enarrare omittat. Idem dicendum de Petro, de cuius martyrio Romæ peracto adeò celebris, & recens erat per totum terrarum Orbem memoria, vt ſuperuacaneum exiſtimauerit Clemens de ea agere in epiſtola ad Corinthios,

in

in qua illud manifeſtè ſupponit, vt ex verbis poſt ſupradicta immediatè ſequentibus conſtat: adiungit enim: *Viris iſtis Sanctis vitam inſtituentibus magna Electorum multitudo aggregata eſt, qui ſupplicia multa, & tormenta propter æmulationem paſſi exemplar optimum inter nos extiterunt*. Cùm namque Clemens hanc epiſtolam nomine Romanæ Eccleſiæ ſcripſerit, hæc verba ἐν ὑμῖν; quæ interpres vertit *inter nos*, intelligenda ſunt de Romanis: cùm autem Clemens dicat, *Viris iſtis Petro, & Paulo ſanctè vitam inſtituentibus*, magnam Electorum multitudinem aggregatam fuiſſe, ex qua inter Romanos multi paſſi ſunt, quis non videt, eum clariſſimè ſupponere, quòd Romæ Apoſtolorum Principes prædicarint, & magnam fidelium multitudinem Eccleſiæ aggregarint, qui traditionis Apoſtolicæ memores conſtantiæ ſuę optimum exemplar reliquerunt.

7. Probauimus hactenus ex Scripturis, Apoſtolorum operibus, ac Clementis Romani epiſtola, S. Petrum Romæ fuiſſe, & licèt hæc ſolidiori fundamento nitantur, quàm quòd facilè conuelli poſſint ad alia inſuper clara, & perſpicua antiquorum teſtimonia accedamus. Extat in primis in antiquiſſimis M. SS. Codicibus germana Diui Ignatij epiſtola, quam ad Romanos ſcripſit, quamque nuper ex M. S. Codice græco Bibliothecæ Colbertinæ in appendice ad acta primorum martyrum edidit Theodoricus Ruinaert, vbi diſertè ſcribit: Οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν, quæ ita leguntur in antiqua verſione à D. Hieronymo, alijſque Patribus probata, & per Vſſerium Armachanum edita; *Non vt Petrus, & Paulus præcipio vobis*. Quibus verbis docet, Petrum, & Paulum Romanis prædicaſſe Euangelium, illiſque ea, quæ ad vitam rectè inſtituendam faciunt, præcepiſſe: dicit autem Ignatius ſe non vt Apoſtolos illos Romanis præcipere, ſed vt vinctum in Chriſto rogare, ne paſſionem ſuam impedirent; quarè ſubdit: *Illi Apoſtoli, ego condemnatus: illi liberi; ego vſque nunc ſeruus. Sed ſi patiar, manumiſſus fiam IESV Chriſti, vt reſurgam liber &c.* Hæc Ignatius, Petri & Pauli Diſcipulus, qui cùm tempore Petri conſtitutus eſſet Antiochenus Epiſcopus, à Traiano Imperatore condemnatus ad beſtias, cùm à militibus Romam duceretur Smyrna, epiſtolam ad Romanos ſcripſit XI. Kal. Septemb. & in vrbe paſſus eſt xiij. Kalendas Ianuarij Sura, & Senecione II. Coſſ. ideſt anno Traiani 10. vulgari Chriſti 107. vt in actis germanis, quæ ab oculato teſte conſcripta ſunt, notatum reperitur. Huic autem Ignatij martyris teſtimonio aliud Apoſtolici viri teſtimonium adiungimus, Papiæ nimirùm Epiſcopi Hieropolitani, de quo D. Irenæus teſtatur, quòd

quòd fuerit *Ioannis auditor*; *Polycarpi autem contubernalis*, *qui vetus* homo in prooemio librorum ſuorum teſtatur; ſe ſolitum fuiſſe ex Apoſtolorum Diſcipulis diligenter quærere, *quid Andreas*, *quid Petrus dixerit*. adeòque ignorare non potuit, quid Petrus egerit, & vbi Euangelium prædicarit: hic, inquam, antiquus ſcriptor, qui poſt Ignatium ſuperſtes manſit, apud Euſebium libro 2. cap. 15. teſtatur; Petrum Romæ prædicaſſe; Marcum Euangelium ſuum ibidem ſcripſiſſe, iuxta ea, quæ à Petro acceperat, illud à Petro in vrbe probatum fuiſſe. Papiæ accedat Irenæus Polycarpi in Aſia diſcipulus, & poſteà Pothini Lugdunenſis Epiſcopi presbyter, ac in Sede ſucceſſor, qui libro 3. cap. 3. clariſſimis verbis meminit *maximæ*, *& antiquiſſimæ*, *& omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro*, *& Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ*: Quid manifeſtius, quid apertius dici poteſt? Hæc Irenæus, quem Diuus Hieronymus Virum Apoſtolicorum temporum vocat, & qui nequaquam ignorare potuit, vbi Petrus prædicarit, cùm in Aſia educatus Viros Apoſtolicos Magiſtros habuerit, & in Europa ad ſacros ordines promotus fuerit à Pothino, qui nonagenario maior, vt martyres Viennenſes, & Lugdunenſes in epiſtola ad Eccleſias Aſiæ teſtantur, martyr occubuit, adeòque cum illis conuerſatus fuit, qui Apoſtolos per ætatem videre potuerunt.

8. Neque ignorare potuit Irenæus, quæ de Petro tunc toto terrarum orbe nota erant, quæque Romana Eccleſia de accepta à Petro fidei traditione prædicabat; cum ipſe à martyribus Lugdunenſibus ſub Eleutherio Papa, ſecundo æræ Chriſtianæ ſæculo, Romam miſſus fuerit, ibidemque proprijs oculis conſpicere potuit monumenta illa Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum mentionem facit Caius Vir Catholicus, qui ſub Zephirino Papa Dialogum cum Proclo Cataphryge Romæ habuit, eumque his verbis compellat: *Ego verò Apoſtolorum trophæa poſſum oſtendere*: *nam ſiue in Vaticanum*, *ſiue ad Oſtienſem viam pergere libet*, *occurrent tibi trophæa eorum*, *qui Eccleſiam illam fundauerunt*. Refert hæc Caij verba Euſebius libro 2. cap. 24. verſionis Chryſtophorſoni, qui ibidem adiungit, ad ſua vſque tempora antiquiores Romanorum inſcriptiones in cæmeterijs extitiſſe, quibus ſignificabatur Paulum ſub Nerone in via Oſtienſi gladio percuſſum, Petrum in Vaticano cruci ſuffixum pro fide Chriſti glorioſos martyres occubuiſſe: *Quin etiam*, inquit Euſebius, *inſignis*, *ac teſtata Petri & Pauli inſcriptio*, *quæ in Cœmeterijs Romæ ad hoc vſque tempus manet*, *huius rei geſtæ fidem facit*. Tradebat igitur

igitur à primis Chriſti ſæculis Romana Eccleſia, Petrum & Paulum apud Vrbem ſub Nerone occubuiſſe, idque erectis in memoriam eorum monimentis, & inſcriptionibus prædicabant illi; quorum fides per mundum vniverſum annuntiabatur, quorum charitas ab omnibus laudabatur, quorum innocentia, & veracitas vbique terrarum nota erat; & quorum Eccleſiam iiſdem temporibus, quibus Caius Romæ ſcribebat, Tertullianus in Africa felicem prædicabat: *Iſta*, inquit libro de præſcript. cap. 36. *Quam felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſuo ſanguine profuderunt, vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur.*

9. His Antiquiſſimorum Scriptorum teſtimonijs accedit Dionyſius celeberrimus ille Corinthiorum Epiſcopus, qui de Petro, & Paulo ſcribit apud Euſebium libro 2. cap. 25. *Porrò ambos vno, eodemque tempore martyrium ſubijſſe Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus ad Romanos ſcribens, teſtatur his verbis: Ita & vos, inquit, tanta admonitione veſtra ſementem, quæ Petri, ac Pauli ſtatione ſuccreuerat, Romanos ſcilicet, & Corinthios ſimul commiſcuiſtis: ambo enim illi in vrbem noſtram Corinthum ingreſſi, ſparſo Euangelicæ doctrinæ ſemine nos inſtituerunt, & in Italiam ſimul profecti, cum vos ſimiliter inſtituiſſent, eodem tempore martyrium pertulerunt.* Poſt Dionyſium Origenes libro 3. explanat in Geneſim, vbi ait de Petro: *Circa vitæ finem Romæ conſtitutus capite demiſſo cruci eſt affixus.* Poſt Origenem Petrus Alexandrinus apud Photium in Nomocanone: *Petrus poſtremò Romæ affixus eſt cruci.* Accedit & magnus Athanaſius, qui Concilio Niceno interfuit, & cum trecentis illis octodecim Patribus, qui ex toto terrarum orbe conuenerant, locutus fuit: in libro namque de fuga ſua palam profeſſus eſt Petrum cum Paulo Romæ fuiſſe: *Petrus, & Paulus,* inquit, *cùm audijſſent oportere ſe Romæ martyrium ſubire, non abiecerunt eam profectionem, ſed potiùs cum gaudio abierunt.* D. Epiphanius Salaminenſis, in Cypro Epiſcopus, libro de hæreſibus diſputans contra Carpocraſios, diſertè affirmat: in vrbe Roma *primos fuiſſe Petrum, & Paulum Apoſtolos.* Quod idem tot locis affirmant D. Hieronymus patria Stridonienſis, S. Ambroſius in Italia natus, Chryſoſtomus ex presbytero Antiocheno Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Oroſius ſcriptor Hiſpanus, Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, alijque innumeri omnium gentium, omnium nationum ſcriptores; vt contra totius orbis traditionem, & iudicium pugnare videantur; qui Petrum nunquam Romæ fuiſſe autumant. Vnde Caluinus ipſe libro quarto inſtitutionum ca-

pite 6. *Propter ſcriptorum conſenſum non pugno, quin illic* (Romæ) *mortuus fuerit Petrus*. Et de Dominis in illo opere, quod de Republica Eccleſiaſtica inſcri- „ pſit lib. 4. cap. 1. num. 2. Pe- „ trum, inquit, Romæ marty- „ rio coronatum fuiſſe, malo „ aſſentiri, quàm reluctari: „ quamuis hac de re plenam hi- „ ſtoricam fidem nondum ſim „ aſſecutus; ob plurimorum ta- „ men Sanctorum Patrum con- „ ſenſum arbitror id poſſe à quo- „ uis facilè concedi, & credi: „ neque videtur operæ pretium „ in hoc contentioſum funem „ trahere: quamuis enim ſuas „ hoc habeat hiſtoricas difficulta- „ tes, non tamen tanti momen- „ ti mihi videntur, vt pruden- „ ter poſſit quis iam obniti, & „ contradicere. Hæc auctor ille à religione noſtra profugus, qui cùm Petri ad vrbem aduentum tam manifeſto Sanctorum Patrum conſenſu roboratam fateatur, vt iam neminem prudenter ei obniti, & contradicere poſſe affirmet: non eſt quòd nos in re certa, & luce meridiana clariore argumentis, teſtimonijſque comprobanda tempus inutiliter teramus. Quarè ad ſecundum caput procedamus, quo inſtitutionem Romanæ Cathedræ, & Epiſcopatum in ea Petri diſcutiemus.

# CAPVT SECVNDVM.

## *Quòd Petrus Romæ Cathedram ſuam inſtituerit, ibidemque Epiſcopatum geſſerit.*

*1. Petrum non fuiſſe Romanum Epiſcopum contendit Lutherus: eum ſediſſe 25. annis, negauit Caluinus: eiuſdem vrbis Epiſcopatum alio modo impugnat de Dominis.*

*2. Petrum propriè Romanæ vrbis Epiſcopum fuiſſe, ex ipſius Apoſtoli verbis oſtenditur, & Cypriani teſtimonio confirmatur.*

*3. Idem comprobatur manifeſtis Euſebij, & S. Optati Mileuitani teſtimonijs.*

*4. Conciuunt D. Ambroſius, S. Hieronymus, Sulpitius Seuerus, D. Auguſtinus, Petrus Chryſologus, Leo Magnus, & D. Proſper.*

*5. Idem conſtat ex perpetua Romanæ Eccleſiæ traditione, quæ Petrum 25. annis Romæ ſediſſe perhibet in Catalogis omnibus, tam manuſcriptis, quàm editis.*

*6. Idem de 25. annorum Pontificatu tradunt D. Hieronymus, S. Proſper, Caſſiodorus, Iſidorus Hiſpalenſis, Venerabilis Beda, Anaſtaſius Bibliothecarius, D. Petrus Damiani, & alij.*

*7. Probatur quoquè ex feſto Cathedræ Petri Romæ, cuius meminerunt Concilium Turonenſe II. Martyrologia antiquiſſima, Lectionaria, Sacramentaria, Hymnaria, & Breuiaria, ex quibus Paulus IV. feſtum illud temporum ſucceſſu intermiſſum reſtituit.*

1. QVid de Romano Petri Epiſcopatu ſentiant hæretici, ex Lutheri colloquijs ad menſam habitis, capite de AntiChriſto, facilè quiſq; percipiet, cùm diſertè ibidem affirmet: *Omnes hiſtoriæ teſtantur, Petrum primum Romæ fuiſſe Epiſcopum, ſed*

*ſed meræ ſunt fabulæ*. Mitiùs loquitur Caluinus; non enim audet fabulis accenſere veritatem omnium veterum, & totius mundi ſcriptorum conſenſu receptam, ſed tempus, quo Romæ ſediſſe fertur, impugnare aggreditur libro 4. inſtitutionum cap. 6. num. 14. vbi ſcribit: *Quamquàm, quod de Seſſione Petri in Romana Eccleſia referunt, non video, quid fidei habere debeat: certè quod eſt apud Euſebium præfuiſſe illic 25. annos, nullo negotio refellitur.* Et poſtquam pluribus ex Scriptura monſtrare ſtuduit, Petrum in Iudæa longiſſimo tempore manſiſſe, tandem concludit: *Propter Scriptorum conſenſum, non pugno, quin illic* (Romæ nimirum) *mortuus fuerit: ſed Epiſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore, perſuaderi nequit.* Demum mitiùs adhuc loquitur Marcus Antonius de Dominis, qui cùm libro 4. de Republica cap. 1. adduxiſſet complura Veterum Patrum, & Scriptorum teſtimonia, quibus Petrum Romanum Epiſcopum fuiſſe conſtat, non quidem Petri Epiſcopatum, ſed modum, quo Romæ Epiſcopatum geſſit, impugnare ſtudet: *His omnibus*, inquit num. 8. *adbuc ſtantibus, & nil obſtantibus, illud eſt firmiter aſſerendum, Petrum ita fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, vt tamen nulla alia peculiari ratione in ea vrbe Epiſcopatum tenuerit, niſi ratione ſui Apoſtolatus. Docui enim libro 1. & Petrum, & vnumquemque aliorum Apoſtolorum ex vi Apoſtolatus fuiſſe Epiſcopum in habitu totius orbis; in actu verò & Petrum, & Apoſtolorum quemlibet fuiſſe Epiſcopum iſtius tantũ loci fidelium, in quo quiſq; eorum actu Apoſtolicũ munus exercuerit.* Hæc ibi M. A. de Dominis, cuius ſententia facili negotio refellitur; cùm ex hac ſequeretur Paulum in centenis locis, vbi prædicauit, Eccleſiaſq; inſtituit, fuiſſe Epiſcopũ; idemque de alijs Apoſtolis dici deberet, qui per prouincias Romani Imperij diſperſi millenas Eccleſias conſtituerunt, quarum tamen omnium nemo vnquam ſomniauit Apoſtolos Epiſcopatum eo modo geſſiſſe, quo Iacobus Hieroſolymorum Epiſcopatũ geſſit, ex quo Petrũ Romanę Eccleſię Epiſcopatum geſſiſſe hoc capite monſtrabimus.

2. Ne autem rem actam agere videamur, non neceſſe eſt noua teſtimonia, aut argumenta pro huius veritatis comprobatione adducere; ſed ſufficiet illa ipſa, quæ de Dominis collegit memoria repetere; tot enim, tantaque ſunt, vt neminem etiam Hæreticorum reperiri exiſtimem, quin ijs facile conſentiat. Vt autem ex Scriptura initium ducam, audiendus eſt in primis Petrus ipſe, qui epiſtola 1. quam Romæ ab eo ſcriptam fuiſſe ſuprà oſtendimus, ita teſte Antonio de Dominis, *Epiſcopos compellat* cap. 5. *Presbyteros, ego Compresbyter obſecro, paſcite, qui in vobis eſt, gregem*

*Dei*. Aſſentior enim Spalatenſi Exarchiepiſcopo, Petrum hoc loco presbyterorum nomine, Epiſcopos intelligere, ſicut & Paulus in epiſtolis ſuis frequenter intellexit; adeoque dum ſe Compresbyterum vocat, Coepiſcopum indicare, vrbis nimirum Romanæ, ex qua epiſtolam ſcribebat. Confirmat hanc noſtram interpretationem perantiquus Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & martyr Cyprianus, qui ſub Cornelio, & Stephano tempore perſecutionum in Africa floruit, & epiſtola 55. ad Antonianum ita de Cornelio loquitur: *Factus eſt Cornelius Epiſcopus, cùm Fabiani locus, ideſt cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret*. Duo enim hoc loco affirmat Cyprianus: primum Epiſcopalem Sedem Romanam eſſe locum Petri: ſecundum hunc locum etiam dici gradum Cathedræ Sacerdotalis, prout Sacerdotis nomen cum Epiſcopi nomine confunditur.

3. Manifeſto teſtimonio veritatem hanc comprobat Euſebius Cæſareenſis in Paleſtina Metropolitanus, dum in Chronico affirmat, Petrum Romanum Epiſcopum fuiſſe: *Petrus*, inquiens, *natione Galilæus Chriſtianorum Pontifex Primus, cùm primùm Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, vbi Euangelium prædicans 25. annis eiuſdem vrbis Epiſcopus perſeuerat*. Vbi notanda ſunt Euſebij verba, quibus clarè teſtatur, Petrum Chriſtianorum Pontificem, etiam Romanæ vrbis Epiſcopum fuiſſe, quod Euſebius, qui tertio ſæculo natus, & quarto cum omnibus totius mundi Epiſcopis Niceæ Concilij tempore conuerſatus fuit, ex communi Vrbis traditione, & antiquorum Scriptorum, ac Eccleſiarum monimentis acceperat. Tam certò enim apud omnes quarto ſæculo conſtabat de hac veritate, vt S. Optatus Mileuitanus libro 2. Parmenianum Donatiſtarum Principem ſic compellet: *Igitur negare non potes ſcire te in vrbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus: negare non potes*; inquit ad Parmenianum S. Optatus, quia quod omnibus patebat, à Parmeniano emunctæ naris viro, & varia eruditione referto ignorari non poterat, Petrum fuiſſe Primum in Cathedra Romana Epiſcopum, vnde & Parmeniano obiecerat ibidem Sanctus Optatus: *Ignorantia tibi adſcribi non poteſt: reſtat ergo, vt noueris*.

4. Poſt Optatum conuenit Mediolanenſem Epiſcopum Ambroſium audire, quem Spalatenſis citat ex libro 3. de Sacramentis cap. 1. vbi legitur: *Vtique ipſe author eſt nobis huius aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui Sacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ*. Hæc ibi Sacerdotis nomine Epiſcopum intelligens, idque modo lo-

loquendi apud Veteres vſitato, vt ſuprà breuiter indicauimus. Et Diuus Hieronymus alter Eccleſię Doctor ſuo teſtimonio comprobat, dum libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Petro affirmat: *Petrum 25. annis Romæ Sacerdotalem Cathedram tenuiſſe*. Nullus enim ambigendi locus relictus eſſe videtur, quin D. Hieronymus per ſacerdotalem cathedram hoc loco ſedem Epiſcopalem, & Pontificiam intelligat; vnde poſt Hieronymum maximum Eccleſiæ Doctorem Sulpitius libro 2. Sacræ hiſtoriæ tradit, quòd apud Vrbem Diuina Religio inualuerit, *Petro Epiſcopatum gerente*. Et poſt Sulpitium Diuus Auguſtinus, qui pleriſque in locis affirmat, Sedem Romanam eſſe Sedem Petri, vt libro 2. contra litteras Petiliani cap. 21. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit?* Poſt Auguſtinum Diuus Petrus Chryſologus, qui in epiſtola ad Eutychem, Romanam Cathedram *Petri propriam Sedem* vocat. Et Leo Magnus ſermone 1. in anniuerſario ſuæ aſſumptionis die, vbi laudat *ordinatiſſimam totius Eccleſiæ charitatem, quæ in Petri ſede Petrum ſuſcipit*. Et ſermone 4. de eadem feſtiuitate ait, ad eam ſpectare non ſolùm *Apoſtolicam*, ſed etiam *Epiſcopalem Beatiſſimi dignitatem Petri, qui Sedi ſuæ* (Romanæ) *præeſſe non deſinit*. Vnde ſermone 80. in natali Apoſtolorum Romam, *per ſacram beati Petri Sedem caput mundi effectam* eſſe prædicat; cui concinit D. Proſper libro de Ingratis: *Roma Sedes Petri, quæ Paſtoralis honoris, facta caput Mundi*.

5. Porrò Petrum Romanum Epiſcopum fuiſſe clariſſimè monſtratur ex perpetua Romanæ Eccleſiæ traditione, cui hac in re præ cæteris omnibus fides adhibenda eſt. Quæ enim Eccleſia meliùs inſtructa eſſe poteſt de primo ſuo Epiſcopo eiuſque Pontificatus tempore, quàm Eccleſia illa, in qua Epiſcopus ſedit? Romana itaque Eccleſia in omnibus Romanorum Pontificum Catalogis, qui etiamnum in varijs Bibliothecis Vrbis reperiuntur, vel alibi aſſeruantur, Petrum Romæ 25. annis ſediſſe exhibet. Antiquiſſimus horum Catalogorum eſt ille, qui tempore Liberij conſcriptus fuit, & Petro Pontificatum 25. annorum tribuit: *Petrus annis 25. menſe 1. diebus 9.* Catalogus, quem ſecundum vocamus, quique cum Bibliotheca M. SS. Codicum Reginæ Sueciæ in Vaticanam migrauit, affirmat de Petro, quòd ingreſſus in vrbem Romanam, *ibidem ſedit cathedram Epiſcopatus annos 25. menſes 2. dies 3.* Antiquiſſimum Catalogi fragmentum litteris maiuſculis exaratum, Codice 5007. Vaticano tradit, *Petrum Romam veniſſe, ibidemque cathedram Sacerdotalem tenuiſſe annos 25. menſes 2. dies 3.* Catalogus M.S. Bi-

Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ, qui tempore Caroli Magni conſcriptus fuit: Romæ *ſediſſe annos* 25. *menſes* 2. *dies* 4. Catalogus Eccleſiæ Pergamenſis ſub Ioanne VIII. conſcriptus: *Petrus ſedit annos* 25. *menſes* 2. *dies* 11. Auctor libri Pontificalis, quem Anaſtaſius Bibliothecarius ſuum feciſſe videtur, in quo expreſsè dicitur: hic Petrus ingreſſus eſt in vrbem Romam Nerone Cæſare; *ibique ſedit Cathedram Epiſcopatus annos* 25. *menſes* 2. *dies* 3. Vbi error eſt in Nerone, cùm Nero tantùm 13. annis imperium tenuerit, & ſub Nerone Petrus mortuus ſit, adeòque eum ſub Claudio Romam primò veniſſe oportuerit, vbi cùm multos Iudæos ad fidem conuertiſſet Petrus ad Orientem reuerſus eſt: vnde Sanctus Lucas in actibus capite 18. *Poſt hæc egreſſus ab Athenis Paulus, venit Corinthum, & inueniens quemdam Iudæum nomine Aquilam Ponticum gente, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam vxorem eius, eò quòd præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos à Roma*. Ob hanc itaque rationem, vt rectè obſeruat Annalium Parens Baronius, Petrus in Orientem reuerſus eſt, & Hieroſolymam redijt, quò Paulus cùm Antiochiæ quæſtio de Legalibus orta eſſet, aduenit, ſcribens in epiſtola ad Galatas, ſe bis Hieroſolymam veniſſe: primùm anno tertio à conuerſione, *poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum*: deinde poſt quatuordecim annos, quando & Petrum ibi reperit, & cum eo Concilio Hieroſolymitano interfuit; poſt quod tempus Petrus tamdiu in partibus Orientis moratus eſt, quamdiu Claudius vixit, quo mortuo ſub Nerone iterum Romam venit; de quo ſecundo Petri ad vrbem aduentu Auctor Libri Pontificalis mentionem fecit.

6. Sed quid hæremus in comprobando duplici Petri ad vrbem aduentu, cuius vltimi catalogi meminerunt, cùm hanc veritatem alio loco demonſtrauerimus, & de 25. annorum Pontificatu Romano teſtes habeamus Scriptores antiquiſſimos, Euſebium dico, cuius teſtimonium ſuprà attulimus, D. Hieronymum, qui libro de Scriptoribus clarè affirmat: *Petrus Romæ viginti quinque annis cathedram ſacerdotalem tenuit*. Sanctum Proſperum in Chronico integro apud Labbæum: *Petrus Romæ Euangelium prædicans* 25. *annis eiuſdem vrbis Epiſcopus perſeuerat*. Caſſiodorum Senatorem Romanum, & virum clariſſimum, qui tempore Theodorici Regis floruit in Chronico ad ſecundum Claudij annum Coſſ. Secundo & Venuſto: his Coſſ. Petrum Apoſtolum Romam miſſum fuiſſe aſſerit; *Vbi*, inquit, *Euangelium prædicans* 25. *annis eiuſdem vrbis Epiſcopus perſeuerat*. S. Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum in Chroni-

co

cò ad duos M.SS. Codices Bibliothecæ Vaticanæ, & Vrbino-Vaticanæ collato, idem ſignificat, dum Petrum ſub Claudio Romam veniſſe, ſub Nerone ibidem crucifixum fuiſſe tradit, & Venerabilem Bedam libro de ratione temporum, vbi: *Petrus Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram tenet Epiſcopalem*. Anaſtaſium Bibliothecarium iu hiſtoria Diuinæ Incarnat. anno 40. *Petrus Princeps Apoſtolorum Antiochena primùm fundata Eccleſia Romam pergit Euangelium prædicaturus, vbi Primus vſque ad finem ſuum Eccleſiæ præfuit*. Docet autem anno ſexageſimo quarto Petrum ſub Nerone martyrium ſubijſſe. D. Petrum Damiani, qui libro 1. epiſtola 20. ad Cadal Antipapam ſcribit,quòd *Petrus Romanæ vrbi per quinque annorum luſtra præſedit*. Cardinalem Deuſdedit in ſua Collectione Canonum, quam Victori Tertio nuncupauit, quæque manuſcripta reperitur in Bibliotheca Vaticana: *B. Petrus præfuit Romanæ Eccleſiæ annos 25. menſes 2. dies 7*. S. Iuonem Carnotenſem Epiſcopum, vel auctorem ipſi coæuum, in Catalogo Romanorum Pontificum, qui in M. S. Codice Vaticano 1358. ante B. Iuonis Panormiam exhibetur: *Petrus Apoſtolus ſedit annos 25. menſes 6. dies* 8. Romualdum Salernitanum Archiepiſcopum in M. S. Codice Archiui S. Petri de Vrbe, continente hiſtoriam ab initio mundi vſque ad Alexandrum Tertium: *Petrus Apoſtolus ſedit annos 25. menſes 6. dies* 8. *Romam pergit in Exordio Regni Claudij, ibique 25. annis Cathedram tenet Epiſcopalem*.

7. Adduximus huc vſque varia Patrum, & Antiquorum teſtimonia, nunc & Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam proferemus, quoniam plures eius Epiſcopi anno 567.in Concilio Turonenſi II. Canone 22. *De Kalendis Ianuarij, & Cathedra S. Petri*. Ita de Cathedræ feſtiuitate ſtatuunt: *Sunt etiam, qui in feſtiuitate Cathedræ Domni Petri Apoſtoli cibos mortuis offerunt, & poſt miſſas redeuntes ad domos proprias ad Gentilium reuertuntur errores, & poſt Corpus Dominì Sacratas Dæmoni eſcas accipiunt*. Vbi notandum eſt, quòd quamuis Patres Prouinciæ Turonenſis non explicent, de qua Cathedræ feſtiuitate loquantur, vix tamen dubium vllum ſupereſſe poſſit, conſiderato titulo Canonis iam allato, & perſpecta Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudine: titulus enim Canonis feſtum Cathedræ cum Kalendis Ianuarij coniungens aliquo modo innuere videtur agi de feſto Cathedræ Petri, quod menſe Ianuarij in Gallijs peragi ſolebat, vt fidem facit Martyrologium Gellonenſe. *XV. Kalend. Februarij ſecundum Gallos Cathedra Sancti Petri Apoſtoli*. Ita antiquiſſimum illud Gallicanum Martyrologium, quod feſtum

ſtum Cathedræ S. Petri in Gallijs olim menſe Ianuarij celebrari conſueuiſſe perhibet; adeòque feſtum Cathedræ Romanæ, non verò Antiochenæ, quod menſe Februarij celebrari conſueuit, vnde & Lectionarium Gallicanum, quod ante mille & centum annos ſcriptum fuit, poſt ſecundam Dominicam Epiphaniæ habet hunc titulum: *Legenda in Cathedra S. Petri*. Et poſt lectiones eiuſdem feſti ſequitur immediatè: *Die Dominico poſt Cathedram S. Petri*. Et inde alius: *Secunda Dominica poſt Cathedram Sancti Petri*. Et rurſum alius: *Tertia Dominica poſt Cathedram S. Petri*. Ad quos titulos varia notantur à V. Cl. Mabillonio, qui ex his conſtare aſſerit, quòd de Cathedra Romana his locis mentio „ fiat: Vt enim, inquit, potiùs „ de Cathedra, quę Ianuario re„ colitur, quàm de altera Le„ ctionarium noſtrum interpre„ ter, illud maximè me mouet, „ quòd in eo numerentur Do„ minicæ tres poſt Cathedram „ Sancti Petri, ante Dominicam „ primam quadrageſimæ, qui „ Dominicarum numerus à die „ 22. Februarij nunquam com„ pleri poteſt, quantumuis Pa„ ſcha ab Aequinoctio declinet. „ Adde in eodem Lectionario „ duas tantùm Dominicas poſt „ Epiphaniam aſſignari, quæ „ non ſufficerent, ſi aliæ tres à „ Cathedra Februarij *numeren*„ *tur*. Agitur itaque de feſto Cathedræ Romanæ Sancti Petri, quod menſe Ianuarij celebratur, de quo in antiquiſſimo mille annorum Sacramentario Eccleſiæ Gallicanæ ab eodem Mabillonio tomo I. Muſæi Italici edito habentur lectiones & miſſa cum titulo: *Cathedræ Sancti Petri*: exhibet enim hanc miſſam ante eam, quæ de aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis ibidem exhibetur, eò quòd feſtum aſſumptionis Beatæ Mariæ die decima octaua Ianuarij recoli ſolebat in Gallijs; vnde in Martyrologio Gellonenſi, quod tempore Caroli Magni exaratum fuit, eodem die legitur: *Cathedra Sancti Petri Apoſtoli, qua primò Romæ ſedit*. Hæc autem cum adeò perſpicua, adeò clara ſint de antiqua Gallicanæ Eccleſiæ ſententia, ne quiſquam exiſtimet feſtum Cathedræ Romanæ apud illam primùm cæpiſſe, monſtrandum reſtat, Gallicanam Eccleſiam hæc à Romana deſumpſiſſe, à qua fidem cum ritibus primitiuæ Eccleſiæ tempore accepit. Romana enim Eccleſia ab antiquiſſimis temporibus feſtum Cathedræ Sancti Petri ſingulis annis hymnis & laudibus celebrauit; vt patet in primis ex Hymnario Romæ ab aliquot annis edito, in quo *Hymnus de feſto Cathedræ Romanæ* Paulino tribuitur. Idem patet ex M.S. Sacramentario Gregorij Magni, quod litteris maiuſculis ante 800. annos exaratum in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur; ad cuius

cuius initium in Calendario XV. Kalend. Ianuarij legitur: *Romæ S. Priſcę Virginis, & Cathedra S. Petri*. Idem feſtum annotatum eſt in Breuiario M. S. Bibliothecæ Vaticanæ, quod Sirletus ſcriptum eſſe exiſtimat anno circiter 800. vbi ad diem decimum octauum Ianuarij: *Cathedra S. Petri apud Romam*. Vnde Diuus Petrus Damiani libro primo epiſtola 20. ad Cadaloum Antipapam ſcribit: *Petrus Romanæ vrbi per quinque annorum luſtra præſedit .... hinc quòd cum reliquis Sanctis hoc non impendimus, ſolius Beati Petri feſtiuè Cathedram celebramus*. Et Ioannes Bellethus, qui ſæculo 12. floruit: *Hoc item tempore celebrari ſolet Cathedra S. Petri, tum quæ Romæ fuit, quæque tempore poſterior eſt, quàm illa quæ fuit Antiochiæ*. Et Benedictus Beati Petri Canonicus ad Dominicam Sexageſimæ: *In Cathedra S. Petri legitur ſicut in die natalis eius: tamen ad veſperas, & matutinas laudes canitur: Ecce Sacerdos Magnus. Statio in eius Baſilica. Dominus Papa debet ſedere in Cathedra ad miſſam*. Ad quæ vltima verba notat Mabillonius: *Id eſt in ipſa Cathedra S. Petri, quam hodie quoquè Baſilica Vaticana aſſeruat*. Quibus addo, ad eam ſingulis annis feſtum ſolemne celebrari, prout Paulus IV. temporum iniurijs ſæpius intermiſſum, vnde & in quibuſdam Kalendarijs omiſſum, illud celebrari iuſſit his verbis: *Feſtiuitatem tamen ipſius Cathedræ, quæ iuxta antiquiſſimorum SS. Patrum noſtrorum teſtimonium XV. Kalen. Februarij fuit, & in diuerſis orbis Chriſtiani, & præſertim Galliæ, & Hiſpaniæ partibus dicta die ſolemniter celebratur*. Et infrà: *feſtiuitatem Cathedræ, qua ipſe Petrus Apoſtolus Romæ primùm ſedit, noſtris temporibus celebrandam, ſeu potius antiquæ celebritati reſtituendam*. Vnde & Diuus Carolus Borromæus in ſecunda Synodo Mediolanenſi coacta ann. 1568. decreto 4. *Cathedra item Sancti Petri Apoſtoli, qua primùm Romæ ſedit; quæ ex veteri Eccleſiæ inſtituto XV. Kalendas Februarij celebrari ſolebat intermiſſa iam diu, quoniam à Paulo IV. Pontifice Maximo Sanctè renouata eſt, in hac noſtra & vrbe, & Diœceſi celebretur ex ipſo die quotannis ex Calendarij noſtri ratione*. Et Onuphrius Panuinius in libris de præſtantia Baſilicæ Vaticanæ nondum editis libro 5. capite 4. *Seruatur verò Cathedra ipſa, in qua primus omnium ſedit Epiſcopus Petrus ..... in cuius memoriam ſolemnis dies feſtus antiquiſſimis temporibus in eadem Baſilica XV. Kalendas Februarij celebratur, hoc titulo, Cathedra Sancti Petri Apoſtoli, qua Romæ primùm ſedit, cuius adhuc extant miſſarum myſteria, orariæ preces in vetuſtiſſimis Bibliothecæ Miſſalibus*,

*libus, & Breuiarijs, quam exoleſcentem noſtra ætate edito diplomate reſtituit diuini, humanique iuris conſultiſſimus Paulus IV.*

# CAPVT TERTIVM.

## *Romanos Epiſcopos Petro in Sede Epiſcopali, & Cathedra Apoſtolica ſuccedere.*

1. *Traditionem fidei à Sedis Apoſtolicæ Succeſſoribus præſertim repetit Diuus Irenæus, qui omnes Romanos Pontifices à Petro vſque ad Eleutherium enumerat, cui accedit Euſebius, qui Linum Petri Succeſſorem vocat.*

2. *Idem Stephani Papæ teſtimonio comprobatur, quo ſe Petri Sedem tenere affirmat, quod Firmilianus Cæſareenſis Epiſcopus nequaquam impugnat.*

3. *Idem oſtenditur ex Cypriani teſtimonijs, quibus Romanam Sedem Petri Cathedram vocat, & Pontifices Petri loco ſedere affirmat.*

4. *Comprobatur hæc veritas manifeſtiſſimis Sancti Optati, & Diui Auguſtini teſtimonijs.*

5. *Idem omnino confirmatur ex actis Concilij Generalis Tertij, & Concilij Generalis Quarti.*

6. *Diui Chryſoſtomi, Diui Ambroſij, & Diui Hieronymi teſtimonia adducuntur, quibus eadem veritas comprobatur.*

7. *Eandem confirmant Marcellinus Comes, tres Epiſcopi Gallicani, Epiſcopi Tarraconenſes, Epiſcopi Italiæ ſub Gelaſio, Ennodius Ticinenſis, & S. Auitus Viennenſis, & Epiſcopi Orientales ſub Symmacho.*

8. *Poſt Symmachi tempora eamdem veritatem tradunt Dorotheus Theſſalonicenſis, Ioannes Nicopolitanus, Archimandritæ ſecundæ Syriæ, Ioannes Conſtantinopolitanus, & Stephanus Lariſſæenſis cum alijs Theſſaliæ Epiſcopis tempore Bonifacij Secundi.*

9. *Probatur quoquè ex actis Synodi generalis quintæ.*

10. *Item ex actis Synodi generalis ſextæ.*

11. *Item ex Synodo generali ſeptima, quibus Patriarcharum Orientalium, & Epiſcopi Conſtantinopolitani litteræ inſeruntur.*

12. *Demum ex Nicolai Primi, Ignatij Conſtantinopolitani, Hadriani Secundi teſtimonijs, quæ in Synodo generali octaua adferuntur.*

1. MAgna ſemper fuit traditionis auctoritas, quam primitiuæ Eccleſiæ Patres contra Schiſmaticos, & Hæreticos, eò lubentiùs ex perpetua Romanorum Epiſcoporum ſucceſſione probare conſueuerunt, quòd hæc à Petro originem ducat, & per Petri ſucceſſores Romanos Epiſcopos continua traditione ad ipſos peruenerit. Argumentum longè præſtantiſſimum, quo contra Hæreticos vſus eſt D. Irenæus Lugdunenſis in Gallia Antiſtes, dum libro 3. aduersùs Hæreſes, cap. 3. traditionem Eccleſiæ ab illis haberi docuit, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi, & ſucceſſoribus eorum: *Sed*, inquit, *quoniam valde longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare, maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indican-*

*cantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt, omnem conuenire Eccleſiam: hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Fundantes igitur, & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt .... Succedit ei Anacletus, poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens... Huic autem Clementi ſuccedit Euariſtus, & Euariſto Alexander, ac deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt Sixtus, & ab hoc Teleſphorus, qui etiam glorioſiſſimè martyrium fecit, ac deinceps Hyginus, poſt Pius, poſt quem Anicetus. Cùm autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius. Hac ordinatione, & ſucceſſione, ea quæ ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, & veritatis prçconiatio peruenit vſque ad nos.* Tam illuſtre hoc Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi teſtimonium viſum fuit Euſebio Cæſareenſi in Paleſtina Metropolitæ, vt illud integrum libro ſuo 5. de Hiſtoria Eccleſiaſtica, cap. 6. inſeruerit, ſicque ex duobus antiquiſſimis Eccleſiæ Scriptoribus habemus, Romanos Epiſcopos eſſe Petri in Cathedra Apoſtolica Succeſſores; quod Euſebius diſertis verbis tradit libro 3. hiſtoriæ cap. 4. ſcribens: *Linum Primum, poſt Petrum in Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum ſorte delectum.*

2. Antiquiſſimum pro Romanorum Pontificum ſucceſſione, quæ à Petro Apoſtolorum Principe initium ducit, teſtimonium cenſet ipſe Spalatenſis Exepiſcopus, quod Stephanus Sanctiſſimus Romanus Epiſcopus, & martyr glorioſiſſimus ad ſæculi tertij medium Poſterorum memoriæ conſecrauit: palam enim ſe Petri Succeſſorem eſſe, eiuſque Cathedram tenere prædicabat, vt in epiſtola ad Cyprianum refert Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Exarchus, quem malè pro ſua ſententia allegat de Dominis, qui putat Firmilianum ironicè loquendo negaſſe Stephani Succeſſionem à Petro. Quamuis enim Firmilianus ob erroneam ſuam de rebaptizandis Hæreticis ſententiam duriùs, quàm par ſit, excipiat Stephanum Papam; nullatenus tamen negat, Stephanum in Cathedra Petri ſedere, & Petri Succeſſorem eſſe, quin potiùs ex eo quòd Stephanus Succeſſor eſſet Petri, ſupra quem Chriſtus ſuam fundauit Eccleſiam, contendit Firmilianus, Stephanum non potuiſſe aliud Eccleſiæ fundamentum ponere, putatque proinde ſe meritò indignari: *Quòd*

*qui ſic de Epiſcopatus ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt, multas alias Petras inducat.* Vbi & illud aduertendum eſt, ita Stephanum prædicaſſe Petri ſucceſſionem, vt pro ea ex Euangelio argumentum deduxerit, locumque illum Matthæi 16. de fundanda ſupra Petrum Eccleſia allegarit.

3. Porrò quàm rectè Sephanus Papa ſe Petri ſucceſſionem tenere ſcripſerit, Sancti Cypriani teſtimonijs comprobari poteſt, vtpote qui frequentiſſimè veritatem illam docuit, & Romanos Pontifices in Petri Cathedra ſedere affirmauit. Sic agens de Fortunato, & Feliciſſimo, qui Romam tempore Cornelij Papæ ex Africa confugerant: *Nauigare audent*, inquit, *& ad Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt.* Vbi tria planè affirmat Cyprianus. Primò Cathedram Romanam eſſe Cathedram Petri, adeoque Epiſcopos Romanos Petro ſuccedere. Secundò Eccleſiam Romanam eſſe Eccleſiam principalem, adeoque eam Petri Primatum hæreditaſſe. Tertiò inde veritatem Sacerdotalem exortam eſſe, adeoque eſſe fontem, & radicem communionis Eccleſiaſticæ. Aequè clarè mentem ſuam explicat D. Cyprianus, dum ſcribit libro 4. epiſt. 2. *Factus eſt Cornelius Epiſcopus, cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.* Quid enim hìc aliud Cyprianus docet, quàm Fabianum, & Cornelium in loco Petri ſediſſe, & gradum Cathedræ Sacerdotalis impleuiſſe, adeoque Romanos Epiſcopos Petri ſucceſſores cenſendos eſſe?

4. Id adeò manifeſtum erat Optati temporibus, vt Sanctus ille Epiſcopus Mileuitanus Parmenianum Donatiſtarum Principem hac ratione compellet: *Videndum eſt, qui & vbi prior Cathedra ſederit: ſi ignoras, diſce: ſi noſti, erubeſce. Ignorantia tibi adſcribi non poteſt: reſtat ergo vt noueris. Scientem errare peccatum eſt: nam ignorantibus nonnunquam ſolet ignoſci. Igitur negare non potes ſcire te in Vrbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus: vnde & Cephas appellatus eſt.* Et infrà: *Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus.* Et poſt longam Romanorum Pontificum ſeriem peruenit ad Damaſum Siricij ſucceſſorem, quem ſuis temporibus in Cathedra Petri ſediſſe affirmat; idque adeò manifeſtum fuiſſe, vt toto terrarum orbe cognitum fuerit: proindeque hanc Petri ſucceſſionem ab eo vel ignorari, vel negari non potuiſſe. Idem cum

Opta-

Optato ſentit Magnus Auguſtinus, qui in pſalmo contra partem Donati, Donatiſtas hoc argumento compellit: *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit videte: ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*. Et epiſtola 165. Idem Auguſtinus cum Fortunato, & Alipio ad Generoſum: *Si enim ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, Euariſto Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Teleſphorus, & poſt* longam Romanorum Epiſcoporum ſeriem: *Damaſo Siricius, Siricio Anaſtaſius. In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur, ſed ex tranſuerſo ex Africa ordinatum miſerunt, qui paucis præſidens Afris in Vrbe Roma Montenſium, vel Cuſupitarum vocabulum propagauit: in illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro, vſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet &c.* Hæc ibi Auguſtinus, ex quibus nemo non videt, quo ſenſu intelligendus ſit, dum epiſtola 62. ſcripſit, quòd ſemper in Romana Sede conſpicuus fuerit Apoſtolicæ Cathedræ Principatus: *In ea*, inquit, *ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*.

5. Præclarum quoquè eſt teſtimonium, quod coram ducentis Orientis Epiſcopis hac de re anno 431. Epheſi in Concilio generali Tertio protulit Philippus Cæleſtini Primi Legatus: actione namque tertia in Neſtorij depoſitione manifeſtis, & perſpicuis verbis dixit, quòd Sanctus Petrus Apoſtolorum Princeps, & Caput diuinitùs conſtitutus ſit, & quòd *huius ſecundum ordinem ſucceſſor, & locum teneat Sanctus, Beatiſſimuſque Papa Cæleſtinus Epiſcopus*. Quæ cùm Philippus in medio Concilij pronuntiaſſet, vniuerſa Synodus hæc verba plenis votis ſuſcepit, & actis ſuis inſeri permiſit à Notarijs, nomine totius Concilij, iubente S. Cyrillo Patriarcha Alexandrino. His omnino concinunt, quæ à Legatis Leonis Primi aſſerta ſunt in Concilio Chalcedonenſi generali IV. coram ſexcentis triginta Orientalium Prouinciarum Epiſcopis, Paſchaſino, & Lucentio Epiſcopis cum Bonifacio presbytero, ſe Legatos Apoſtolicæ Sedis Archiepiſcopi nuncupantibus, & Leonem Petri auctoritate fultum, Dioſcorum, & Eutychem damnaſſe aſtruentibus. Poſt quæ Legatorum verba Anatolius Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus *ſe eadem Apoſtolicæ Sedi per omnia*

*nia ſapere teſtatus eſt*. Eodem loquendi modo vſus eſt Seleucus Amaſiæ Metropolitanus, approbans ea, *quæ prolata ſunt ab Apoſtolica Romana Sede per Sanctiſſimos Epiſcopos, qui eius loco aduenerunt*. Et omiſſis pleriſque alijs locis, vbi Legati Leonem Sedis Apoſtolicæ Epiſcopum vocant, dum omnes Reuerendiſſimi Epiſcopi clamarunt: *Petrus per Leonem ita loquutus eſt*: ſatis ſuperque indicarunt, Leonem Petri ſucceſſorem fuiſſe, Petrique auctoritatem, & priuilegia hæreditaſſe, ſiue primatum Romanis Pontificibus in perſona Beati Petri à Chriſto collatum fuiſſe, quod Leo ipſe ſæpius docuit; ſignanter verò ſermone 2. in anniuerſario ſuæ aſſumptionis die, vbi cap. 3. clarè affirmat de Petro: *Cuius in Sede ſua viuit poteſtas, & excellit auctoritas*. Quarè & ſermone 4. eodem die habito aſſerit, *quòd ad Beati Apoſtoli Petri Sedem ex toto orbe concurratur*. Et ſermone 80. in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, quòd Roma ſit Ciuitas, *quæ per ſacram Beati Petri Sedem Caput Orbis effecta latiùs præſidet religione Diuina, quàm Dominatione terrena*.

6. D. Chryſoſtomus in hæc Pauli verba 2. ad Timoth. cap. 4. *Salutat te Linus*, adiungit: *Hunc Linum, aiunt quidam ſecundum poſt Petrum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe*. Quibus verbis aliorum ſententiam refert de Lino illo, cuius Paulus meminit, ſignificans quidem, ſe dubitare, num idem ille ſit, qui ſecundus poſt Petrum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit; ſupponens tamen Linum Pontificem, Petro in Romana Cathedra ſucceſſiſſe; prout ſupponebat Diuus Ambroſius Mediolanenſis Antiſtes de Damaſo, vbi aſſerit Eccleſiam eſſe Domum Dei; *cuius rector erat Damaſus*. Ad quem Pontificem ſcribens D. Hieronymus epiſtola 57. aſſerit: *Se cum ſucceſſore Piſcatoris, & Diſcipulo crucis loqui*. Quod idem eſt, ac fateri, Damaſum fuiſſe ſucceſſorem Petri, Petrum enim Piſcatoris nomine intelligit, quem ideo Diſcipulum crucis vocat, quia Chriſtum Magiſtrum ſuum imitatus crucis martyrio ex hac vita deceſſit. Cùm igitur clarè Diuus Hieronymus affirmet, Damaſum fuiſſe S. Petri ſucceſſorem facilè intelligimus, cur orta apud Hieroſolymam quæſtione de tribus hypoſtaſibus ſcribat prefata epiſtola: *Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam*. Et infrà de Damaſo ſubiungat: *Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior*. Et epiſtola 58. ad eundem Damaſum: Ego interim clamito, *ſiquis Cathedræ Petri iungitur meus eſt*. Hæc inter frementes Arianorum Turbas, hæc inter innumerabiles Monachorum Orientalium Choros Hieronymus clamabat, & qui tunc de Sede Antiochena contendebant Meletius,

tius, Vitalis, & Paulinus Hieronymo applaudebant: *Meletius*, inquit, *Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt.* Clamante namque Hieronymo, ſe Cathedræ Petri communione coniungi, reſpondebant tres illi Sedis Antiochenæ competitores, ſe etiam Petri Cathedram agnoſcere, ſe communione cum Petri ſucceſſore coniungi ſe Damaſum Papam ſequi, quo teſtimonio nullum manifeſtius deſiderari poteſt.

7. Poſt tot Sanctorum Patrum teſtimonia, præſtat & aliorum Scriptorum ſententias adferre: ſcribit enim Marcellinus Comes in Chronico Marciano Auguſto, & Adelphio Coſſ. *Leone Pontifice ſedem Beati Petri regente*. Ceretius, Salonius, & Veranus Epiſcopi Gallicani de epiſtola eiuſdem Leonis Magni affirmant: *Meritò illic Principatum Sedis Apoſtolicæ conſtitutum, vnde adhuc Apoſtolici Spiritus oracula referentur*. Epiſcopi Tarraconenſis in Hiſpania Prouinciæ epiſtola 1. ad Hilarium Papam *Priuilegium Sedis veſtræ quo ſuſceptis regni clauibus poſt reſurrectionem Saluatoris per totum Orbem Beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio Vniuerſorum illuminationi proſpexit*. Et infrà: *Erit profectò veſter triumphus, ſi Apoſtolatus veſtri temporibus, quod Sancti Petri Cathedra obtinet, Catholica audiat Eccleſia*. Septuaginta Italiæ Epiſcopi in Synodo Romana anno 494. *Sancta Romana Catholica, & Apoſtolica Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit: Tu es Petrus inquientis, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam &c. Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes Romana Eccleſia.* Ennodius Ticinenſis in Apologetico pro Synodo IV. Romana ſub Symmacho Papa: *Non nos B. Petrum, ſicut dicitis, à Domino cum Sedis priuilegijs, vel ſucceſſores eius, peccandi iudicamus licentiam ſuſcepiſſe; ille perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ miſit ad Poſteros*. Ex quibus Ennodij verbis facilè dignoſcitur, quo ſenſu Symmachum vocet, *Sedis Apoſtolicæ Præſulem*, & quo ſenſu contra Symmachi obtrectatores nomine totius Galliæ ſcripſerit S. Auitus Viennenſis Epiſcopus ad Senatores Vrbis: *Nec minus diligatis in Eccleſia veſtra Sedem Petri, quàm in Ciuitate apicem mundi*: vt enim Orientales Epiſcopi in epiſtola ad eundem Symmachum ſcribunt: *Quotidiè à Sacro Doctore tuo Petro doceris, oues Chriſti per totum habitabilem mundum creditas tibi paſcere*: & ſuprà. *Apoſtolorum Princeps, cuius Cathedram Beatitudini tuæ credidit Chriſtus optimus Paſtor*.

8. Anno æræ vulgaris 515. ſcripſit ad Hormiſdam Dorotheus Theſ-

Theſſalonicenſis in Illyrico Epiſcopus: *Scribo, & alloquor Beatum veſtræ Sanctitatis Caput, ſignificans collætari nos beatæ Sedi Sacratiſſimi Petri Apoſtoli*. Plura addit ibidem de Sede Petri Apoſtoli, in qua Hormiſdam ſediſſe innuit. Ioannes Epiſcopus Nicopolitanus in profeſſione fidei, ita rogat Hormiſdam, *vt iuxta conſuetudinem Apoſtolicæ Sedis veſtræ, quæ cunctarum Eccleſiarum curam habet, & Nicopolitanorum habere dignemini*. Archimandritæ minores, & cæteri Monachi Secundæ Syriæ in epiſtola pariter ad Hormiſdam ſcripta: *Petrum illum reſpicite Principem Apoſtolorum, cuius Sedem ornatis*. Ioannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus in epiſtola ad Hormiſdam, ſeu libello fidei ſuæ, Romanam Eccleſiam, *Sedem Apoſtoli Petri eſſe* fatetur, profiteturque ſe in omnibus *fidem Apoſtolicæ Sedis* ſequi. Cùmque Conſtantinopolitanus Epiſcopus fimbrias ſuas dilatare, & auctoritatem ad Illyrici Eccleſias extendere conatus eſſet: Stephanus Lariſſæenſis in Theſſalia Metropolita ſcribit ad Bonifacium II. *Vt poſt Deum Pater, & Doctor Sanctæ Eccleſiæ Petrus veſtræ, & totius mundi teſtatur: quia Domino dicente tertiò, amas me? Paſce oues meas; tradidit prius vobis mandatum*. Ex quibus apertum fit, quid velit idem Stephanus, *dum Apoſtolicæ Sedis* leges appellat, vt enim Stephanus Echinienſis in Theſſalia Epiſcopus adiungit in ſupplicatione Bonifacio II. oblata: *Autboritas Sedis Apoſtolicæ, quæ à Deo, & Saluatore noſtro ſummo Apoſtolorum data eſt, omnibus Sanctarum Eccleſiarum priuilegijs antecellit, in cuius confeſſione omnes mundi requieſcunt Eccleſiæ*. Relata eſt hæc Stephani ſupplicatio act. 1. Concilij Romani ſub Bonifacio II. ann. 531. & act. 2. Idem Stephanus cum Elpidio, & Timotheo Theſſaliæ Prouinciæ Epiſcopis in alijs litteris ad eundem Pontificem: *Veſtram appellamus Beatitudinem, & Apoſtolicam Sedem, & per eam ter Beatum Petrum, atque Sanctæ Eccleſiæ primum Paſtorem Chriſtum D. N. audire, & adorare credimus*. Quæ verba meo quidem iudicio clariora ſunt, quàm vt expoſitione vlla indigeant.

9. Longum eſſet cæterorum Patrum, Scriptorumque loca adducere, cùm plura ſint, quàm vt facilè enumerari poſſint: Quare omiſſis ſingulorum Epiſcoporum teſtimonijs, Conciliorum generalium acta recenſebimus, ex quibus de orbis vniuerſi iudicio conſtabit. In Synodo itaque generali quinta, quæ tempore Iuſtiniani Imperatoris anno 553. Conſtantinopoli celebrata eſt, coram quatuor Patriarchis, & totius Orientis Epiſcopis, lecta fuit collatione 1. epiſtola Eutychij Conſtantinopolitani ad Vigilium Romanum Pontificem, in qua fatetur

tur ſe ſuſcipere, & amplecti *epiſtolas Præſulum Romanæ Sedis Apoſtolicæ tam aliorum, quàm Leonis ſanctæ memoriæ de recta fide ſcriptas*. Et collatione 5. poſt Leonis ad Flauianum epiſtolam, legitur quoquè Attici Nicopolitanæ Ciuitatis Epiſcopi teſtimonium, de *Leone adamante Apoſtolicam Sedem*: & acta ipſius Chalcedonenſis Concilij referuntur, quibus Leo *Sedis Apoſtolicæ rector*, & miſſi ab eo Paſchaſinus, & Lucentius *Vicarij Sedis Apoſtolicæ vocantur*. Et Collatione ſeptima ſuſcepta fuit epiſtola Vigilij ad Ruſticum, & Sebaſtianum Epiſcopos, qua Pontifex hanc in eos ſententiam profert: *Oportet ergo nos iam poſt tantas admonitiones in vobis Ruſtice, & Sebaſtiane, per auctoritatem Beati Petri, cuius nos Dominus ſibi voluit vice ſeruire, regulariter vindicare &c.* Et infrà: *Ex Beati Petri, cuius locum licèt immeriti gerimus &c.* Quibus verbis cùm Vigilius clariſſimè affirmaſſet, ſe Petri locum tenere, & auctoritatem eius obtinere, Concilium generale quintum non contradixit eius verbis, non impugnauit eius ſententiam, non reſpuit eius auctoritatem, ſed præfatam epiſtolam cum alijs iuſſit actis ſuis inſeri, & ex illis, quid de tribus capitulis ſtatuendum ſit, colligi poſſe declarauit.

10. Sequitur Synodus generalis ſexta tempore Agathonis Papæ celebrata, ante cuius initium occurrit in primis Conſtantini Imperatoris Diualis epiſtola ad Donum Pontificem, qua interpellat eius Beatitudinem, *ſeu Apoſtolicam Sedem*, vt ad Concilium mittat Legatos indutos perſonam *ipſius Apoſtolicæ Sedis*. Tum deinde actione 1. recenſentur nomina Legatorum, qui à Doni ſucceſſore tranſmiſſi fuerant: *Locum præſentantes Sanctiſſimi Papæ Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ Agathonis*. Qui titulus vbique in actis reperitur, & Agathonis grauiſſimo teſtimonio confirmatur, vtpote qui actione 4. in epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum refert, ſe Legatos ſuos mittere, *qui deberent traditionem huius Apoſtolicæ Sedis, vt à Prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, enarrare*. Subiungit autem complura, quibus Sedem ſuam ideò Apoſtolicam dici ſignificat, quia à Petro Apoſtolorum Principe inſtituta fuit, & ab eo fidem, auctoritatemque accepit. Quare prædicat Euangelicam, atque Apoſtolicam Orthodoxæ fidei rectitudinem: *Quæ* inquit, *fundata ſuper firmam Petram huius Beati Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiæ*. Et infrà: *Quatenus de noſtro conſortio, immò Beati Petri Apoſtoli, cuius (licèt indigni) miniſterio fungimur, & traditionis formulam prædicamus*. Quæ Agathonis Papæ ſuggeſtio adeo placuit Patribus Concilij, vt Demetrius E-

Y pi-

piſcopus Pruſiados actione octaua ita inter alios ſuffragium tulerit. *Suggeſtiones directas à Patre noſtro Agathone Sanctiſſimo Archiepiſcopo Apoſtolicæ, & Principalis Sedis antiquæ Romæ ad à Deo coronatum, & manſuetiſſimum noſtrum Dominum, & Magnum Victorem Imperatorem, tanquam ex Spiritu Sancto dictatas per os Sancti, ac Beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri, & digito prædicti ter Beatiſſimi Papæ Agathonis ſcriptas ſuſcipio, & amplector*. Et vt aliorum vota præteream, tota Synodus act. 18. expanſis manibus amplexa eſt præfatam Agathonis ſuggeſtionem, & in ſermone acclamatorio ad Imperatorem prædicat: *Antiquæ Romæ, & Apoſtolicæ Summitatis Pontificalis Antiſtitem*. Et infrà: *Summus autem nobiſcum concertabat Apoſtolorum Princeps: illius enim imitatorem, & Sedis ſucceſſorem habuimus fautorem, & Diuini Sacramenti myſterium illuſtrantem per litteras. Confeſſionem tibi à Deo ſcriptam illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem à veſpertinis partibus extulit, charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur*. Sic nimirum Synodus generalis ſexta concinit ijs, quæ Agatho Papa dixerat in ſua ad Imperatorem epiſtola de Sede Petri, eiuſque auctoritate ad ſucceſſores Romanos Pontifices tranſmiſſa.

11. Præſtat nunc audire, quę Synodus generalis ſeptima Niceæ in Aſia tempore Adriani Primi docuit, actione namque ſecunda iubente Synodo lecta eſt Hadriani epiſtola ad Conſtantinum, & Irenem Auguſtos, in qua Romana Eccleſia vocatur *Eccleſia Beati Petri Apoſtolorum Principis*. Et infrà: *Nam ipſe Princeps Apoſtolorum Beatus Petrus, qui Apoſtolicæ Sedi primitùs præſedit, ſui Apoſtolatus Principatum, ac Paſtoralis curæ ſucceſſoribus ſuis, qui in eius Sacratiſſima Sede perenniter ſeſſuri ſunt, dereliquit, quibus & auctoritatis poteſtatem, quemadmodum à Saluatore noſtro Domino Deo ei conceſſa eſt, & ipſe quoquè ſuis contulit, ac tradidit Diuino iuſſu ſucceſſoribus Pontificibus*. Lecta item fuit epiſtola eiuſdem Hadriani ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, in qua de Petri primatu agens ſubdit: *Cuius Sedes in omnem terrarum Orbem primatum tenens refulget, & caput omnium Eccleſiarum conſiſtit. Vnde idem Beatus Petrus Apoſtolus Domini præcepto paſcens Eccleſiam nihil diſſolutum dimiſit, ſed tenuit ſemper, & retinet Principatum: cui ſi adhærere cupit Veſtra Sanctitas, & noſtræ Apoſtolicæ Sedis, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum Dei ſacram, & orthodoxam formam incorruptè, ac incontaminatè ex profundo cordis, & ſinceritate mentis cuſtodi-*

*dire ſtudeat &c.* His litteris coram Synodo perlectis referunt acta: *Quòd Petrus , & Paulus Deo amabiles presbyteri , & Legati Apoſtolicæ Cathedræ dixerunt: dicat nobis ſancta Synodus , ſi admittit litteras Sanctiſſimi Papæ Senioris Romæ, an non? Sancta Synodus dixit , ſequimur, & ſuſcipimus , & admittimus.* Poſt quam interlocutionem ſequuntur omnium totius Orientis Epiſcoporum ſubſcriptiones , in quibus expreſsè Hadriani epiſtolæ probantur: quin etiam actione tertia refertur trium Orientalium Sedium reſponſio ad Taraſium , qua Alexandrinus , Antiochenus, & Hieroſolymitanus Patriarchæ rationes afferunt , quibus impediuntur , ne ad Synodum perſonaliter concurrant , dicentes ſufficere , quòd cum ipſo interueniant Apocriſarij Sedis Romanæ: *Præcipuè* , inquiunt , *cùm Sanctiſſimus , & Apoſtolicus Papa Romanus concordauerit , & in ea inuentus ſit per Apocriſarios ſuos: nam ſicut tunc* ( in ſexta Synodo) *illius fides in orbis terræ perſonuit fines , ita & Synodi , quæ nunc per Dei gratiam congreganda eſt per interuentionem veſtram , & eius qui moderatur Apoſtolorum Principis Sedem , prædicabitur in omni loco , qui ſub ſole eſt.* Atque hactenus tres Patriarchæ Orientis, quibus adiungendus eſt quartus Conſtantinopolitanus , ſcribente Tharaſio nouæ Romæ Epiſcopo in litteris ad Hadrianum Primum de Iconoclaſtis in Synodo damnatis: *Petro Diuino Apoſtolo , cuius cathedram ſortita eſt fraterna Sanctitas Veſtra , hos tanquam Symonem Magum deponente.* Quaſi diceret , Petri auctoritate Iconoclaſtas depoſitos fuiſſe ; quia per Legatos ſuos Hadrianus , qui Petri Cathedram ſortitus erat Iconoclaſtas in Synodo deponi curauit . Atque hoc eſt , quod aliarum ſedium Orientalium Patriarchæ ſcripſerant , dum Papam Veteris Romæ Apoſtolorum Principis Sedem moderari profeſſi erant.

12. Poſt tam clara & manifeſta ſeptimæ Synodi , & Orientalium Patriarcharum teſtimonia finem huic capiti imponemus , cum actis Concilij generalis 8. quod ſub Hadriano Secundo Conſtantinopoli celebratum fuit , & actione 1. iuxta compilationem Nicetæ recitari fecit epiſtolam Nicolai I. ad Baſilium Imperatorem , in qua Romana Eccleſia *Apoſtolica Sedes* , & *Apoſtolica Cathedra* vocatur. Et actione 3. iuſſit recitari epiſtolam Ignatij Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ad eundem Nicolaum Primum , in qua dicitur , vnus dumtaxat conſtitutus à Chriſto ſupremus Eccleſiæ Pontifex, *dum Petro ſupremo , Sanctiſſimoque Apoſtolorum Vertici dixit: tu es Petrus , & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam , & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et rurſum: Tibi da-*

*bo claues regni cælorum. Huiuſmodi enim beatas voces, non ſoli Apoſtolorum Principi priuata quadam ſorte tranſcripſit, & aſſignauit, ſed per ipſum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi ſucceſſuros tranſmiſit.* Et actione 7. recitata ſunt acta Romani Concilij ſub Hadriano II. contra Photium, in quibus Hadrianus ipſe affirmat antiquos minimè ignoraſſe, *primam eius* (Romani Pontificis) *Cathedram Apoſtoli Petri honoratam eſſe faſtigio*. Et ne longa teſtimoniorum ſerie Lectoris patientia abutamur; adducimus Canonē 13. eiuſdem Collectionis Græco-latinæ à Niceta editæ: *Si quis tanta efferatus audacia, quēadmodum Photius, & Dioſcorus ſiue ſcripto, ſiue ſine ſcripto inſanias quaſdam contra Cathedram Coryphæi Apoſtolorum Petri audeat iactare, eandem, atque illi ſententiam damnationis ſubeat*. Vt enim Concilium epiſtola Synodica ad Hadrianum II. in alia actorum compilatione refert: *Romani Pontifices ſunt veri Paſtores rationabilium ouium Chriſti, quin imò ſummi Paſtores, & Principes omnium Eccleſiarum*. Quod eatenus à Concilio dictùm fuiſſe, quatenus Romani Pontifices Petro, cui Chriſtus ouium ſuarum curam commiſit, in Sede, & Cathedra ſuccedunt, Nemo eſt, qui poſt teſtimonia ſuperiùs adducta non facilè videat. Quarè finem huic capiti imponentes, Nicolai Sanctiſſimi Pontificis teſtimonium adiungemus, qui in epiſtola ad Photium apud Nicetam in actis octauæ Synodi ſcribit. *Cùm vniuerſa credentium multitudo à Sancta Romana Eccleſia, quæ omnium caput eſt Eccleſiarum, doctrinam exquirat, integritatem fidei depoſcat delictorum veniam poſtulet, neceſſarium eſt, vt magnam nos curam, qui ad hoc vocati ſumus, adhibeamus, & Lupum Eccleſiam inuadentem arceamus*. Audiuimus Nicolaum Primum ſupremam Sedis ſuæ curam paſtoralem extollentem; audiuimus vniuerſam credentium multitudinem Sedis Apoſtolicæ curam ſuſcipientem; & ſi quis de Nicolai Primi teſtimonijs ambigat, ea ipſa aliorum teſtimonijs confirmemus, & vera eſſe demonſtremus.

# CAPVT QVARTVM

*Quòd Romani Pontifices Apoſtolica auctoritate per Orbem vniuerſum vſi ſint, & curam totius Eccleſiæ ſemper geſſerint.*

1. *Linus, & Clemens primo ſæculo auctoritate Apoſtolica vſi hæreticos damnarunt, & ſchiſmata in Eccleſijs orta compoſuerunt.*

2. *Vi-*

2. *Victor ſecundo ſæculo pro quæſtione de Paſchate toto orbe Catholico controuerſa Concilium in Paleſtina conuocari iubet, & Aſianos, vt eiuſdem Concilij ſententiæ accedant, excommunicationis timore adigit.*

3. *Stephanus Papa tertio ſæculo orta de rebaptizatione Hæreticorum quæſtione, iubet vbique terrarum nihil immutari niſi quod traditum eſt, eiuſque decretum obtinuit, vt Vincentius Lerinenſis affirmat.*

4. *Iulius I. ſæculo 4. D. Athanaſium Patriarcham Alexandrinum, Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, alioſque Orientis Antiſtites ab Euſebianis depoſitos, ſedibus ſuis reſtituit auctoritate Sedis ſuæ præcipua, vt Socrates, & Sozomenus teſtantur.*

5. *Sæculo 5. Innocentius I. ſententiam contra D. Ioannem Chryſoſtomum latam à Theophilo Patriarcha Alexandrino irritat, & teſte Gelaſio Papa etiam ſine Synodo Chryſoſtomum abſoluit.*

6. *Pro ſopiendo ſchiſmate Acatiano Symmachus, & Hormiſda Romani Pontifices ſæculo 6. ediderunt varia primatus ſui teſtimonia, quibus accedit Gregorius M. ad finem eiuſdem ſæculi.*

7. *Martinus I. ſæculo 7. Epiſcopum Philadelphienſem Apoſtolicæ Sedis Vicarium in Oriente creat, vt in Patriarchatu Antiocheno, & Hieroſolymitano Epiſcopos Presbyteros, & Diaconos creet.*

8. *Sæculo 8. Gregorius II. Gregorius III. & Zacharias ſummi Pontifices Bonifacium per Occiduas partes mittunt, eique delegant vices Apoſtolicæ Sedis, quæ in omnem terrarum orbem Primatum obtinet, vt Hadriani I. teſtimonio confirmatur.*

9. *Nicolaus Primus ſæculo 9. Photium intruſum Patriarcham Conſtantinopolitanum, eiuſque competitorem S. Ignatium Romam ad Tribunal ſuum euocauit, allegans teſtimonia Bonifacij, & Gelaſij Prædeceſſorum ſuorum.*

10. *Sæculo decimo in totius Occidentis Epiſcopos auctoritate ſua vſi ſunt Ioannes. IX. Benedictus III. Leo VII. & Gregorius V.*

11. *Sequenti ſæculo Leo IX. Michaëlem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum in ipſa Vrbe ſua condemnauit, & cum alijs excommunicationis vinculo ſubiecit.*

12. *Sæculo duodecimo Paſchalis II. Innocentius II. Lucius II. Eugenius III. Alexander III. & Cæleſtinus III. varijs Epiſcopis vices ſuas per totum Occidentem contulerunt.*

13. *Ex ſingulis ſequentibus ſæculis à decimo tertio vſque ad decimum ſeptimum referuntur ſinguli Pontifices, qui ſummam Sedis Apoſtolicæ poteſtatem à Prædeceſſoribus traditam, vt manifeſtam ſupponunt, exercentque.*

1. OStendimus huc vſque Romanos Pontifices Petro in Sede Apoſtolica ſucceſſiſſe. Nunc monſtrandum eſt, Romanos Pontifices Petri auctoritate vſos poteſtatem Apoſtolicam ſemper, & vbique exercuiſſe, quod quia millenis omnium generum teſtimonijs comprobari poteſt, ne argumentorum multiplicitate, & teſtium numero Lectorum mentem obruere videamur; ordine Chronologico procedentes pauca dumtaxat teſtimonia ex ſingulis ſæculis adferemus. Vt autem à primo incipiamus, pauca iſtius temporis monimenta, quæ etiamnum ſuperſunt, adferenda ſunt: Et primum quidem illud, quod auctor libri de Hæreſibus, qui Prædeſtinatus inſcribitur, commemorat his verbis: *Secunda Hæreſis à Menandro Menandrianorum, qui mundum non à Deo, ſed ab Angelis factum eſſe teſtantur. Hos Sanctus Linus Epiſcopus Secundus Apoſtoli Petri à conſortio conuerſationis noſtræ eiectos, æterna damnatione multauit*. Fuit hic Menander natione Samaritanus, & teſte Iuſtino Martyre apud Euſebium libro 3. capite 20. Antiochiam aduentans multos magicæ artis præſtigijs in frau-

fraudem induxit; quos omnes, ſi auctoris ſupracitati fidem ſequamur, Linus Petri ſucceſſor à conſortio communionis Catholicæ eiecit, & æterna damnatione multauit. Quod Apoſtolica authoritate eum feciſſe exiſtimandum eſt, cùm, vt ſecunda Diſſertatione monſtrauimus, Apoſtolicæ auctoritatis fuerit Hæreticos toto orbe diſperſos à communione arcere, ſicut ad eandem dignitatem ſpectabat Eccleſias longè, latèque diffuſas litteris monere, & fidelium animos diſſidijs iurgijſque commotos corrigere. Quod Clementem Quartum poſt Petrum Romanæ Sedis Pontificem feciſſe fidem facit germana Romanæ Eccleſiæ ad Corinthios epiſtola de qua D. Irenæus lib. 3. aduersùs hęreſes c. 3. *Sub hoc igitur Clemente diſſenſione non modica inter eos, qui Corinthi eſſent, fratres facta, ſcripſit, quæ eſt Romæ Eccleſia, potentiſſimas litteras Corinthijs ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntians, quam in recenti ab Apoſtolis receperant traditionem.* Incipit epiſtola cum hac inſcriptione: *Dei Eccleſia, quæ Romæ peregrinatur, Eccleſiæ Dei, quæ Corinthi diuerſatur.* Quibus verbis D. Irenæi ſententia confirmatur, quòd epiſtola hæc ſcripta ſit à Romana Eccleſia, quam tunc Clemens Apoſtolorum diſcipulus, & Petri ſucceſſor regebat, qui & epiſtolam nomine Romanæ Eccleſiæ ſcripſiſſe perhibetur. Vnde Euſebius libro 3. cap. 12. verſionis Chriſtophorſoni: *Vna extat Clementis epiſtola omnium iudicio approbata, quam tamquam ex Romanæ Eccleſiæ perſona ad Corinthiorum Eccleſiam tum quidem exarauit, cùm iam Corinthi grauis eſſet conflata ſeditio.* Et poſt Euſebium D. Hieronymus lib. de Scriptoribus in Clementem ſcripſit: *Ex perſona Romanæ Eccleſiæ ad Eccleſiam Corinthiorum valde vtilem epiſtolam, quæ & in nonnullis locis publicè legitur.* Hæc ibi Hieronymus in Iſaiæ caput 52. hanc epiſtolam ſub nomine Clementis citat: *De quo*, inquit, *Clemens Vir Apoſtolicus, qui poſt Petrum Romanam rexit Eccleſiam, ſcribit ad Corinthios.* Eodem modo citat hanc epiſtolam ſub Clementis nomine Origenes lib. 2. περὶ ἀρχῶν, & ante Origenem Clemens Alexandrinus libro 4. Stromaton, & ante Clementem Alexandrinum Iuſtinus martyr ad Orthodoxos reſponſ. 74. Quibus teſtibus tamquam omni exceptione maioribus fidem adhibendam eſſe, nemo prudens negabit. Vnde patet hanc epiſtolam à Clemente ſcriptam fuiſſe, cuius auctoritatem Apoſtolicam Corinthij interpellarant, & qui eadem auctoritate vſus, Corinthijs potentiſſimas has litteras miſit, prout eum, & alias circulares per vniuerſam Eccleſiam miſiſſe refert Epiphanius, qui hæreſi 30. Ebionitarum capite 15. ſcribit: *Quemadmodum Cle-*

*Clemens ipſe omnibus illos modis redarguit ijs epiſtolis circularibus, quæ ab eo ſcriptæ in ſacroſanctis Eccleſijs leguntur.* Vnde etiam patet litteris Clementis magnam venerationem à fidelibus exhibitam fuiſſe, dum in ſacroſanctis Eccleſijs legebantur.

2. Secundo ſæculo habemus Victorem Romanum Pontificem, cuius temporibus grauiſſima quęſtio de Paſchatis die toto terrarum orbe ventilata fuit, de qua in antiquo ſexcentorum annorum Codice Bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ: *Tunc Papa Victor Romanæ vrbis Epiſcopus direxit auctoritatem ad Theophilum Cæſareenſis Paleſtinæ Antiſtitem, vt quomodo Paſcha recto iure à cunctis celebraretur Eccleſijs, inibi fieret ordinatio, vbi Dominus & Saluator mundi fuerat in carne verſatus. Percepta itaque authoritate prædictus Epiſcopus non ſolùm de ſua Prouincia, ſed etiam de diuerſis regionibus, omnes Epiſcopos euocauit.* Hæc antiquus ille Codex, ante cuius ætatem venerabilis Beda eadem omnino retulit, adiungens, quòd cùm multitudo illa ſacerdotum conueniſſet; *Tunc Theophilus Epiſcopus protulit auctoritatem ad ſe miſſam Victoris Papæ, & quid ſibi operis fuiſſet iniunctum oſtendit.* Meminit huius Synodi ſub Theophilo Cæſareenſi in Paleſtina celebratę Euſebius, & ipſe Cæſareenſis Epiſcopus, qui libro 5. hiſtoriæ cap. 24. narrat, poſt celebrata toto terrarum orbe Concilia editum fuiſſe decretum de feſto Paſchatis die Dominica poſt decimam quartam Lunam primi menſis vbique celebrando, cui cùm Polycrates, & Aſiani Epiſcopi contradicerent; *Victor quidem Romanæ Vrbis Epiſcopus illicò omnes Aſiæ, vicinarumque Prouinciarum Eccleſias, tanquam contraria rectæ fidei ſentientes à communione abſcindere conatur, datiſque litteris vniuerſos, qui illic erant fratres proſcribit, & ab vnitate Eccleſiæ prorſus alienos eſſe pronuntiat.* Ita Euſebius ex verſione Valeſij, ex cuius verbis, vti & ex alijs ſupra allatis tria potiſſimùm colliguntur. Primum orta quæſtione ad totam Eccleſiam ſpectante, Victorem Romanum Pontificem curam, ſollicitudinemque ſuam impendiſſe, & Synodum in Paleſtina indixiſſe, tranſmiſſa ea de re auctoritate, vt acta vocant, ad Theophilum Cæſareenſem in Paleſtina Metropolitanum. Secundum Epiſcopos diuerſarum Prouinciarum à Theophilo euocatos ad Synodum celebrandam conueniſſe, cùmque Theophilus coram eis protuliſſet auctoritatem ad ſe miſſam Victoris Papæ, & quid ſibi operis fuiſſet iniunctum oſtendiſſet, omnes Victoris iuſſis obtemperaſſe, & quid de die Paſchatis ſtatuendum eſſet, declaraſſe. Tertium edito decreto de Paſchatis feſto, vna eademque die per totum terrarum orbem cele-

le-

lebrando, cùm Polycrates Epheſinus, & Aſiani Epiſcopi contradicerent, Victorem omnes Aſianas Eccleſias à communione abſcindere voluiſſe; & datis ad Aſianos Epiſcopos litteris, eos ſub pœna excommunicationis ad decretum amplectendum obligaſſe. Quod nemo non videt ſuprema Sedis Apoſtolicæ auctoritate factum à Victore, qui ea per Paleſtinam in conuocandis Concilijs, per Aſiam in excommunicandis Epiſcopis, per Eccleſiam vniuerſam in proponendo illi de Paſchatis die decreto vſus fuiſſe dignoſcitur.

3. Poſt medium ſæculi tertij floruit Stephanus Papa, cuius ætate mota eſt quæſtio de rebaptizandis Hæreticis ad fidem reuertentibus. De qua cùm D. Cyprianus Carthaginenſis in Africa Primas vnà cum Africæ Epiſcopis ſtatuiſſet, rebaptizandos eſſe omnes, qui ex hæreſi ad Eccleſiam reuertebantur, ad Stephanum Papam éa de re referendum eſſe indicauit: *Sed de eo vel maximè tibi ſcribendum*, inquit epiſtola 72. ad Stephanum, *& cum tua grauitate, ac ſapientia conferendum fuit, quòd magis pertineat, & ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem pariter ac dignitatem, de Diuinæ diſpoſitionis ordinatione venientem, eos qui ſunt foris extra Eccleſiam tincti, & apud Hæreticos, & Schiſmaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Eccleſiam, quæ vna eſt, venerint, baptizari oportere*. Addit Diuus Cyprianus, idem diligenter nuper expreſſum eſſe in epiſtola ad Quintum Mauritaniæ Epiſcopum, item in epiſtola ad cæteros Epiſcopos in Mauritania conſtitutos; *Cuius vtriuſque epiſtolæ*, inquit, *exempla ſubdidi*. Ex quibus Cypriani verbis facilè colligitur, cuncta de rebaptizandis Hæreticis in Africa peracta per D. Cyprianum tranſmiſſa fuiſſe ad Stephanum Papam, ſcribente D. Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos, quòd Cyprianus *ad Stephanum tunc Romæ Vrbis Epiſcopum, qui à B. Petro 26. fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit*. Vnde Stephanus controuerſia ad Sedis ſuæ iudicium delata, & Diui Cypriani ſententia improbata, auctoritate Apoſtolica ſtatuit: *Si quis ergo à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innouetur, niſi quod traditum eſt, vt manus illi imponatur in pœnitentiam*. Quod Sedis Apoſtolicæ decretum toto terrarum orbe obſeruari voluit, Diuo Cypriano, alijſque Africæ Epiſcopis, ac Firmiliano cum Cappadociæ Præſulibus obnitentibus, ſub excommunicationis pœna imponens obedientiam, teſtante Firmiliano Cæſareæ Cappadociæ Exarcho in epiſtola ad Cyprianum, Stephanum Papam de Epiſcopatus ſui loco gloriantem, ſucceſſionem Petri obtendiſſe: *qui ſic de Epiſcopatus ſui loco gloria-*

*riatur*, inquit, *& ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt*. Et iterum: *Stephanus, qui per ſucceſſionem Cathedram Petri habere ſe prædicat*. Quibus verbis Firmilianus mentem Stephani de Sedis Apoſtolicæ auctoritate in prohibenda toto terrarum orbe Hæreticorum rebaptizatione clarè explicat: quamuis autem Firmilianus hac in re Stephano repugnarit, obtinuit tamen Stephani Sanctiſſimi Pontificis & martyris ſententia, vt ex rerum ſucceſſu in aureo ſuo commonitorio probat Vincentius Lerinenſis libro 1. cap. 9. his verbis: *Tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum cæteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit, dignum, vt opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat. Denique in epiſtola, quæ tunc ad Africam miſſa eſt, his verbis ſanxit: Nihil nouandum niſi quod traditum eſt: intelligebat enim Vir Sanctus, & prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, quæ fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filijs conſignarentur ...... Quis ergo tunc vniuerſi negotij exitus? quis vtique, niſi vſitatus, & ſolitus? retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa nouitas*.

4. Sæculo quarto ſedit Iulius I. Pontifex Sanctiſſimus, ad quem cùm damnati ab Euſebianiš illuſtrium Locorum Epiſcopi Athanaſius Alexandrinus, Marcellus Ancyranus, Paulus Conſtantinopolitanus Aſclepa Gazæ, & Lucius Adrianopolitanus confugiſſent, idem Pontifex citatis, & Romam euocatis Aduerſarijs cauſam dijudicauit, & Athanaſium, ac Marcellum in communionem ſuſcepit. Quare in epiſtola ad Euſebianos, quam integram D. Athanaſius refert in apologia ſua ſecunda, Iulius I. Euſebianorum calumnias refellit aſſerens, ipſos maioris ordinis Epiſcopos eſſe, & non vulgares Eccleſias, quæ vim paſſæ erant; adeoque de illis in primis ad Sedem Apoſtolicam referri debuiſſe: *An ignari eſtis*, inquit, *hanc conſuetudinem eſſe, vt primùm nobis ſcribatur, vt hinc quod iuſtum eſt, definiri poſſit? quapropter ſi iſtic huiuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit*. Hæc ibi Iulius Primus allegans antiquam conſuetudinem, qua Eccleſia ante conditos canones regebatur, iuxta quam Romano Epiſcopo ſummam iudicij de maioribus Epiſcoporum cauſis conuenire affirmat, idque Euſebianos ipſos ignorare non poſſe, qui & antea Legatos ſuos contra prædictos Epiſcopos Romam miſerant, & iudicium cauſæ Iulio Papæ obtulerant, vt ipſe in eadem epiſtola affirmat. Cùm igitur

longè diſſitarum Eccleſiarum, iudicium ad Sedem ſuam ſpectare docuiſſet Iulius, cauſam earum dijudicauit, & factum eſt quod ſcribit Sozomenus lib. 3. cap. 8. ex verſione Henrici Valeſij de eorundem Epiſcoporum reſtitutione: *Epiſcopus Romanus cùm ſingulorum cauſas cognouiſſet, omneſque in Nicenę fidei doctrina conſentientes reperiſſet, tanquam idem cum ipſo ſentientes in communionem recepit: & quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipſum ſpectabat, ſuam cuique Eccleſiam reſtituit; ſcripſit etiam Orientalibus Epiſcopis, reprehendens eos, quòd in ſupradictorum cauſis non rectè iudicaſſent, & quòd Eccleſiarum ſtatum turbarent.* Idem narrat Socrates libro 2. cap. 15. ex eiuſdem Valeſij his verbis: *Iulius, quæ eſt Romanę Eccleſiæ prærogatiua, liberioribus litteris eos communitos in Orientem remiſit, ſingulis Sedem ſuam reſtituens, ſimulque perſtringens illos, qui ſupradictos Epiſcopos temerè depoſuiſſent. Itaque illi Roma digreſſi, & Iulij Epiſcopi litteris freti, ſuas quiſque Eccleſias occuparunt, & epiſtolas ad eos, quibus ſcriptæ fuerant, miſerunt.* Hæc à Socrate, hæc à Sozomeno Scriptoribus Græcis, & coætaneis ſcripta ſunt Conſtantinopoli ante mille ducentos annos, quibus ſuprema Apoſtolicæ Sedis authoritas in dijudicandis maioribus Epiſcoporum cauſis clariùs, & manifeſtiùs dilucidatur, quàm vt quiſquam ea de re ambigere poſſit.

5. Inter innumera Romanorum Pontificum exempla, quæ quinto ſæculo occurrunt, vnum, idque perſpicuum proferemus ex Innocentio Sanctiſſimo Pontifice Magno Auguſtino æquali, qui latam à Theophilo Patriarcha Alexandrino in Concilio Conſtantinopolitano contra D. Ioannem Chryſoſtomum Vrbis Conſtantinopolitanæ Epiſcopum ſententiam annullauit, caſſauitque, vt enim teſtatur Palladius Helenopolitanus Epiſcopus in vita Chryſoſtomi: *Innocentius Theophili iudicium caſſum, atque irritum eſſe decreuit.* Idem refert Gregorius Patriarcha Alexandrinus in Chryſoſtomi vita, vbi & Innocentij litteras refert, quibus Theophilum Patriarcham Alexandrinum ad Sedis Apoſtolicæ Tribunal comparere iubet, rationem temeritatis ſuę redditurum. Dum autem hoc modo S. Innocentius egit cum Theophilo ſecundæ Sedis Epiſcopo, ortamque inter Alexandrinum, & Conſtantinopolitanos Antiſtites controuerſiam dirimens, ſcribente Gelaſio epiſtola ad Dardaniæ Epiſcopos: *Quòd Apoſtolica Sedes frequenter more maiorum, etiam ſine vlla Synodo præcedente, & abſoluendi, quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanaſium Synodus*

Orien-

*Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſit, abſoluit. Sanctæ memoriæ nihilominùs IoannemConſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præſulum certè damnarat, quem ſimili modo Sedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſoluit: Itemque ſanctæ memoriæ Flauianum Pontificum Græcorum congregatione damnatum pari tenore, quoniam Sedes Apoſtolica non conſenſit, abſoluit.* Ita ad finem quinti ſæculi Gelaſius Primus, inter cætera Ioannis Chryſoſtomi exemplum commemorans, vt probet Acatium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſolius Apoſtolicæ Sedis iudicio iure damnatum fuiſſe.

6. Cœpit enim quinto ſæculo Schiſma Acatianum, quod Dioſcori, Neſtorij, & Eutychetis ſectatores complectebatur. Quarè, cùm ſæpius à Romanis Pontificibus damnati eſſent, ſcripſit ad Orientales Symmachus Papa epiſtola 8. anno 512. *Siquis ergo ſalutem propriam cogitans, ſeruare cupit Apoſtolica iudicia, cùm à præfatorum ſe labe ſeiunxerit, noſtræ communionis ſe nouerit ſine dubitatione participem; quia ſi ab eorum, quos Apoſtolica Sedes damnauit, non ſe ſocietate remouerit, ſciat nullo colore, nullo figmento, nullaque calliditate Eccleſiaſticæ ſe cuſtodiæ poſſe ſubrepere: quia ſicut illos, qui ſe à ſupraſcriptorum, hoc eſt Eutychetis, Dioſcori, Timothei, Petri, & Acatij venenis diſſociant, libenter amplectimur; ita circa iſtorum Sectatores cura, & ſollicitudo noſtra, ne ſubrepere poſſint, ſemper inuigilat.* Hæc ad Orientales Symmachus oſtendens Apoſtolicam curam, & ſollicitudinem ſuam ſeſe ad Orientales extendere, quod Orientales ipſi in epiſtola reſponſoria ad Symmachum profeſſi ſunt, rogantes eum, vt feſtinaret ad liberandum: *Quia*, inquiunt, *non in ligando tantùm poteſtas eſt tibi data, ſed in ſoluendo quoquè diu vinctos ad imitationem Magiſtri*. Et infrà: *Non enim ignoras eius ingenium, qui quotidie à ſacro Doctore tuo Petro doceris oues Chriſti per totum habitabilem mundum creditas tibi paſcere non vi, ſed ſponte coactas.* Omitto complura Hormiſdæ Symmachi ſucceſſoris teſtimonia, quæ occaſione Schiſmatis Acatiani ad Orientalium partium Epiſcopos tranſmiſit, cùm ſufficiat adiunxiſſe ex Hormiſdæ epiſtola illud, quo Vicariam Sedis Apoſtolicæ præfecturam in recipiendis LapſisEpiphanio Conſtantinopolitano Epiſcopo anno 521. delegauit: *Perſonam meam*, inquit, *te in hoc opere oportet induere*. Vnde facilè colligitur hanc fuiſſe Hormiſdæ ſententiam, quæ & Symmachi, omnes totius Orientis fideles curæ, ſollicitudinique ſuæ ſubiectos fuiſſe, quod

Gregorius Magnus libro 2. epiſtola 32. ad Mauritium Auguſtum omnibus notum eſſe affirmat: *Cunctis enim*, inquit, *Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, ipſi quippe dicitur: Petre amas me? paſce oues meas &c.* Quæ enim D. Gregorius hoc loco Apoſtolorum Principi tributa fuiſſe affirmat, ſibi quoquè tanquam Petri Succeſſori, & in primatus priuilegijs Hæredi competere ſignificat, dum in eadem epiſtola ad Mauritium Auguſtum pro Beati Petri Apoſtolorum Principis honore titulum vniuerſalis Romano Pontifici à Concilio Chalcedonenſi oblatum fuiſſe aſſerit, & dum in epiſt. 34. eiuſdem libri regiſtrorum ad Conſtantiam Auguſtam, Ioannem Conſtantinopolitanum titulum illum in *Apoſtolicæ Sedis* iniuriam vſurpare innuit. Hoc enim loquendi modo ſignificat, ſi cuiquam Romano potiùs, quàm Conſtantinopolitano Epiſcopo vniuerſalis titulum competere, cùm Romano omnes Epiſcopi, etiam ipſe Conſtantinopolitanus ſubiectus ſit. Nam vt D. Gregorius lib. 7. epiſt. 64. affirmat: *De Conſtantinopolitana Eccleſia, quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubiectam?*

7. Sęculo ſeptimo ſedit Martinus Primus, qui epiſtola 5. ad Ioannem Philadelphiæ Epiſcopum illuſtre auctoritatis ſuæ teſtimonium perhibet, dum eum ſuum in Oriente Vicarium creat, iubetque ſuam *iſtic vicem implere, ideſt*, inquit, *in Orientis partibus in omnibus Eccleſiaſticis functionibus, atque officijs .... vt ſic proſperans in Domino, ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per omnem Ciuitatem earum, quæ Sedi tum Hieroſolymitanæ, tum Antiochenæ ſubſunt, Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos: hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex Apoſtolica auctoritate, quæ data eſt nobis à Domino per Petrum Sanctiſſimum, & Principem Apoſtolorum.* Idem repetit epiſtola 11. ad Eccleſiam Hieroſolymitanam, & Antiochenam ſcribens *Secundùm poteſtatem nobis à Domino in gratia datam per Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem, Ioanni dilecto fratri noſtro Epiſcopo Philadelphienſium Ciuitatis, vt locum noſtrum in omnibus Eccleſiaſticis articulis in partibus Orientis ſuppleat, & creet in omnibus Ciuitatibus, quæ Antiochenæ Sedi, quæque Hieroſolymitanæ ſacerdotaliter ſubſunt, Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos.* Demum epiſtola 10. Petrum illuſtrem virum adhortatur, vt intentione, ſtudio vires ſuas conferat Dei amantiſſimo Epiſcopo Philadelphienſium Ciuitatis; *Quoniam*, inquit, *eum vice noſtra Deo iuuante fungi Canonicè iuſſimus, vt Catholicas in*

*illis*

*illis partibus Eccleſias decenter ordinet, in ijs omnibus Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos creans, permiſſa ei à Domino per nos minimos, ſiue per auctoritatem Sancti & Principis Apoſtolorum Petri ſpirituali poteſtate.* Hæc in prædictis litteris Martinus, hæc in alijs litteris, quas omnes græco-latinas refert Labbæus tomo 6. Conciliorum, ex quibus toties repetitis patenter conſtat, Martinum I. firmiter exiſtimaſſe, vnam ex Sedis ſuæ prærogatiuis fuiſſe, quòd Eccleſijs, Gentilium irruptionibus, aut Hæreticorum erroribus oppreſſis cura, ſollicitudineque Apoſtolica ſuccurreret, iiſque per Vicarios ſuos opem ferret, conſtituendo Epiſcopos, aliaque peragendo, quę ad eorum reſtitutionem quàm maximè conferant.

8. Sæculo octauo Gregorius Secundus Sedem Pontificalem adeptus eſt, qui Bonifacium ad conuerſionem Gentium per Occiduas partes miſit, ſcribens ad eundem: *Per inconcuſſam auctoritatem Beati Petri Apoſtolorum Principis, cuius doctrinæ magiſterij diſpenſatione fungimur, & locum Sacræ Sedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ religionis inſtituimus, atque præcipimus vt in verbo Dei, quod igne ſalutifero, quem Dominus mittere venit in terram, enitere videris ad gentes quaſcumque infidelitatis errore detentas properare Deo annuente potueris, myſterium regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri veritatis ſuaſione deſignes, & per Spiritum virtutis, & dilectionis, ac ſobrietatis prædicationem vtriuſque teſtamenti mentibus indoctis conſona ratione transfundas. Diſciplinam denique Sacramenti, quam ad initiandos Deo præuio credituros tenere ſtudeas, ex formula officiorum ſanctæ noſtræ Sedis Apoſtolicæ, inſtructionis tuæ gratia prælibata, volumus vt intendas. Quod verò actioni ſuſceptæ tibi deeſſe perſpexeris, nobis vt volueris intimare curabis.* Hæc in prima ad Bonifacium epiſtola Gregorius Secundus, qui epiſtola 4. ad Clerum, ordinem, & Plebem, cui Bonifacium Epiſcopum præpoſuerat, mandat in omnibus Sedis Apoſtolicæ præcepta ſeruari, quod & Gregorius Tertius in varijs epiſtolis ad Germaniæ Epiſcopos præcipit, & Zacharias, qui anno 741. Gregorio Tertio ſucceſſit, epiſtola 11. Galliæ, & Germaniæ Epiſcopis, Clericiſque omnibus obedientiam, quam Bonifacio tanquam Sedis Apoſtolicæ per illa regna Vicario debent, commendat, mentionem faciens ſanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, *in qua*, inquit, *Deo auctore, quàmuis tanto faſtigio viribus longè impares præſumus.* Omitto cætera huius Pontificis, & Conciliorum, quæ eius temporibus celebrata ſunt, & quorum teſtimonia pro ijs, quæ in

in ſequentibus dicenda ſunt, ſeruamus: Eorum interim loco vnũ Hadriani Primi, qui octauo ſæculo floruit, hìc adducemus, quod in epiſtola ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum reperitur: *Cuius* (Romana nimirum Petri) *Sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, & caput omnium Eccleſiarum Dei conſiſtit*. Et epiſtola ad Imperatores Conſtantinum, & Irenem: *Nam ipſe Princeps Apoſtolorum Beatus Petrus, qui Apoſtolicæ Sedi primitùs præſedit, ſui Apoſtolatus principatum, ac paſtoralis curæ ſucceſſoribus ſuis, qui in eius Sacratiſſima Sede perenniter ſeſſuri ſunt, dereliquit*. Quæ verba adeò clara ſunt, vt nullo commentario, nulla interpretatione indigeant.

9. Floruit ſæculo nono Nicolaus I. qui & magni nomen obtinuit ob res præclarè toto Orbe Catholico, & præſertim contra Photium Sedis Conſtantinopolitanæ inuaſorem geſtas: cum namque illum vna cum extruſo Ignatio vero Conſtantinopolitano Epiſcopo Nicolaus Romam ad iudicium ſuum euocauit, ſcribens epiſtola 8. ad Michaelem Imperatorem; *Priuilegia Romanæ Eccleſiæ, quæ per Beatum Petrum, & in B. Petro ſumus adepti, nos cogunt, noſque compellunt, omnium habere ſollicitudinem Eccleſiarum Dei*. Vnde & infrà: *Neceſſaria rerum diſpoſitione cõſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine conuenimur, ſic Canonum paternorum decreta librare, & retro Præſulum, Deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, vt quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſijs relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri temperemus, & quoniam de perſona Ignatij, atque Photij nihil diſcretius, atque mitius, necnon & ſalubrius arbitramur, quàm vt vterque Romam ad reuocandum examen veniat, hoc magnoperè volumus, & vt vos annuatis, ſalubriter admonemus .... Quoniam cùm ſecundùm canones, vbi eſt maior auctoritas, iudicium inferiorum ſit deferendum, ad diſſoluendum ſcilicet, vel ad roborandum: patet profectò Sedis Apoſtolicæ, cuius auctoritate maior non eſt, iudicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus. Iuxta quod & Bonifacius atque Gelaſius Sanctiſſimi Præſules non ſuis adinuentionibus, ſed Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem non ignorantes dicunt. Bonifacius quidem Rufo, & cæteris Epiſcopis per Theſſaliam, & alias Prouincias conſtitutis ſcribens: Nemo, ait, vnquàm Apoſtolico culmini, de cuius iudicio non licet retractare, manus obuias audacter intulit*

*lit, nemo in hoc rebellis extitit, niſi qui de ſe voluit iudicari.* Gelaſius autem in Commonitorio Fauſto Magiſtro fungenti Legatione Conſtantinopoli dato: *Nobis, inquit, opponunt Canones, dum neſciunt, quid loquantur; contra quos hoc ipſo nenire ſe produnt, quod primæ Sedi ſana, rectaque ſuadenti parere fugiunt. Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad huius Sedis examen voluère deferri: ab ipſa verò nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt, ac per hoc illam de tota Eccleſia iudicare, ipſam ad nullius commeare iudicium. Nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicare, ſententiamque illius conſtituerunt non oportere diſſolui, cuius potiùs ſequenda decreta mandarunt.* Hæc ex duobus clariſſimis Pontificibus Nicolaus M. de ſuprema Sedis Apoſtolicę auctoritate, quam conſequenter reputat inter priuilegia propriæ Sedis, *Quæ,* inquit, *in Beato Petro ſuſcepta diuinitùs, & in Eccleſiam Romanam deriuata, vniuerſalis celebrat, & veneratur Eccleſia.*

10. Iam ad decimum ſæculum peruenimus, cuius anno primo Pontifex creatus eſt Ioannes Nonus, qui epiſtola 3. ad Clerum, & Populum Lingonenſem Argrinum Epiſcopum ijs reſtituit, hoc vſus epiſtolæ exordio: *Tantam à Domino huius Sanctæ Sedis, & Apoſtolicæ Eccleſiæ fundatore, & Beato Petro Apoſtolorum Principe accepimus fiduciam, vt pro vniuerſali Chriſti ſanguine redempta Eccleſia impigro laboremus affectu, & omnibus Domino famulantibus ſuccurramus, & cunctis piè viuentibus Apoſtolica auctoritate opem feramus, & quidquid noxium eſt auxiliante Domino corrigere, & emendare non differamus.* Idem in eadem cauſa ad eundem Clerum, & Populum Lingonenſem ſcribit Benedictus III. in epiſtolà 2. quam ita incipit: *Apoſtolica nos, & Euangelica inſtituta inceſſanter admonent, vt omnium Eccleſiarum curam ſollicitè gerere debeamus, ipſa nos inſtruente, nobiſque in Beato Petro Apoſtolorum Principe præcipiente Veritate, quæ dicit: Simon Ioannis diligis me? paſce oues meas.* Idem Leo VII. epiſtola 2. ad Gallos & Germanos paucis his verbis exprimit: *Nos ſiquidem Diuinis præceptis, & Apoſtolicis incitamur monitis, vt pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu.* Et qui ad finem decimi ſæculi ſedit Gregorius Quintus in diplomate, quo priuilegium Abbatiæ Sancti Ambroſij confirmatur aſſerens de Petri ſucceſſoribus Romanis Pontificibus: *Quòd tantam dignius perceperunt poteſtatem, & vniuerſi curam ſunt ſortiti regiminis.* Quæ omnia Pontificum teſtimonia & clara ſunt & perſpicua. De cura, & ſollicitudine Sedis Apoſtolicæ in vniuerſam Ec-

Eccleſiam, in qua primatus Romanorum Pontificum conſiſtit.

11. Ad vndecimi ſæculi medium Pontificatū adeptus eſt Leo Nonus, cuius temporibus Michael Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus Photianum Schiſma renouauit, & nulla antiquæ traditionis veneratione habita Orientem ſecum in nouos errores, & hęreſes abduxit. Quare Epiſtola 7. ad Conſtantinum Monomachum Imperatorem: *Illa ſollicitudine, qua omnibus Ecclesijs ſe debere inuigilare agnoſcit*, Michaelem Cerularium, niſi ab erroribus reſipiſcat, excommunicandum eſſe denuntiat, prout à Legatis ipſius in Vrbe Conſtantinopolitana anno 1054. excommunicatus fuit: Cuius excommunicationis formula continetur in breui commemoratione rerum à Legatis Apoſtolicæ Sedis Conſtantinopoli geſtarum, quæ ita incipit: *Humbertus Dei gratia Cardinalis Epiſcopus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Petrus Amalphitanorum Archiepiſcopus, Fridericus Diaconus, & Cancellarius, omnibus Catholicæ Eccleſiæ filijs: Sancta Romana prima, & Apoſtolica Sedes, ad quam tanquam ad Caput ſollicitudo omnium Eccleſiarum ſpecialiùs pertinet, Eccleſiaſticæ pacis, & vtilitatis gratia, ad hanc Regiam Vrbem nos Apocriſarios ſuos facere dignata eſt*. Et poſt enumeratos Michaelis errores, *Vnde nos quidem Sanctæ primæ, & Apoſtolicæ Sedis inauditam contumeliam, & iniuriam non ferentes, Catholicamque fidem ſubrui multis modis attendentes, auctoritate ſanctæ, & indiuiduę Trinitatis, atque Apoſtolicæ Sedis, cuius legatione fungimur, & cunctorum Orthodoxorum Patrum ex Concilijs 7. atque totius Eccleſiæ Catholicæ: anathemati quod Dominus noſter Reuerendiſſimus Papa eidem Michaeli, & ſuis ſequacibus, niſi reſipiſcerent denuntiauit, ita ſubſcribimus: Michael Abuſiuus Patriarcha, Neophytus, & ſolo humano timore habitum Monachorum adeptus, nunc etiam criminibus peſſimis à multis diffamatus, atque cum eo Leo Acridanus Epiſcopus dictus, & Sacellarius ipſe Michaelis Conſtantinus, qui Latinorum Sacrificium profanis conculcauit pedibus, & omnes ſequaces eorum in præfatis erroribus, & præſumptionibus, ſint anathema, Maranatha cum Simoniacis, Valeſijs, Arianis, Donatiſtis, Nicolaiſtis, Seuerianis, Pneumatomachis, Manicheis, & Nazarenis, & cum omnibus Hæreticis, imò cum Diabolo, & Angelis eius niſi fortè reſipuerint. Amen, amen, amen*: hæc in Vrbe Conſtantinopolitana Sedis Apoſtolicæ auctoritate freti Leonis IX. Apocriſarij.

12. Sæculo duodecimo ſedit Paſchalis Secundus, qui Epiſtola 6. ad Poloniæ Archiepiſcopum, dum eidem pallium mittit in ſignum conceſſæ plenitudinis pontifi-

tificalis officij, id ſe Petri auctoritate concedere innuit, cui ſi Chriſtus omnium ouium ſuarum curam committens, conditionem amoris poſuit, *qua*, inquit, *nos ſollicitudine, qua prouiſione oportet tantam Eccleſiæ prælationem, tantam Chriſti ouium curam fratribus imponere*. Et aliquot poſt Paſchalem annis Innocentius II. qui epiſt. 13. ad Adalberonem Hamburgenſem Archiepiſcopum, omnes Daniæ, Sueciæ, & Noruegiæ Epiſcopos ſubiectos declarat hoc vſus exordio: *Ad hoc in B. Petri Cathedra diſponente Domino conſtituti eſſe conſpicimur; quatenus ſingulis Eccleſijs Eccleſiaſticis perſonis ſuam conſeruemus iuſtitiam*. Et Lucius II. epiſt. 4. ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos per Hiſpanias conſtitutos: *Apoſtolicæ Sedis clementia ſingulis Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis ſuam dignitatem, & iuſtitiam ſeruare conſueuerunt: Vnde nos, quorum præcipuè intereſt, Eccleſiarum omnium curam gerere, venientem ad nos Venerabilem fratrem noſtrum Reuerendiſſimum Toletanum Archiepiſcopum benignè recepimus, & inſpectis Prædeceſſorum noſtrorum priuilegijs, primatus dignitatem per vniuerſa Hiſpaniarum Regna iuxta eorundem priuilegiorum tenorem ei confirmauimus. Ipſum itaque cum gratia Sedis Apoſtolicæ, & litterarum noſtrarum proſecutione ad Sedem propriam remittentes vniuerſitati veſtræ mandando præcipimus, quatenus eidem tanquam Primati veſtro abſque vlla contradictione canonicam obedientiam, & debitam reuerentiam exhibere curetis*. Et Eugenius III. epiſt. 68. Sampſonem Remenſem Archiepiſcopum obiurgat, quòd Francorum Regem extra ſuam Diœceſim in Bituricenſi Eccleſia coronare præſumpſerit. Et epiſt. 69. ex officij ſui authoritate, qua *ſe pro Eccleſiarum ſtatu paternam ſollicitudinem gerere affirmat*, Petro Archiepiſcopo Bituricenſi ſuper duas Prouincias Metropolitanam dignitatem confirmat: *Præſentis itaque priuilegij pagina confirmamus*, inquit, *vt ſuper duas Prouincias, videlicet ſuper ipſam Bituricenſem, & ſuper Burdigalenſem primatum obtineas*. Et Alexander III. epiſt. 14. Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi munus Apoſtolicæ legationis iniungit his verbis: *Nos tibi legationem totius Angliæ excepto Epiſcopatu Eboracenſi, benigno fauore concedimus, vt ibi vice noſtra corrigas, quæ inueneris corrigenda: & ad honorem Dei, & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſalutem animarum ſtatuas, ædifices, & plantes, quæ ſtatuenda fuerint, & plantanda*. Ex quibus omnibus duodecimi ſæculi Pontificibus manifeſtè colligitur, totius Occidentis Eccleſias ad Romani Pontificis regimen ſpectaſſe; quod Cæleſtinus III. anno 1195. in epiſtola ad Epiſcopum Lincol-

A a nien-

nienſem his verbis confirmat : *Mediator Dei, & hominum Dominus Ieſus Chriſtus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur, totius Eccleſiæ diſciplinæ caput, & magiſterium Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ voluit reſeruari, & omnes alias ipſius ordinationi, & correctioni ſubeſſe: ita quòd conceſſa ei ſpecialiter plenitudine poteſtatis, eius etiam proprium ſit cæterarum exceſſus corrigere, & quod laudabiliter agitur, authoritate Apoſtolici culminis approbare.*

13. Ne autem in poſteriorum ſæculorum Pontificibus recenſendis Lectori tædium afferamus, ex ſingulis vnius, alteriuſue teſtimonium adducemus. Sæculo 13. ſedit Innocentius Tertius Pontifex Maximus, qui lib. 1. regeſt. 13. epiſt. 18. ad Rodericum Toletanum Archiepiſcopum ſcribit: *Sacroſancta Romana Eccleſia in Beato Petro Apoſtolorum Principe ab ipſo Saluatore omnium Domino IESV Chriſto, caput eſt Eccleſiarum omnium conſtituta.* Sæculo 14. Benedictus XI. in conſtitutione qua definit, animas ſufficienter purgatas clara Dei viſione frui, affirmat, *Quòd Deus Sacroſanctam Romanam & Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam vt præcipuam in Eccleſiarum omnium caput erexit, & victricem, dicente Domino ad Petrum: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Sæculo 15. Martinus V. in Bulla, qua Baſileenſe Concilium indicit: *Onus vniuerſalis gregis Dominici ſuperna diſpoſitione ſibi iniunctum.* Et Bulla 7. *Sollicitudinis paſtoralis officium ſuper omnes Orbis Eccleſias ſe gerere affirmat.* Sæculo 16. Pius V. Pontifex Sanctiſſimus Bulla 119. *Romanus Pontifex*, inquit, *quem Diuina Maieſtas Patrem, & Paſtorem omnium Eccleſiæ ſuæ ordinum conſtituit.* Et Bulla 116. *Cùm ex Ordinum vniuerſitate, qui in Dei Eccleſia reperiuntur, illa Caſtrorum aciei comparetur: illius autem gubernium Romano Pontifici Beati Petri vero Succeſſori ſit demandatum.* Atq; hactenus Romani Pontifices pauci è pluribus, qui à prima Apoſtolorum Principis ætate per diuerſa ſæcula vſque ad æuum noſtrum Romę ſederunt, & qui vno ore, vna voce Primatum ſuum ſuper vniuerſam totius Orbis Eccleſiam editis litteris ſignificarunt, Bullis, Decretis, & Conſtitutionibus vbiq; terrarum, vbi Chriſtianum nomen auditur, manifeſtum reddiderunt, & traditione perpetua Poſterorum memoriæ conſecrarunt, omniumq; fidei commiſerunt. Ex quibus Romanorum Pontificum teſtimonijs argumentum efficaciſſimum deſumitur pro ipſorum Primatu. Si enim ſemper Romani Pontifices toto terrarum Orbe Primatus ſui iura manifeſtarunt, eaque non vi, aut tyrannide, ſed paterna cura, & ſollicitudine exercuerunt, quid aliud cogitare poſſumus, quàm

quàm Primatum illum perpetuo, ac hæreditario iure ad ipſos deriuatum eſſe, & ex Chriſti inſtituto ortum ducere, vt tot Pontifices profeſſi ſunt, quot in Cathedra Petri ſederunt: quorum teſtimonia ne in cauſa propria minoris momenti eſſe quiſquam objiciat, vix alia citanda eſſe iudicaui, quàm illorum, qui aut doctrina & pietate conſpicui, aut Vitæ Sanctitate illuſtres, aut martyrio, & miraculis clari Petri Sedem ornarunt, & coram ipſis Gentibus, & Hæreticis teſtimonium fide dignum protuliſſe cenſendi ſunt.

# CAPVT QVINTVM.

*Quòd omnes totius Orbis Eccleſiæ Primatum Romani Pontificis agnouerint.*

QVamuìs Romanorum Pontificum teſtimonia, quæ ſuperiùs ordine Chronologico ex omnibus æræ Chriſtianæ ſæculis adduximus, tot, taliaque ſint, quæ fide digna apud omnes videri poſſint, ne tamen Religionis Catholicæ Aduerſarij nobis objiciant, Pontifices in re propria legitimos teſtes eſſe non poſſe, etiam in hoc ijs morem geremus, & quod Pontifices Romani de Primatu ſuo dixerunt ab omnibus totius Orbis Eccleſijs ſuſceptum fuiſſe, demonſtrabimus, ea ratione omnem cauillandi anſam Catholicæ Religionis aduerſarijs erepturi. Si enim oſtenderimus illa primatus iura, quę Romani Pontifices vbique terrarum publicarunt, ab omnibus totius Orbis Eccleſijs ſuſcepta fuiſſe, omneſque populos, & gentes, quæ veram fidem vnquam admiſerunt, ea venerabundè agnouiſſe; nullus ne quidem apud Perduelles Catholicæ Religionis hoſtes ambigendi locus relinquitur, quin Romani Pontifices, eum Primatum iure, & legitimè obtinuerint, cuius iura omnes Catholici ſemper agnouerunt: vt enim rectè obſeruat Vincentius Lerinenſis in commonitorio lib. 1. *Quod omnes pariter vno, eodemque conſenſu apertè, frequenter, perſeueranter tenuerunt, ſcripſerunt, docueruntque, id ſibi quiſque intelliget abſque dubitatione eſſe credendum.* Quare, vt quæ ad primatum Romani Pontificis ſpectant, meliori qua fieri poſſit methodo proponantur, ſingularum Gentium Eccleſias ordine geographico percurremus adducturi ex ijs ſelecta Synodorum, Patrum, & Scriptorum teſtimónia, quæ ſingularum nationum ſenſum tam clarè, tam dilucidè explicabunt, vt à nemine communis huius veritatis traditio negari poſſit.

## ARTICVLVS PRIMVS.

### *Quòd Paleſtina, & Syria Romani Pontificis primatum ſuſceperint.*

*1. Primis Eccleſiæ ſæculis Theophilus Cæſareenſis in quæſtione de Paſchatis die, & Aurelianus Imperator in cauſa Pauli Samoſateni Patriarchæ Antiocheni de Romani Pontificis Primatu teſtimonium reddiderunt.*

*2. Quarto ſæculo occaſione controuerſiæ de Sede Antiochena D. Hieronymus cum Monachis Syriæ ſupremam Romani Pontificis auctoritatem venerati ſunt.*

*3. Eandem admittebant illi ipſi, qui de Sede Antiochena contendebant, & qui pro contendentibus intercedebant, vt D. Chryſoſtomus, & Theophilus Alexandrinus.*

*4. Idem palam oſtendit Theodoretus Cyri in Oriente Epiſcopus in duabus epiſtolis ad Leonem Magnum, qui Patriarcham Antiochenum ſibi ſubiectum fuiſſe demonſtrat.*

1. VT autem ab illa Religione initium ducam, in qua religio Chriſtiana orta eſt, memoria repetenda ſunt, quæ ſuperiori capite ex actis Synodi Paleſtinæ adduximus de Paſchatis controuerſia. Non ſolùm enim Romanus Pontifex Victor ad Theophilum Cæſareenſem in Paleſtina Epiſcopum auctoritatem direxit, vt Synodum pro controuerſia illa diiudicanda conuocaret, ſed Theophilus quoquè totius Paleſtinæ Metropolitanus Victoris Papæ iuſſis obtemperauit; & vbi Narciſus Hieroſolymorum, cæterique Epiſcopi ex vicinis Prouincijs conuenerant, tunc *Theophilus Epiſcopus protulit auctoritatem ad ſe miſſam Papę Victoris, & quid ſibi operis fuiſſet iniunctum oſtendit*, vt referunt Acta Synodi in antiquo MS. Codice Bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ, ex quorum verbis dilucidè apparet, Theophilum Cæſareenſem ſummam Victoris Papæ auctoritatem obtemperando agnouiſſe, & coram Patribus Concilij ſine vlla hęſitatione profeſſum eſſe. Eandem verò Romani Pontificis authoritatem in cauſa Pauli Samoſateni Antiocheni Epiſcopi ab omnibus Orientis Epiſcopis ſynodicè damnati agnouit alius Cæſareenſis in Paleſtina Epiſcopus Euſebius, dum lib. 7. hiſtoriæ, cap. 24. verſionis Chriſtophorſoni narrat, *Quòd cum Paulus ex Epiſcopi Domo eius Eccleſiæ propria, exire nollet, Imperator Aurelianus de ea re rogatus ſententiam, ſanctiſſimè quid eſſet agendum, decreuit: præcepit enim, vt Domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italię, & Vrbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præſcriberent.* Nihil aliud enim ſignificat Euſebius, dum affirmat Aurelianum Imperatorem ſanctiſſimè decreuiſſe, vt Pauli Epiſcopi cauſa iudicio Romani Pontificis determinanda eſſet, quam Romanum Pon-

tificem ſuprema Sedis ſuæ authoritate controuerſiam de Patriarchę Antiocheni perſona motam decernere & iudicare debere.

2. Patet id quoq; ex controuerſia de Sede Antiochena quarto ſæculo exorta, dum Meletius, Paulinus, & Vitalis tres ſimul, & eodem tempore Orientalem iſtius Eccleſiæ Patriarchatum ſibi debere contendebant. Habitabat tunc in Syria D. Hieronymus, & in epiſtola prima, quam hac de re ad Damaſum Papam miſit: *Quoniam*, inquit, *vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam minutatim per fruſta diſcerpit, & Chriſti Vineam exterminant vulpes, vt inter lacus contritos, qui non habent aquam, difficile vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi; ideò mihi Cathedram Petri, & fidem apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam.* Et infrà: *Quamquàm igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à Sacerdote victimam ſalutis, à Paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia Romani culminis, cum Succeſſore Piſcatoris, & Diſcipulo crucis loquor: Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc Domum Agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante Diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbarię fine diſterminat: nec poſſum Sanctum Domini tot interiacentibus ſpatijs à Sanctimonia tua ſemper expetere. Ideò hic Collegas tuos Aegyptios Confeſſores ſequor, & ſub onerarijs nauibus parua nauicula deliteſco. Non noui Vitalem, Meletium, reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit.* Hæc in prima Epiſtola Magnus Eccleſiæ Doctor Hieronymus, qui dum in Syria inter Monachorum turbas Eremum, & ſolitudinem inhabitabat, ac à cunctis rogaretur, vt vni ex tribus de Patriarchatu Antiocheno contendentibus adhæreret, ſcripſit in ſecunda ad Damaſum Epiſtola: *In tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat: Monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit authoritas. Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt, Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret: nunc autem duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obteſtor Beatitudinem tuam per crucem Domini ..... vt mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices.* Hæc Hieronymus ad Damaſum Romanum Pontificem, quem ſe ideò magnæ illius contentionis iudicem, & arbitrum agnoſcere fatetur, quia

in

in Petri Cathedra, ſupra quam ædificata eſt Eccleſia, ſedebat, & auctoritate Apoſtolica omnes totius Mundi Eccleſias gubernabat.

3. Dum hanc Damaſi auctoritatem inter Monachorum Cœtus agnoſcebat Hieronymus, dum neceſſitatem, quam omnes Eccleſiæ habebant conueniendi cum ſucceſſore Petri, in Syriæ ſolitudinibus prædicabat, alta voce exclamans: *Si quis Cathedræ Petri, iungitur, meus eſt*: tunc omninò in ipſius Syriæ Metropoli tres illi, qui de Orientis Patriarchatu contendebant Paulinus, Meletius, & Vitalis hanc veritatem agnoſcebant, aſſerentes & ipſi, ſe Damaſo Papæ communione ſociari, ipſique adhærere: *Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt*, teſtatur in ſecunda ad Damaſum Epiſtola Hieronymus, idque teſtando Damaſi authoritatem à Syris, & Orientalibus agnitam fuiſſe fatetur, quod & totius rei exitu comprobari poteſt. Cùm enim poſt longum Antiochenæ Eccleſiæ Schiſma Flauianus in Meletij locum conſtitutus eſſet, narrat Sozomenus lib. 8. cap. 3. quòd, quamprimùm ad Epiſcopatum peruenit, Theophilum Patriarcham Alexandrinum orauerit, vt in hoc ſibi auxilium ferret, quo Flauianus in gratiam Romani Epiſcopi reduci poſſet. Et Georgius Patriarcha Alexandrinus in vita Chryſoſtomi affirmat Theophylum Chryſoſtomi precibus annuiſſe, Legatumque ſuum Iſidorum Romam miſiſſe: *Illo tempore contigit Iſidorum in Ciuitate Imperiali, nimirum Romæ vitam degere: fuerat ſiquidem à Theophilo ipſo amandatus ad Damaſum Romæ Epiſcopum, vt Flauiano Antiocheno Epiſcopo gratiam, ſocietatemque impetratam obtineret, adferretque*. Ex quibus illud in primis obſeruatione dignum colligitur, tam certò illis temporibus conſtitiſſe, controuerſiam de Patriarchatu Antiocheno ad Romanum Pontificem ſpectaſſe, quòd duo præcipui Orientis Epiſcopi Chryſoſtomus Conſtantinopolitanus, & Theophylus Alexādrinus apud Romanum Pontificem cauſam Flauiani egerint, & eius ordinationis defectus Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſuppleri rogauerint, ac demum Innocentij Sanctiſſimi Pontificis temporibus, vt Theodoretus lib. 5. cap. 23. teſtatur, Flauianus miſſis ad Vrbem Orientalis ſuæ Diæceſis Epiſcopis *cum aliquot Presbyteris, atque Diaconis Antiochenſis Eccleſiæ* res ſuas poſt 17. annorum contentionem compoſuerit, & in communionem admiſus ſit: Quarè Bonifacius Innocentij I. ſucceſſor ſcripſit, in Epiſtola ad Ruſum Theſalonicenſem, & alios Illyrici Epiſcopos: *Cùm Antiochena Eccleſia per multum temporis laboraret, ita ut fierent illinc propter hoc ipſum ſæpè diſcurſus, primo ſub Meletio, poſteà ſub Flauiano, Apoſtolicam Sedem manifeſtum eſt eſſe conſultam: ad*

*cuius*

*cuius authoritatem poſt multa, quæ ab Eccleſia noſtra geſta ſunt, nemini dubium eſt Flauianum communionis gratiam recepiſſe, qua in perpetuum caruerat, niſi hinc ſuper hoc ſcripta manaſſent.*

4. Quid commemorem Anaſtaſium Papam à Ioanne Hieroſolymorum Epiſcopo de Origenis libris à Ruffino in Latinum verſis fuiſſe conſultum? vt patet ex 3. Anaſtaſij Epiſtola, cuius Hieronymus meminit apologia 3. aduersùs Ruffinũ. Theodoretus Cyri in Oriente Epiſcopus epiſ. 113. ad Leonem Magnum ſcripſit: *Si Paulus præco veritatis tuba Spiritus Sancti ad magnum Petrum ſe contulit, vt ijs, qui Antiochiæ de legali conuerſatione ambigebant explicationem ab illo referret, multò magis nos humiles & puſilli ad Apoſtolicam Sedem Veſtram accurrimus, vt Eccleſiarum vlceribus remedium à Vobis accipiamus.* Et in epiſtola 116. ad Renatum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum: *Oro Sanctitatem tuam Sanctiſſimo & Beatiſſimo Archiepiſcopo perſuadeat, vt Apoſtolica auctoritate vtatur, & ad Concilium veſtrum auolare præcipiat: habet enim Sanctiſſima illa Sedes Eccleſiarum, quæ in toto ſunt Orbe Principatum multis nominibus.* Ita Theodoretus poſtquàm ſex & viginti annis Epiſcopatui ſuo Cyrenſi præfuiſſet, & octingentarum Eccleſiarum, tot enim Cyrus habebat Parochias, ſub varijs Antiochenis Patriarchis paſtoralem curam geſſiſſet, quique conſequenter perſpectum habebat, quid iuris Romano Epiſcopo in Antiochenum Patriarchatum competebat: Vnde eam, quam in omnes totius Orbis Eccleſias curam, ſollicitudinemque gerebat Leo Magnus, etiam ad Orientem ſeſe protendere ſignificauit epiſt. 113. ad Theodoretum, dum Monachos non preſbyteros in Diœceſi Cyrenſi prædicare prohibuit, affirmans ſe ea de re generale mandatum edidiſſe, *quod*, inquit, *pro vtilitate Vniuerſalis Eccleſiæ per prædictum fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Maximum ad omnium volumus peruenire notitiam.* Quo loquendi modo Leo innuit ſibi auctoritatem in Patriarchatum Orientis cõpetere, idq; extra omnem controuerſiam eſſe: *Cùm*, inquit, *ea quæ Maximo Patriarchæ Antiocheno iniunximus, non dubitamus implenda.* Atque hæc quidem de Syria pauca ex multis, ſed antiquiora, & illuſtriora Patrum, & Scriptorum teſtimonia, nunc ad alias Orbis Catholici partes properemus.

A R-

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *Quòd Pontus, Aſia, & Thracia ſupremam Sedis Apoſtolicæ authoritatem admiſeri nt.*

*1. Quidnam initio Eccleſiæ Ponti Regio de Primatu Romani Pontificis ſenſerit, ex facto Marcionis Pontici oſtenditur.*

*2. Deinde ex ijs, quæ occaſione Schiſmatis Nouatiani contigerunt in Aſia, Ponto, & Thracia earundem regionum ſenſus indagatur, & ex Cypriani, & Dionyſij Alexandrini epiſtolis elicitur.*

*3. Ex S. Baſilij quoquè Cæſareenſis in Cappadocia Epiſcopi teſtimonijs Primatum Romani Pontificis in Cappadocia, & omni Ponto receptum fuiſſe, probatur.*

*4. Pro Thracia D. Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Epiſcopi teſtimonium adfertur.*

*5. Adduntur teſtimonia Socratis, Sozomeni, S. Flauiani, aliorumque.*

*6. Idem confirmauit Ciuitas Conſtantinopolitana in ſuſceptione Ioannis Papæ, Iuſtinus, & Iuſtinianus Imperatores Conſtantinopoli reſidentes, ad quem vltimum venit Patarencis in Lycia Epiſcopus, illuſtre de Primatu Romani Pontificis teſtimonium reddens, ob quod Iuſtinianus Siluerium Papam ab exilio reuocat.*

1. PRoxima Syriæ adiacet magna Ponti regio, in qua primis Eccleſiæ temporibus natus eſt Marcion, qui à patre Epiſcopo ob ſtupri delictum communione priuatus nullo modo pacem ab eo obtinere potuit: *Quarè* vt inquit Epiphanius hæreſi ... *Romam poſt Hygini Papæ obitum Marcion ſe contulit.* Vt cõmunionem ibi impetraret, vbi ſupremam ſoluendi, & ligandi poteſtatem vigere cũ omni Ponto, & toto Mundo credebat. Quamuìs autem Marcion Ponticus à Clero Romano poſt Hygini obitũ hanc pacem nequaquam obtinuerit, & pro reſponſo à Presbyteris Romanis acceperit, *Nobis iniuſſu venerandi Patris tui facere iſtud non licet*, eam tamen ab Epiſcopo, qui poſt Hyginum Epiſcopus Romanus conſecratus eſt, obtinuit, vt libro de præſcriptionibus cap. 30. clariſſimè innuit Tertullianus, dum Marcionem Ponticum ſemel atque iterum ab Eccleſia eiectum fuiſſe affirmat, adiungens, quòd *poſtmodum Marcion pœnitentiam confeſſus cum conditioni datæ ſibi occurrit, ita recepturus, ſi cœteros quoquè, quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret.* Hac enim conditione iam tertiò à Romano Pontifice reſtituendus erat, à quo paulò poſt vicinæ Ponto Eccleſiæ Montani, & Sequacium erroribus infectæ pacem petierunt, obtinueruntque teſtante eodem Tertulliano libro contra Praxeum, quod *Zephyrinus tunc Romanus Epiſcopus pacem Eccleſijs Aſiæ & Phrygiæ inferebat*, quamuìs poſteà litteras pacis reuocauerit, vt idem Tertullianus commemorat, ex quibus tamen omnibus clariſſimè apparet, primis Eccleſiæ ſæculis adeò manifeſtum fuiſſe, quòd penes Romanum Pontificem eſſet ſuprema Ecle-

cleſiæ auctoritas ligandi, & abſoluendi etiam illos, qui in remotiſſimis Prouincijs degebant, vt Aſiæ, Phrygiæ, & Ponti finitimæ Eccleſiæ eam agnoſcerent, & eos qui à Romano Pontifice ſoluti eſſent, pro ſolutis, quique ligati forent pro ligatis haberent.

2. Aequè manifeſtum eſt auctoritatis apoſtolicæ argumentum, quod tertio ſæculo ex ijs, quæ obi Schiſma Nouatianum contigerũt in Aſiæ, Ponti, & Syriæ Prouincijs. Cùm enim Romani Pontificis auctoritas tanti vbique fieret, vt Decius Romanorum Imperator, teſte Cypriano in epiſtol. 52. ad Antonianum, *multò patientiùs, & tolerabiliùs audiret leuari aduerſus ſe æmulum Principem, quàm conſtitui Romæ Dei Sacerdotem*. Tunc Nouatianus contra Cornelium Papam Petri Cathedram vſurpare contendit; & vt Cyprianus epiſt. 42. ad Cornelium ſcribit: *Contra Sacramentum ſemel traditum diuinæ diſpoſitionis, & Catholicæ vnitatis, adulterum, & contrarium caput extra Eccleſiam fecit*. Et infrà, quòd, *cùm iam pridem per omnes Prouincias, & per Vrbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi, ille ſuper eos creare alios Pſeudoepiſcopos audeat, quaſi poſſit aut totum Orbem noui conatus obſtinatione peragrare, aut Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ ſeminatione reſcindere*. Addit Socrates lib. 4. hiſtoriæ cap. 23. quòd ſcripſit *ad omnes vbique Eccleſias: ne eos, qui Dæmonibus immolauerant, ad Sacra Myſteria admitterent*. Contra quam ſtatuebat Stephanus, qui ſcriptis pariter litteris ad omnes vbique Eccleſias, *ijs, qui poſt baptiſmum deliquiſſent, indulgentiam ſpondebat*; eodemque tempore Nouatiani artes in vſurpanda Petri Cathedra ſignificabat. Extant hac de re litteræ Cornelij Papæ ad Fabium Patriarcham Antiochenum quas Euſebius lib. 6. c. 35. recitat. Non ſolùm enim in partibus Occidentis, ſed Orientis quoquè, Syria nimirum, Ponto, & Aſia ob hanc de Romano Pontificatu diſcordiam Catholici omnes fuere diuiſi, ſcribente ad Stephanum Cornelij ſucceſſorẽ Dionyſio Patriarcha Alexandrino; tunc demum vnitas fuiſſe cunctas per Orientem, & adhuc vlteriores Eccleſias: *Omnes etiam*, inquit, *Eccleſiarum Præſides, qui vbique locorum ſunt, ſummo animorum conſenſu conſpirare, & ob pacem hanc præter omnium expectationem conſtitutam incredibili lætitia affici: Demetrianum dico Antiochiæ Epiſcopum, Theotiſtum Cæſareæ, Mazabanem Aeliæ, Marinum Tyri mortuo Alexandro, Epiſcopum Heliodorum Laodiceæ defuncto Thelymidro, Epiſcopum Helenum Tarſi, & cunctas Ciliciæ Eccleſias, Firmilianum etiam, & totam Cappadociam*. Et infrà: *Meſopotamia quoquè Pontus, atque Bithynia, & ne longum faciam, omnes vbi-*

 *que*

*que gaudio exultant, & vno animorum conſenſu, ac fraterna charitate Deo gloriam impertiunt.* Grauiſſimos per Orientem tumultus ob cauſam Nouatiani tempore Cornelij excitatos, ſub Stephano demum ſopitos eſſe refert Dionyſius rationem adiungens in alia ad Nouatianum epiſtola: *Eò quòd hìc totius Eccleſiæ negotium agebatur.* Nempe tantæ authoritatis habebatur illis temporibus Romanus Eccleſiæ Pontifex, vt illius cauſa totius Eccleſiæ negotium cenſeretur, quia ipſius authoritate tota Eccleſia regebatur. Hinc Schiſmate Romano non ſolùm Vrbis Clerus, non tantùm Italiæ regiones, non totius dumtaxat Occidentis Patriarchatus, ſed Eccleſiæ quoquè Orientales turbatæ erant, & inter ſe diſſidebant, & quod hoc articulo demonſtrandum ſuſcepimus Ponti, & Aſiæ Prouinciæ rem ſuam agere credebant, dum pro capitis Eccleſiæ ſtabilitate certabant.

3. Graues quarto ſæculo ex Hęreticorum inſidijs moleſtias totius orbis Eccleſiæ paſſæ erant, & Ariminenſis Concilij exitus turbauerat omnes Orientis Epiſcopos, inter quos tunc Sanctitate, & doctrina celeberrimus viuebat D. Baſilius Cæſareenſis in Cappadocia Epiſcopus, & totius Ponti Exarcha, qui mali remedium quærens, & tantæ tragœdiæ finem imponere deſiderans epiſt. 71. ad Damaſum Papam, & Occidentis Epiſcopos ſcripſit: *Cùm itaque ad hunc modum ſe habeant res noſtrę, debebant continuò à dilectione veſtra ex ſinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos, & oppreſſos inuiſerent, & multò crebriùs amicæ ad nos veſtræ deſtinari litteræ, quibus nos in propoſito confirmaremur, vel ſi qua in re offendimus, corrigeremur.* Et epiſt. 46. D. Athanaſij opem implorat, vt eius interceſſione Romanus Pontifex permoueri poſſit ad Legatos in Orientem mittendos: *Viſum eſt autem mihi conſentaneum*, inquit, *vt ſcribatur Epiſcopo Romæ, vt quæ hìc geruntur, conſideret, detque conſilium: & quoniam difficile eſt, vt communi, ac ſynodico decreto aliqui illinc mittantur, ipſe ſuæ auctoritate in iſta cauſa vſus Viros eligat ad ferendas quidem itineris moleſtias idoneos; Verùm iuxta ad hoc quoquè accomodos, vt manſuetudine, & facilitate ingenij, eos qui diſtorti, & obliqui apud nos ſunt, corrigant, aptè, ac diſpenſatione ſermonem attemperantes, omniaque ſecum habentes, quæ in Arimino ad neceſſariam ſolutionem geſtorum illic facta ſunt.* Clara ſunt hæc Baſilij verba, quibus teſtatur, quanti Romani Pontificis authoritas facienda ſit, quanti æſtimanda. Cùm enim Orientis Eccleſijs diſſidijs, & erroribus oppreſſis nullum ampliùs remedium obtinendæ pacis ſupereſſet, non Exarchi, non Patriarchæ, non Concilij, ſed Romani Pontificis tamquam

quam totius Eccleſiæ primatum obtinentis auctoritatem interpellauit, vt ea collapſæ Eccleſiæ reſtituerentur, diſtorti & obliqui corrigerentur, & quæ iniquè apud Ariminum à quadringentis Epiſcopis acta erant, diſſoluerentur. Hæc Baſilius Magnus illa manu ſcripſit, qua Omnipotentis Dei ope manum Valentis Imperatoris contra ipſum ſententiam ſcribentis immotam reddidit.

4. Hactenus ex Ponti, & Aſię Prouincijs teſtimonia adduximus, quibus de ſumma Romani Pontificis auctoritate ab earum fidelibus agnita conſtat, nunc ad Thraciam in Europæ finibus ſitam properemus. Cùm enim tranſlata per Conſtantinum in Thraciæ Metropolim Imperij Sede Regiæ Ciuitatis Epiſcopi illuſtriores reddi, & præcipui Orientis Viri ad eius Sedem promoueri cœperunt, inter quos meritò enumerandus Magnus ille Chryſoſtomus, qui ex Presbytero Antiocheno Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatus eſt, & à Theophilo Alexandrino in Concilio plurimorum Epiſcoporum depoſitus, ac in exilium abductus, Innocentij Primi Sanctiſſimi Pontificis tribunal appellauit, & ſcripta ad eum epiſtola rogauit: *Dignum veſtræ conſtantiæ, & congruum robur, ac ſtudium ſumite, & hanc perniciem, quæ inuaſit Eccleſias, oramus, auertite. Nam ſi hæc inualuerit conſuetudo, & licitum fuerit cuique ex adeò remotis partibus in alienas Prouincias, prout voluerit ingredi, & eijcere quoſcunque libuerit, & pro voluntate omnia gerere, non ignoratis maturè cuncta peritura, bellumque ſæuiſſimum occupaturum Orbem vniuerſum omnibus laceſſentibus inuicem. Ne igitur immanis iſta confuſio cuncta percurrat, & vbique dominetur; ſcribite, precor, & authoritate veſtra decernite, huiuſmodi iniquè geſta nobis abſentibus, & iudicium non declinantibus nullius eſſe roboris, ſicut per ſuam naturam ſunt profectò, & irrita, & nulla. Porrò qui talia geſſere, eos Eccleſiaſticæ cenſuræ ſubijcite: Nos autem inſontes, neque conuictos, neque deprehenſos, neque vllius criminis reos comprobatos Eccleſijs noſtris iubete reſtitui.* Et hæc quidem in epiſtola ad Innocentium I. Magnus Chryſoſtomus: qui dum rogat, & precatur, vt Sanctiſſimus ille Pontifex auctoritate ſua vtatur, nullam aliam auctoritatem intelligit, quàm illam Apoſtolicam, qua ſupra vniuerſam Orbis Eccleſiam conſtitutus, curam, ſollicitudinemque ſuam ad res Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ componendas extendere, iudicium Synodicum peruersè redditum irritare, Auctores iniuſtæ ſententię cenſuris Eccleſiaſticis ſubijcere, & illegitimè depoſitum Sedi ſuæ reſtituere deberet.

5. Diſertis verbis hanc ſupremam Romani Pontificis auctoritatem in Thracia profeſſi ſunt

plures Scriptores, & Patres, qui ibi poſt Magni Chryſoſtomi obitum floruerunt. Ac Socrates inprimis lib. 2. cap. 11. ideò Paulum Conſtantinopolitanum, Lucium Adrianopolitanum, alioſque ex Aſia Epiſcopos ab Euſebianis damnatos Romam confugiſſe docet. *Quoniam Eccleſia Romana priuilegium præter cæteras obtinebat*. Et clariùs Sozomenus lib. 3. cap. 7. de iiſdem Epiſcopis agens, qui ad Iulium I. confugerant, tradit, quòd Iulius Papa, *cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit*. Ita duo Auctores Græci, qui Conſtantinopoli ſcripſerunt, & hanc regulam ab antiquiſſimis temporibus in Eccleſia receptam fuiſſe affirmant, quòd abſq; Romani Pontificis ſententia non liceat de rebus ad vniuerſam Eccleſiam ſpectantibus ſtatuere: Quarè in Concilio Chalcedonenſi Lucentius Epiſcopus Dioſcorum damnandum eſſe aſſeruit, quia *cùm iudicandi perſonam non haberet, preſumpſit; & Synodum auſus eſt facere ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunqam licuit, nunquam factum eſt*. Et S. Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus à Dioſcoro in Latrocinio Epheſino abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate iudicatus ad eam appellauit, referente Valentiniano III. Imperatore epiſtola ad Theodoſium: *Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum*, Romanum ſcilicet Pontificem, *per libellos appellauit*. Et narrante Liberato Archidiacono Carthaginienſi in Breuiario: *Flauianus autem contra ſe prolata ſententia, per eius Legatos Sedem Apoſtolicam appellauit libello*. Flauianus Conſtantinopolitanus ad Leonem Magnũ appellans ſecutus eſt exẽplum Eutherij Thyanenſis,& Helladij Tharſenſis, qui ad Xixtum Leonis immediatum Anteceſſorẽ prouocarunt, quorum appellationis inſtrumentum ex m.ſ. Codice Caſſinenſi nuper protulit ChriſtianusLupus in opere continente appellationes factas ad Romanum Pontificem ibi enim in Diſsert.IV. cap.3.extat epiſt.prędictorumEpiſcoporum affirmantium, per Sixtũ Orbem terrarum liberandum eſſe ab errore, ſicut Sedes Apoſtolica ſemper ſuffecit ad ſimilia prȩſtãda: *Sufficit*, inquit, *Veſtra Apoſtolica Sedes per vniuerſum tempus illud ad mendacium conuincẽdum, impietatemque reprimendam, & corrigenda quę neceſſarium fuit, muniendumque Orbem terrarum .... cuius rei gratia, & nos pręſumimus has ſupplicationes offerre, vt adiuuetis Orbem terrarum: Et in illa parte quæ errat, & in illa quæ tyrannidem ſuſtinet:* Et poſt plura: *Rogamus verò, & Sanctis tuæ Religionis prouolnimur pedibus, vt manum porrigas ſalutarem, & auferas Mundi naufragium, omniumque horum inquiſitionem iubeas fieri, & his illicitis cœleſtem ſuperduci correctio-*

*rectionem*. Hæc præfati Epiſcopi cum alijs ex Euphrateſia, vtraque Cilicia, ſecunda Cappadocia, Bithynia, Theſſalia, & Moeſia. Quarum Regionum concors ſententia erat, ad Sedem Apoſtolicam ſpectare curam Orbis terrarum; vnde & Orientales Epiſcopi in litteris ad Symmachum Papam affirmant: *Qui quotidie à Sacro Doctore tuo Petro doceris oues Chriſti per totum habitabilem mundum creditas tibi paſcere*. Et Iuſtinianus Imperator Epiſtola ad Hormiſdam: *Vnitas Sanctarum Eccleſiarum per doctrinam, & auctoritatem Apoſtolatus veſtri prouenit*.

6. Porrò quanta veneratione Thracia olim ſuſpexerit Romanum Pontificem, illuſtri planè exemplo Conſtantinopolitana Ciuitas teſtata eſt, dum Ioannem I. pro rebus Italiæ componendis aduenientem ſuſcepit: *Cùm enim appropinquaſſet Ciuitati*, inquit Auctor libri Pontificalis in codice vaticano 4985. *Ipſe Rex & omnis Ciuitas obuiam venit cum Cereis, & Crucibus, quaſi Beatus Petrus præſentialiter adeſſet*. Et alij codices adiungunt, quòd *Iuſtinus Auguſtus dans honorem Deo humiliauit ſe pronus in terram, & adorauit Beatiſſimum Papam Ioannem*. Et Iuſtinianus, qui poſt Iuſtinum imperium obtinuit, litteras per Hypatium, & Demetrium Legatos ſuos ad Ioannem II. miſſas ita inchoat: *Reddentes honorem Apoſtolicæ Sedi, & veſtræ Sanctitati, quod ſemper nobis in voto fuit, & eſt, vt & decet Patrem, honorantes veſtram Beatitudinem, omnia quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinauimus ad notitiam deferre veſtræ Sanctitatis ..... nec enim patimur quidquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ Caput eſt omnium Sanctarum Eccleſiarum*. Ex quibus colligitur, quam ob cauſam idem Imperator ſcripſerit: *Itaque omnes Sacerdotes vniuerſi orientalis tractus, & ſubijcere, & vnire Sedi veſtræ properauimus*. Et qua ratione Patarenſis in Lycia Aſiæ Prouincia Epiſcopus monuerit Iuſtinianum de Syluerio Papa in exilium truſo: *Syluerio enim veniente Pataram*, inquit Liberatus Archidiaconus in Breuiario capite 22. *Venerabilis Epiſcopus Ciuitatis ipſius venit ad Imperatorem, & iudicium Dei conteſtatus eſt de tantæ Sedis Epiſcopi expulſione, multos eſſe dicens in hoc Mundo Reges, & non eſſe vnum ſicut ille Papa eſt, ſuper Eccleſiam Mundi totius, ſua Sede expulſus; quem audiens Imperator, reuocari Romam Syluerium iuſſit*. Atque hæc ſufficiant de Aſia, Ponto, & Thracia, nunc de alijs Orbis Romani Regionibus, quæ prædictis adiacent loquamur.

AR-

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *Quòd Illyricum Romani Pontificis Primatum venerabundè agnouerit.*

*1. Illyricum ſub quo Græcia vniuerſa continetur, Romani Pontificis Primatum agnouiſſe ex Corinthiorum Eccleſia, eiuſque Epiſcopo Dionyſio oſtenditur.*

*2. Illyrici Epiſcopi idem fatentur tempore Concilij Ariminenſis, vt ex litteris illorum ad Epiſcopos Aſianos monſtratur.*

*3. Theſſalonicenſes Epiſcopi à Damaſi temporibus hunc primatum palam admiſerunt, dum Sedis Apoſtolicæ vices per Illyricum ſuſcepere, vt Innocentij I. teſtimonio docetur.*

*4. Innocentij, aliorumque Pontificum teſtimonia coram Bonifacio II. adduxit Theodoſius Echinienſis in Theſſalia Epiſcopus, qui Primatum Romani Pontificis apertè affirmat.*

1. THraciæ adiacet Illyricum, quod terminos ſuos vſq;ad mare Mediterraneum, & Adriaticum protendit, & Macedoniam, atque Achaiam felices in primis Regiones comprehendebat, vtpote in quibus artes, & ſcientiæ natæ videntur. Hìc enim Pictura, Sculptura, Medicina, Iuriſprudentia, Rhethorica, Dialectica, Philoſophia, cœteræque veterum ſcientiæ ortæ ſunt, & domicilium ſuum longo temporum ſpatio collocarunt. Hìc Academiæ, hìc Areopagus viſebatur, in quo Paulus Dionyſium Athenienſem ad fidem conuertit. Hìc Philippenſes, Theſſalonicenſes Sedes ſuas habebant, ad quos Gentium Doctor epiſtolas de Religione Catholica tranſmiſit. Hìc Patræ, vbi Andreas Chriſti Apoſtolus docuit, & pro Magiſtri ſui amore glorioſum crucis Martyrium ſubijt. Hìc Corinthus, in quo Petrus Euangelium prædicauit, & primitiuos fideles baptiſmatis Sacramento Eccleſiæ peperit, vnde orta inter fideles diſſenſione ad Petri Succeſſorem Romanum Pontificem Clementem eius nominis I. confugerunt, qui teſte Irenæo potentiſſimas litteras ad Corinthios ſcripſit; quas tanta cum veneratione ſuſceperunt, vt Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus in epiſtola ad Romanos teſtetur, tam eam, quam aliam Soteri epiſtolam Scripturæ inſtar coram fidelibus in Eccleſia legi conſueuiſſe. *Hodie*, inquit, *Sacrum diem dominicum, in quo epiſtolam veſtram legimus, quam quidem perpetuò deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis à Clemente ſcriptam epiſtolam optimis præceptis, ac documentis abundabimus*. Ita Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, apud Euſebium lib. 4. cap. 13. Verſionis Valeſianæ: ex quibus patet, quanta animi ſubmiſſione, quanta reuerentia, & veneratione Romani Pontificis litteras accipiebant, & quæ in ijs præcepta erant, perpetua in Eccleſijs recitatione cuſtodire

dire

dire nitebantur.

2. Dolendum omnino eſt, pauca tam illuſtris Eccleſiæ monimenta ad ætatem noſtram tranſmiſſa fuiſſe, vnumque ex toto Illyrico poſt Nicæni Concilij tempora Epiſcoporum teſtimonium ſupereſſe. Cùm enim Ariani in Concilio Ariminenſi fidem peruertere ſtuduiſſent, Illyrici Epiſcopi in vnum congregati Ariminenſis Synodi ſtatuta contempſerunt, & ſcriptis ad Aſianæ Diœceſis Epiſcopos litteris, affirmant: *Itaque coacti ſumus Dominum, & Collegam noſtrum Elpidium cum litteris Roma, quæ eſt caput Imperij ad vos mittere, vt diſcat vtrum Veſtra prædicatio ita ſe habeat, an non?* In quibus verbis illud notatu dignum occurrit, Illyrici Epiſcopos non auctoritate ſua Coepiſcopum Elpidium ad Aſianos miſiſſe, ſed authoritate Romani Pontificis, quia ad illum totius Eccleſiæ curam, ſollicitudinemque ſpectare apud omnes conſtabat, ſcribente illis temporibus D. Hieronymo in Dalmatia Illyrici Occidentalis Prouincia nato, & coram Orbe vniuerſo teſtimonium de Romani Pontificis primatu perhibente, vt ex litteris ipſius ad Damaſum Papam oſtendimus ſuprà.

3. Quamuis autem pleraque Illyricarum Eccleſiarum monimenta perierint, vt iam notauimus, non deſunt tamen Pontificum litteræ, ex quibus colligitur, quàm plura olim extitiſſe, ex quibus Primatus Romani Pontificis confirmari poteſt: ipſe enim Damaſus Pontifex in Synodali epiſtola ad Epiſcopos Illyrici, illos monet, vt ab erroribus deſiſtant, qui ijs implexi erant, alioquin communione, & nomine Epiſcoporum priuandos denuntiat. Recitat hanc Damaſi epiſtolam Theodoretus lib. 2. cap. 22. Et in Romana hiſtoria bipartita aliæ eiuſdem Damaſi epiſtolæ ſcriptæ ſunt, ad Acholium Theſſalonicenſem Epiſcopum, quem Vicarium ſuum conſtitutum fuiſſe ſignificat; iniungit enim illi, vt procuret in Maximi locum Conſtantinopoli alium Epiſcopum ordinari. Et Siricus Damaſi Succeſſor Anyſio Theſſalonicenſi præcipit, ne ſinat abſque ſuo conſenſu Epiſcopos ordinari. Vnde Innocentius I. epiſtola inter Holſtenianas 4. ad eundem Anyſium de illo ipſo ſcribit: *Cui etiam Anteriores tanti, ac tales Viri prædeceſſores mei Epiſcopi, ideſt ſanctæ memoriæ, Damaſus, Siricius, atque ſupramemoratus Vir* (Anaſtaſium Papam intelligit) *ita detulerunt, vt omnia, quæ in illis partibus gererentur, Sanctitati tuæ, quæ plena iuſtitię, traderent cognoſcenda, meam quoquè paruitatem, hoc tenere iudicium, eandemque habere voluntatem te decet recognoſcere.*

4. Præclarum eſt allatum ſuprà Innocentij teſtimonium, quo vices Sedis Apoſtolicæ per totum Illyricum à Romanis Epiſcopis Anyſio Theſſalonicenſi impoſitas

fuiſſe

fuiſſe tradit, & ab eodem exerceri conſueuiſſe ſignificat: Ex hoc enim colligitur manifeſtè Romano Pontifici auctoritatem ſuper Illyricum competiiſſe ipſis Illyrici Epiſcopis apertè conſentientibus. Quarè idem Innocentius epiſtola inter Holſtenianas 5. ad Rufum Anyſij in Sede Theſſalonicenſi Succeſſorem ſcribit: *Diuinitùs ergo hæc procurrens gratia, ita longis interuallis diſterminatis à me Eccleſijs diſcat conſulendum, vt prudentiæ, grauitatique tuæ committendam curam, cauſaſque, ſiquæ exoriantur per Achaiæ, Theſſaliæ, Epiri veteris, Epiri nouę, & Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Moeſię Dardaniæ, & Preuali Eccleſias Chriſto Domino annuente cenſeam ..... non primitus ita ſtatuentes, ſed Pręceſſores noſtros Apoſtolicos imitati qui beatiſſimis Acholio, & Anyſio iniungi pro eorum meritis iſta voluerunt.* Quæ Innocentij verba clara ſunt, & Sedis Apoſtolicæ auctoritatem ſupra Illyricum tam apertè indicant, vt Bonifacius I. epiſtola inter Holſtenianas 6. Scripſerit ad eundem Rufum: *Frequentia igitur, vt ſcrinij noſtri monumenta declarant, ad charitatem tuam ex eius fonte ſcripta manarant, quibus ſollicitudinem Eccleſiarum per Macedoniam, & Achaiam ſitarum fraternitati tuæ .... certum eſt eſſe commiſſam.* Omitto Cæleſtini, Xiſti, & Leonis Sanctiſſimorum Pontificum teſtimonia, quæ omnia in Synodo Romana coram Bonifacio II. adduxit Theodoſius Echinienſis in Theſſalia Epiſcopus, ex illis conſtare aſſerens: *Romanos Pontifices, quamuìs in toto Mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi iure vindicet Principatum, & ſolam Eccleſiaſticis cauſis vndique appellare neceſſe ſit, ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vindicaſſe.* Quo teſtimonio nullum illuſtrius, præclariuſque in tota antiquitate reperiri poteſt, cum ab Epiſcopo Illyricano authenticis veterum Pōtificum monimentis comprobatum ſit, vt in actis Synodi Romanæ, ſub Bonifacio II. omnium oculis proponitur.

## ARTICVLVS QVARTVS.

### *Quòd Galliarum Eccleſiæ ſemper profeſſæ ſint Primatum Romani Pontificis.*

*1. Quid Gallia iam inde à primis temporibus ſenſerint de Primatu Romani Pontificis, Irænei teſtimonio probatur, cui concinnunt Galliarum Epiſcopi, & S. Proſper tempore Leonis Magni.*

*2. Idem oſtenditur ex Cæſario Arelatenſi, & S. Auito Vienneſi nomine Epiſcoporum Galliæ teſtimonium perbibente.*

*3. Sæculo octauo Synodus Gallicana ſub S. Bonifacio, Proceres Regni cum Carolo*

*Magno,*

*Magno, & poſt eum Lotharius temporibus. Leonis III. & IV. primatum Pontificis, editis decretis, vel conſtitutionibus, venerabundè agnouerunt.*

4. *Idem ſaeculo nono profeſſi ſunt Aeneas Pariſienſis Epiſcopus, Ratramnus Corbeienſis Monachus, Hincmarus Rhemenſis Metropolitanus etiam Caroli II. nomine ſcribens ad Ioannem VIII.*

1. AB Illyrico ad Galliarum Regiones procedimus, in quibus primis Eccleſiæ temporibus D. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, & Polycarpi diſcipulus floruit, ac libro 3. aduersùs hæreſes, cap. 3. disertè ſcripſit: *Quòd ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem eius principalitatem neceſſe ſit omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt vndique fideles*. In quibus verbis illa notatu digna ſunt: *propter potentiorem eius principalitatem*: His enim ſignificat vetuſtiſſimus ille Lugdunenſium Antiſtes, quòd in Romana Eccleſia reſideat ſuprema illa Sedis Apoſtolicæ auctoritas, de qua tres Galliarum Epiſcopi Ceretius, Salonus, & Veranus ſcripſerunt ad Leonem Magnum: *Meritò illic principatum Sedis Apoſtolicæ conſtitutum eſſe, vnde adhuc Apoſtolici Spiritus oracula referantur*. Agunt Epiſcopi illi de dogmatica Leonis Magni epiſtola ad Concilium Chalcedonenſe transmiſſa, *quæ non ſolùm Gallias*, vt in alia ad Leonem epiſtola loquuntur totius Galliæ Epiſcopi, *ſed totum Mundum velut pretioſiſſimis gemmis ornauit*. Vnde & adiungunt preces pro Leone, quia ab eo totius Eccleſiæ ſtabilitas pendebat: *Reſpiciat itaque, oramus, conſeruando Apoſtolatum veſtrum miſericors Dominus Eccleſiam ſuam toto Orbe diffuſam*. Et infrà: *Non deſinemus Domino Deo noſtro gratias agere, & pariter ſupplicare gratulantes, quòd tantæ Sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ Apoſtolicæ Sedi, vnde Religionis noſtræ, propitio Chriſto, fons & origo manauit, Antiſtitem dederit: petentes etiam, vt datum, conceſſumque munus Pontificij veſtri longiſſimè ad ædificationem Eccleſiarum ſuarum cuſtodiat*. Vbi Chriſti Eccleſiæ Pontificio muneri Leonis Magni diuinitùs ſubiectæ non obſcuris verbis indicantur, ſicut & clariſſimè ſignificauit S. Proſper Aquitanicus, qui ſub Leone Magno floruit, dum carmine de ingratis ſcripſit:

*Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris*
*Facta Caput Mundi quidquid non poſſidet armis,*
*Religione tenet.*

2. Clarè etiam Sedis Apoſtolicæ Primatum in exemplo libelli Symmacho Papæ circa annum 513. oblati, profitetur Cæſarius Arelatenſis in Gallia Epiſcopus, ita enim libellum orditur: *Sicut in Perſona Beati Petri Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium; ita neceſſe eſt, vt diſciplinis competentibus Sanctitas veſtra ſingu-*

*lis Eccleſijs, quid obſeruare debeant, euidenter oſtendat.* Et Aegidius Abbas, ac Meſſianus Notarius in alio libello eidem Symmacho oblato manifeſtiùs fatentur: *Quòd quantum in omnibus Eccleſiarum Pontificibus, quæ in toto Orbe diffuſæ ſunt, Apoſtolica Sedes ſibimet vindicet principatum, & ſynodalibus decretis firmior eius præcellit authoritas, tantum poteſtatis ſuæ prouiſione dudum à ſe conceſſa debet inconcuſſa ſeruare.* Et eiuſdem Symmachi temporibus S. Auitus Viennenſis Epiſcopus in epiſtola, quam nomine Epiſcoporum Galliæ ad Senatores Vrbis perſcripſit, apertè declarat Romanum Pontificem ita cæteris Epiſcopis eminentiorem eſſe, vt ab illis iudicari non poſſit, adiungens quòd in cæteris quidem Epiſcopis, ſi quid mutauerit, poſſit reformari; *At*, inquit, *Si Papa Vrbis vocatur in dubium, Epiſcopatus iam videbitur, non Epiſcopus vacillare.* Extat hæc Auiti epiſtola cum libellis ſupracitatis tomo 1. Conciliorum Galliæ, in quo à Sirmondo quoquè edita eſt alia S. Auiti epiſtola ad Hormiſdam Symmachi ſucceſſorem, quæ his verbis inchoatur: *Dum Religionis ſtatui, & plenis Catholicæ fidei regulis perſpicitis conuenire, vt gregem per tota vobis vniuerſalis Eccleſiæ membra commiſſum peruigili cura veſtræ adhortationis informes:* Et infrà: *Quia iam ſecurus non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ deuotione pollicear, omnes veſtram ſuper ſtatu fidei captare ſententiam.* Quibus nemo non videt, quanta animi reuerentia totius Galliæ Eccleſiæ ſexto ſæculo ſuſpicerent Sedis Apoſtolicæ authoritatem.

3. Octauo ſæculo hanc in Gallorum animis reuerentiam, iniurijs temporum non nihil obliteratam reſtituit S. Bonifacius, qui in Synodo Galliarum ſub Pipino, & Carolomanno Ducibus anno 743. coacta ſtatuit illud, quod epiſtola 105. ad Cudbertum Archiepiſcopum retulit ſequentibus verbis: *Decreuimus autem in noſtro Synodali Conuentu, & confeſſi ſumus, fidem catholicam, & vnitatem, & ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ fine tenus vitæ noſtræ velle ſeruare Sancto Petro, & eius Vicario velle ſubijci: Synodum per omnes annos congregare: Metropolitanos pallia ab illa Sede quærere, & per omnia præcepta Petri canonicè ſequi deſiderare, vt inter oues ſibi commendatas numeremur. Et iſti confeſſioni vniuerſi conſenſimus & ſubſcripſimus, & ad corpus S. Petri Principis Apoſtolorum direximus. Quod gratulando Clerus, & Pontifex Romanus ſuſcepit.* Placuit hæc omnia ex Bonifacij epiſtola adducere, vt conſtet, qua reuerentia, qua fide, frequentes Epiſcopi, & Proceres Francorum anno 800. in Concilio Romano ob cauſam Leonis III. celebrato in has voces eruperint:

perint: *Nos Sedem Apoſtolorum, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, iudicare non audemus. Nam & ab ipſa nos omnes & à Vicario Dei iudicamur; ipſa autem à nemine iudicatur; quemadmodum antiquitùs mos fuit: ſed ſicut ipſe ſummus Pontifex cenſuerit, canonicè obediemus.* His enim demonſtrant, ſe firmiter inhærere decretis Superioris Synodi Gallicanæ, ſeque Romani Pontificis Primatum venerabundè agnoſcere, prout etiam agnouit Carolus Magnus, qui vt Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Leonis III. teſtatur, Synodo Romanæ ſub Leone III. interfuit, & ita inter alia conſtituit: *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus Sanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, vt quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.* Et poſt Carolum Magnum, Lotharius Imperator epiſtola ad Leonem IV. *Sedem Apoſtolicam, quæ per Beatiſſimum Apoſtolorum Principem in vniuerſo orbe quaquà verſùm religio Chriſtiana diffunditur, caput, & fundamentum eſt Sanctitatis, idcirco ſuperna diſpoſitio primatum obtinere voluit Eccleſiarum, vt in quibuſcumque cauſis, quæſtionibus ſiue negotijs Eccleſiaſtica ſuaderet neceſſitas, omnes quaſi ad morem religionis, fontemque recurrerent æquitatis.*

4. Poſt tam illuſtria Gallicanæ Eccleſiæ teſtimonia ex ſæculis ſexto & octauo deprompta, pauca quædam ex nono ſæculo adiungenda ſunt: inter quæ primo loco adduci poteſt teſtimonium Aeneæ Pariſienſis Epiſcopi, qui in libello contra Græcos per Lucam D' Acherium typis edito complura antiquorum Patrum, Pontificum, & Conciliorum teſtimonia adducit *pro priuilegio Apoſtolici Primatus* vt in fine loquitur; quod priuilegium in Sede Romana diuinitùs inſtitutum eſſe ex eo in præfatione laudati operis probat, quia Sedem illam Summus Apoſtolorum Princeps ſua ſeſſione illuſtrauit, & fuſo ſanguine conſecrauit, *cui regendas oues Dei filius ſpeciali curæ commiſit.* Cui concinit Ratramnus Monachus Corbeienſis in opere contra Græcorum errores iiſdem temporibus edito: libro enim 4. tradit ideo Apoſtolorum Principes Romam directos fuiſſe, quatenus Romana Ciuitas, ſicut Imperiali potentia totum ſibi ſubiecerat Orbem, *ſic religionis culmine, & Apoſtolatus dignitate totius Mundi Regnis præſideret.* Et infrà: *Cernimus omninò Romani Pontificis authoritatem ſuper cunctas Eccleſias Chriſti præeminere, vt omnes Epiſcopi illum habeant caput, & ab eius iudicio pendeat, quidquid in Eccleſiaſticis negotijs diſponitur, vt ex eius arbitrio vel maneat conſtitutum, vel corrigatur erratum, vel ſanciatur, quodcumque fuerit innouandum.* Quo te-

 ſti-

ſtimonio nullum illuſtrius adferri poteſt, cùm Scriptor Gallus Nicolai Primi temporibus, ideſt ante octingentos & quadraginta annos tam clarè affirmet, omnes totius Mundi Epiſcopos, Romanum vt caput Eccleſię ſuſcipere debuiſſe, eumque tamquam ſupremum Paſtorem conſulere. Quod Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus libro de prædeſtinatione cap. 24. his verbis ſignificat: *Conſulentes ante omnia, ſicut & prima eſt in toto orbe omnium Eccleſiarum mater, Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam* Et infrà: *Quæ non ab homine, neque per hominem, ſed per Dominum IESVM Chriſtum, ſicut Petrus & Paulus Apoſtolatum, ita & hæc ſancta Sedes omnium Ciuitatum meruit principatum.* Quod paucioribus verbis in Opuſculo 55. Capitum, capite 21. repetit dicens, *Quòd Sedes Apoſtolica ſuum Principatum Domini ore percepit.* Vnde epiſtola 47. quam Caroli Secundi Imperatoris nomine ad Ioannem VIII. conſcripſit, diſertè affirmat, quòd *ad Romani Pontificis ſollicitudinem vniuerſalis Eccleſia pertineat.* Quam Hincmari ſententiam Gallicana Eccleſia perpetuò ſecuta, etiamnum profitetur,& contra omnes Hæreticorum conatus tuetur, ac propugnat, adeò vt centenis Scriptorum, Doctorum, Epiſcoporum, & Conciliorum ſuorum teſtimonijs comprobari poſſet, niſi res ipſa omnium oculis pateret, & conſpicua eſſet.

## ARTICVLVS QVINTVS.

### *Quòd Hiſpaniarum Eccleſiæ Primatum Romani Pontificis à primis ſæculis prædicarint.*

*1. Oſius Cordubenſis Epiſcopus Patribus Sardicenſibus cauſa fuit editi de Primatu Romani Pontificis ſtatuti.*

*2. Eundem Primatum admiſit Itacius Lemicenſis Epiſcopus, cæterique Hiſpaniarum Epiſcopi tempore Leonis Magni, vt ex Lucretio Braccarenſi Archiepiſcopo, & actis Synodi ſub ipſo celebrata oſtenditur.*

*3. Clariſſimè autem Primatum prædicauit Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in litteris ad Claudium Ducem.*

1. INter antiquiſſimos Hiſpaniæ Epiſcopos, quorum ſcripta, aut monumenta aliqua ad manus noſtras peruenerunt, non infimum locum obtinere cenſendus eſt Magnus Oſius Cordubenſis Antiſtes, qui initio floreſcentis Eccleſiæ inter omnes totius Mundi Epiſcopos conſpicuus fuit, & rebus pro Chriſtiana religione actis in Occidente, & Oriente claruit. Hic autem cùm Conſtantini Magni, & Syluestri Romani Pontificis partes egiſſet, Synodo etiam generali, Primæ Nicenæ præſediſſet, in Sardicenſi Con-

Concilio canone 4. Patres hortatus eſt, vt pro ſopiendis Epiſcoporum controuerſijs, liberum cuique eſſet Romani Pontificis tribunal appellare. *Si vobis placet*, inquit, *Sancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur ab his, qui cauſam examinarunt, Iulio Romano Epiſcopo; & ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det Iudices; ſi autem probauerit talem cauſam eſſe, vt non refricentur ea, quæ acta ſunt, quæ decreuerit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet: Synodus reſpondit: Placet*. Vbi notandum omnino eſt, Oſium nihil Romano Pontifici tribuere, quod ipſi non competat, ſed id ſtatuere, quod memoriæ Apoſtolorum Principis Petri competebat. Petrus enim à Chriſto Primatum Eccleſiæ obtinuerat, vt hæreditario iure ad Succeſſores ipſius promanaret; Quarè Primatus ſuper omnes totius Mundi Epiſcopos Iulio I. iſtius temporis Pontifici iure Diuino competebat.

2. Agnouit ad ſæculi quinti finem hanc Primatus dignitatem Himerius Tarraconenſis Epiſcopus, dum Siricium Papam Romanum de rebus Eccleſiaſticis conſuluit. Admiſit Itacius Lemicæ in Hiſpania Epiſcopus, dum in Chronico ſcribit: *Romanæ Eccleſiæ XLIII. præſidet Epiſcopus Leo: huius ſcripta per Epiſcopi Turibij Diaconum Peruincum contra Priſcillianiſtas ad Hiſpanienſes Epiſcopos deferuntur*. Vt enim Lucretius Epiſcopus retulit in Concilio Braccarenſi Primo: *Eo tempore, quo in his regionibus nefandiſſima Priſcillianæ ſectæ venena ſerpebant, Beatiſſimus Papa Vrbis Romæ Leo, qui quadrageſimus ferè extitit Apoſtoli Petri ſucceſſor, per Turibium Notarium Sedis ſuæ ad Synodum Gallæciæ contra impiam Priſcilliani ſectam ſcripta ſua direxit, cuius etiam præcepto Tarraconenſes, & Carthaginenſes Epiſcopi, Luſitani quoquè, & Bætici, facto inter ſe concilio, regulam fidei contra Priſcillianam hæreſim cum aliquibus capitulis conſcribentes, ad Balconium tunc huius Braccarenſis Eccleſiæ Præſulem direxerunt*. Quod idem in præfatione regulæ fidei, quæ Toletano Concilio Primo adſcribitur, apud Garziam Loaizam his verbis confirmatur: *Quam Epiſcopi Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitani, & Bætici fecerunt, & cum præcepto Papæ Vrbis Romæ Leonis ad Balconium Epiſcopum Gallæciæ tranſmiſerunt*. In quibus omnibus illud in primis obſeruatu dignum occurrit, quòd Leo I. contra Priſcillianiſtas regulam fidei expoſuit, eamque ad Hiſpanias miſerit, præcipiens iſtius regionis Epiſcopis, vt eam in Synodo ſua lectam ad Braccarenſem in Gallæcia Metropolitam Balconium tranſmitteret, cui Leonis præcepto venerabundè Hiſpaniarum Epiſcopi obſecuti

ſunt,

ſunt, vt audiuimus ſuprà ex Lucretio Braccarenſi Epiſcopo, ad quem in actis Synodi Braccarenſis Primæ reſponderunt Prouinciales Epiſcopi, ſe inſtructionem Sedis Apoſtolicę penes ſe retinere: *Quæ*, inquiunt, *ad interrogationem quondam venerandæ memoriæ prædeceſſoris tui Profuturi, ab ipſa beatiſſima Petri Cathedra directa eſt*. Quæ, aliaque iſtius Synodi verba ſatis ſuperque demonſtrant, quanta animi ſubmiſſione Hiſpaniarum Epiſcopi antiquiſſimis illis temporibus ſummam Romani Pontificis authoritatem ſuſpicerent.

3. Id ſanè declarauit S. Iſidorus Hiſpalenſis, dum in litteris ad Claudium Ducem ſcripſit: *Sic nos ſcimus præeſſe Eccleſiæ Chriſti, quatenus Romano Pontifici reuerenter, humiliter, & deuotè, tanquam Dei Vicario, præ cæteris Eccleſiæ Prælatis ſpeciali nos fateamur debitam in omnibus obedientiam exhibere. Contra quod quemquam procaciter venientem, tamquam hæreticum, à conſortio fidelium omninò decernimus alienum. Hoc verò non ex electione proprij arbitrij, ſed potiùs auctoritate Spiritus Sancti habemus firmum ratumque credimus, & tenemus*. Hæc Iſidorus, non quidem Mercator ille, qui epiſtolas decretales in Hiſpania ad finem octaui ſæculi produxit, Romanique Pontificis Primatum, & Primatus priuilegia cum iiſdem publicauit: Sed Magnus ille Hiſpalenſis Epiſcopus, qui auitæ venerationis, qua Hiſpaniarum Eccleſiæ ſupremam Romani Pontificis auctoritatem olim ſuſpiciebant, ſpecimen tribuit, & eam ab omnibus fide tenendam eſſe, non obſcurè indicauit. Quæ cum ita ſint, mirum nemini videri debet, quòd Hiſpaniarum Eccleſiæ antiquæ traditionis memores tanta ſemper animi ſubmiſſione auctoritatem illam agnouerint, & etiamnum agnoſcant.

## ARTICVLVS SEXTVS.

### *Quòd Africana Eccleſia Romani Pontificis Primatum ſemper receperit.*

1. *Ex Tertulliani, & D. Cypriani teſtimonijs monſtratur, Africanam, cæteraſque Orbis Eccleſias Romani Pontificis Primatum agnouiſſe.*

2. *Præclarum pro eo teſtimonium reddidit S. Optatus Mileuitanus in Africa Epiſcopus.*

3. *Synodi quoquè Mileuitanæ, & Carthaginenſis in cauſa Cæleſtij.*

4. *Demum M. Auguſtinus Hipponenſis in Africa Epiſcopus, Eugenius Carthaginienſis, & trium Africæ Prouinciarum Synodus Romani Pontificis Primatum ſuſceperunt.*

1. EX Hiſpania ad tranſmarinas Africæ Regiones accedimus, in quibus Religio Chriſtiana ſecundo æræ Chriſtianę ſæcu-

ſæculo cœpit, & octauo fermè ſæculo deſijt. Antiquiſſimus autem omnium Africæ Scriptorum Tertullianus iam ſuis temporibus Romanum Pontificem à fidelibus *EpiſcoporumEpiſcopum* vocatum fuiſſe aſſerit, quem Romani Pontificis titulum Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus & martyr à magiſtro ſuo Tertulliano acceptū actis Synodi Carthaginenſis inſeruit, eius Sedem epiſtola 55. ad Cornelium Papam vocans *Petri Cathedram*, eiuſque Eccleſiam, *Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt*. Quare epiſtola 45. ad eundem Cornelium ſcribit, ſe ſingulos Romam nauigantes hortatum eſſe, *vt Eccleſiæ Catholicæ radicem agnoſcerent, & tenerent*. Et epiſt. 52. ad Antonianum ex eo Nouatianum vehementer reprehendit, quòd vſurpata Sedis Apoſtolicæ auctoritate per plurimas ciuitates *Nouos Apoſtolos ſuos mittere, & ſuper Epiſcopos alios Pſeudoepiſcopos creare auſus fuerit, quaſi*, inquit, *poſſit, aut totum Orbem noui conatus obſtinatione peragrare, aut Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ ſeminatione reſcindere*. Plura alia ſunt in D. Cypriano pro Romani Pontificis Primatu teſtimonia, quæ cum alibi in hoc Opere attulerimus, hîc libenter omittimus, adiungentes hæc eiuſdem D. Cypriani verba ex epiſtola eius ad Cornelium: *Neque enim aliunde hæreſes exortæ ſunt, aut nata ſunt Schiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduersùs Sacerdotum Collegium quidquam moueret*.

2. Sæculo quarto floruit in Africa S. Optatus Mileuitanus Epiſcopus, qui Cypriani veſtigijs inſiſtens ex eo Donatiſtas repulit, quòd vnitatem Romanæ Eccleſiæ non tenuerint, ſed contra Romanum Pontificem legitimum Petri Succeſſorem Schiſmata conſtituere conati ſint. Vnde Parmenianum Donatiſtarum Principem his verbis compellat: *Negare non potes ſcire te in Vrbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omniū Apoſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt: in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret*. Et poſt longam Epiſcoporum ſeriem vltimo loco recenſet Siricium ſuis temporibus viuentem, *Cum quo*, inquit, *nobis totus Orbis commercio formaturum in vna communionis ſocietate concordat*. Ac ſi diceret totum terrarum Orbem, in quo religio Catholica radices egerat, Romanum Pontificem, velut radicem agnoſcere, eò quòd me-

memor eſſet Petri Apoſtolorum Principis, qui diuinitùs conſtitutus erat petra, & caput Eccleſiæ, & cuius authoritas continua Epiſcoporum ſucceſſione ad Siricium promanarat. Vnde tractatoria epiſtola eiuſdem Pontificis, qua pleraque ad diſciplinam ſpectantia conſtituta ſunt pro Africanis Eccleſijs, & inter alia, *vt extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ Primates nemo audeat ordinare*, recepta fuit in Concilio Zelſenſi, quod breuiatione Canonum citat Ferrandus Carthaginienſis Diaconus.

3. Mirè eluxit Africanæ Eccleſiæ reuerentia in Sedem Apoſtolicam, dum cauſa Celeſtij, ac Pelagij exorta eſt; celebratis enim de illa concilijs ad Innocentium Primum acta omnia retulerunt, ſcribuntque in Synodica Mileuitana ad Innocentium: *Hæc ad Sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginienſis Eccleſiæ Coëpiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam, quam beatus Illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.* Quæ omnia extant in tomis Conciliorum Innocentij Papæ reſcripta, quibus Sanctiſſimus ille Pontifex reſpondit congruè ab Africanis Epiſcopis conſultum eſſe honori illius, *quem ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto Orbe mecum noſtis eſſe ſeruatam.* Hæc Innocentius cuius reſcriptum Africana Eccleſia recepit, ſicut & totus terrarum Orbis recepit Zoſimi Papæ iudicium ad relationem Synodi Carthaginenſis latum contra Pelagium, de quo S. Proſper in Chronico: *Concilio apud Carthaginem habito 214. Epiſcoporum ad Papam Zoſimum Synodalia decreta perlata: quibus probatis per totum Mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

4. Sed quorſum in his teſtimonijs recenſendis inhæremus, cùm habeamus præclariſſimum Magni Auguſtini Hipponenſis in Africa Epiſcopi teſtimonium, vtpote qui epiſt. 162. diſertè affirmat. *In ea*, de Romana loquitur Eccleſia, *ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.* Concinit S. Eugenius Carthaginienſis Epiſcopus, qui apud Victorem Vitenſem in præſentia Hunerici Vandalorum in Africa Regis profeſſus eſt de Romana Eccleſia, *quæ Caput eſt omnium Eccleſiarum.* Et vt finiam, omnes trium Africæ Prouinciarum Epiſcopi in litteris ſynodalibus anno 646. ad Theodorum Papam ſcriptis, eundem Patrum Patrem, & ſummum omnium Præſulum Pontificem appellant, ſubiunguntque: *Cui etiam in honore Beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem omnẽ decreuere reuerentiam in requirendis Dei rebus, quæ omnino, & ſollicitè debent, maximè verò iuſtèque ab ipſo Præſulum examinari Vertice Apoſtolico, cuius vetuſta ſollicitudo eſt, tam mala damna-*

*damnare, quàm probare laudanda: antiquis enim regulis ſancitum eſt, vt quidquid, quamuis in remotis, vel in longinquo poſitis, ageretur Prouincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtrę fuiſſet deductum. Vt huius auctoritate, iuxta quæ fuiſſet pronunciatio firmaretur, indeque ſumerent cœteræ Eccleſiæ velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, &c.* Atque hæc quidem tres Prouinciç ſeptimo ſeculo, hoc eſt illo potiſſimùm tempore, quo ad finem vergebat Eccleſia in Africanis regionibus, quæ ſeculo octauo infidelium iugo ſubiectæ Chriſtianam Religionem amiſere.

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

### *Quòd Aegyptus Romani Pontificis Primatum agnouerit.*

*1. In Ægypti Prouincijs Romani Pontificis Primatum agnitum fuiſſe, ex cauſa Dionyſij Alexandrini ad Sedis Apoſtolicæ tribunal tranſmiſſa monſtratur.*

*2. Idem confirmatur ex cauſa D. Athanaſij, quæ Athanaſio conſentiente, & ſupplicante à Iulio I. iudicata fuit.*

*3. S. Cyrillus Alexandrinus palam Romani Pontificis primatum agnouit, prædicauitque in cauſa Neſtorij, vt ex eius ad Cæleſtinum I. epiſtola, & Cæleſtini reſcripto oſtenditur.*

1. AFricæ adiacent regiones illæ, quæ Patriarchæ Alexandrino ſubiectæ fuerunt, qui, vt Sacroſanctum Nicenum Concilium canone 6. confirmat, ſuper Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim conſtitutus erat. Porrò Dionyſius Patriarcha Alexandrinus his regionibus præſidens, cùm in epiſtola ad Ammonium, & Euphranorem nonnulla de Sabelliana hæreſi ſcripſiſſet: *Quidam*, inquit, D. Athanaſius epiſt. de ſententia Dionyſij contra Arianos, *ex Eccleſia fratres rectè quidem ſentientes, ſed tamen cùm ipſum non interrogaſſent, vt ediſcerent, quo pacto ſcripſiſſet, Romam aſcenderunt, ibique eum apud Dionyſium eiuſdem nominis Romanū Præſulem accuſauerunt. Re verò comperta*, ſubdit ibidem Athanaſius, *volumen compoſuit.... poſtulauitque à Romano Præſule, vt obiecta ſibi indicarent, quibus acceptis Opus edidit ſub nomine elenchi, & apologiæ, vbi ſceleratam officinam Chriſti hoſtium redarguit, & quo pacto hanc infamiam contra ipſum excitarint, demonſtrat*. Ex quibus D. Athanaſij verbis duo potiſſimùm ſunt, quæ ad Romani Pontificis Primatum comprobandum quàm maximè faciunt. Primum quidem fratres ex Pentapolitana regione, quæ Africanæ adiacet, Dionyſij, cauſam ad Romani Pontificis tribunal detuliſſe. Secundum verò, Dionyſium Alexādrinum Romani

ni Pontificis tribunal agnouiſſe, cauſamque ſuam apud illud editis apologijs, & elenchis peregiſſe; ex quibus nemo non videt, tam Pentapolitanam regionem, quàm Alexandrinam Sedem primis illis temporibus Primatum Romani Pontificis agnouiſſe.

2. Poſt Dionyſium D. Athanaſius ad Patriarchatum Alexandrinum promotus Arianorum inſidijs, & Euſebianorum fraudibus impetitur, & ſæpiùs damnatur, ac Sede ſua eijcitur. Quarè, cùm Euſebiani coram Sede Apoſtolica ea de re accuſati litteras ad Iulium I. miſiſſent, ipſique arbitrium cauſæ detuliſſent, idem Pontifex Athanaſium aduerſarioſq; ipſius ad tribunal ſuum euocauit, & Athanaſius Romam primùm quidem presbyteros ſuos miſit, vt Iulius I. in epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem, alioſque Antiochiæ congregatos teſtatur, adiungens, quòd ſcripſerint *etiam plurimi ex Aegypto, & ex alijs Prouincijs pro Athanaſio*. Tum deinde Athanaſius Legatos ſuos ſecutus eſt, & Romam ſe contulit, vt ipſe refert apologia ſua ſecunda, *ibique annum totum, & integros ſex menſes hæſit, aduerſariorum præſentiam expectans*, inquit Iulius I. in ſupracitatis litteris. Denique, inquit Athanaſius apologia 2. *Epiſcopi plures quàm quinquaginta congregati in Baſilica, in qua Vitus presbyter populum colligebat, noſtram quidem defenſionem æquo animo ſuſceperunt, & communionem nobiſcum, ac dilectionem fouendam eſſe ſanxerunt, aduersùs autem Euſebianos indignati ſunt, & Iulium rogarunt, vt hæc ad illos perſcriberet*. In quibus omnibus hæc omnino notanda ſunt, quòd Athanaſio Romam citato non ſolùm Eccleſiæ ſuæ presbyteri, ſed etiam plurimi ex Aegypto litteras pro Athanaſio ad Vrbem miſerint, ipſeque Athanaſius, licèt ſecundæ Sedis Epiſcopus, totiuſque Aegypti, Lybiæ, & Pentapolis Patriarcha ad Iuliũ I. venerit, cauſam coram tribunali eius dixerit, eiuſque auxilium poſtulauerit, vt ſcribit Bonifacius I. epiſt. 10. inter illas quas Lucas Holſtenius in hiſtoria Romana bipartita edidit; *Deinde litteris Iulij fretus Alexandriam redierit, Eccleſiamque ſuam recuperarit*. Quæ Sedis Apoſtolicæ Primatum adeò manifeſtè comprobant, vt ab Aegyptijs agnitum fuiſſe, manifeſtiùs comprobare non poſſint.

3. Vt autem quæ de Aegypto comprobanda ſuſcepimus hoc articulo, teſtimonijs S. Cyrilli Alexandrini confirmentur, legenda eſt in primis eius epiſtola ad Cæleſtinum I. Papam Romanum de Neſtorio ſcripta, quam his verbis incipit: *Si in rebus vſque adeò ſerijs, ac neceſſarijs, vbi recta fides malè à quibuſdam deprauata, diſtortaque periclitatur, citra notam ſilere, & cuncta, quæ hactenus mota, agitataque ſunt, citra moroſitatis vitium pietatem tuam celare licuiſſet, dixiſſem vtique mi-*

*mihi; bona ac periculi expers res eſt ſilentium ..... quoniam verò Deus hiſce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaque Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, vt eiuſmodi res Sanctitati tuæ communicentur; non poſſum equidem quod apertum eſt ad pietatem tuam non perſcribere.* Et relatis omnibus, quæ Neſtorius erroneè docuerat, & malè fecerat: *Quamuìs,* inquit, *res ita ſe habeat, non priùs tamen illius cõmunionem confidenter deſerere auſi fuimus, quàm hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hìc ſentias declarare, quo liquidò nobis conſtet, communicare ne nos cũ illo oporteat, an verò liberè eidem denuntiare?* Ad quæ cùm Cæleſtinus Papa reſpondiſſet, Neſtorium communione priuandum eſſe, ſi pertinaciter errori ſuo inhæſiſſet, vices Apoſtolicę Sedis eidem commiſit: *Quamobrem,* inquit, *noſtræ Sedis autboritate adſcita, noſtraque vice, & loco cum poteſtate vſus, eiuſmodi non abſque exquiſita ſeueritate ſententiam exequeris; nempe, vt niſi decem dierum interuallo ab huius noſtræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematizet, eamq; de Chriſti Dei noſtri generatione fidem in poſterum confeſſurum ſe ſpondeat, quam & Romana, & tuæ Sanctitatis Eccleſia, & vniuerſa denique religio Chriſtiana prædicat, illico Sanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciat. Is verò modis omnibus ſe à noſtro corpore ſegregatũ eſſe intelligat.* Ex quibus verbis Cæleſtini Papæ Romanæ Vrbis nemo non videt, eum auctoritate Sedis ſuæ vſum, S. Cyrillo Alexandrino vices ſuas in cauſa Neſtorij commiſiſſe quas ipſe omnino ſuſcepit, ſcribẽs ad Neſtorium, quòd niſi iuxta tempus in litteris Cæleſtini Romanorum Epiſcopi expreſſum, præfinitumque ab errore reſipiſcat, nullum ei inter Epiſcopos locum futurum eſſe: quod idem cum Cyrillo totius Aegypti Synodus ſcripſit; adeò vt Romani Pontificis Primatum vniuerſa Aegyptus Cyrilli temporibus manifeſtè agnouerit, prout quoquè eiuſdem Epiſcopi agnouerunt in Synodo generali III. cuius acta in omnium manibus verſantur.

## ARTICVLVS OCTAVVS.

### *Quòd reliquæ per Orbem Eccleſiæ Romani Pontificis Primatum venerabundè ſuſceperint.*

*1. Cum Orbis Romani Prouincijs, cætera totius Mundi regiones, ad quas Chriſtiana religio peruenit, Romani Pontificis Primatum ſuſceperunt.*

*2. Id ex Chinenſium regionibus, & America in primis oſtenditur; quæ vna cum fide Catholica Primatum Romani Pontificis admiſere.*

*3. Ex ijs autem colligitur cum Henrico VIII. quàm malè Lutherus, & qui eum ſecuti*

*ſunt, Primatum illum impugnarint.*

*4. Ex verbis verò Henrici VIII. confutantur quoq; Angli, quorum maiores vnà cũ cæteris Orbis Romani Populis primatum admiſerant.*

*5. Confirmatur demum hæc veritas Romanorum Imperatorum teſtimonijs, Conſtantini natione Britanni, Gratiani, Maximi, Honorij, & Valentiniani III.*

1. OStendimus huc vſque, quid Orbis Romanus ſenſerit de Primatu Romani Pontificis; à Paleſtina enim, & Syria exorſi per omnes Imperij Romani prouincias ordine geographico profecti, quid Pontus, Aſia, & Thracia, quid Illyricum orientale, & occidentale, quid Gallię, & Hiſpania, quid Africa, & Aegyptus ſenſerint de auctoritate Sedis Apoſtolicæ, qua vniuerſam ſub cælo Eccleſiam regere conſueuit, paucis quidem, ſed perſpicuis teſtimonijs monſtrauimus. Reſtaret nunc de longè diſſitis Indiarum populis, ac Americæ, Chinarum, & Iapponię regionibus ſermonem inſtituere, niſi ad illas tardiùs religio Catholica perueniſſet, atque parentum noſtrorum memoria fides annuntiata fuiſſet. Cùm enim Catholica Eccleſia, quæ nunc toto terrarum orbe diffuſa eſt, Primatum Romani Pontificis à Chriſto inſtitutum, à Patribus traditum, à Concilijs generalibus agnitum, inter fidei articulos recenſeat, neminem latere poteſt, regiones illas omnes Romani Pontificis Primatum, vnà cum cœteris fidei articulis ſuſcepiſſe, quod ipſæ toties in Europa profeſſę sũt, quoties Legatos ſuos ad Romanum Pontificem miſerunt, Epiſcopos ab eo petierunt, dubia, & difficillimas quæſtiones iudicio eius terminandas obtulerunt, quæ omnia hìc fuſiùs recenſerem, niſi antiqua potiùs, quàm recentiora Eccleſiarum monumenta hoc opere perſcrutanda ſuſcepiſſem.

2. Cùm autem Iapponia, quãdiu Catholica fuit, Romani Pontificis Primatum agnouerit: cùm bis centena Chinenſium millia vnà cum fide Catholica ſupremam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem profiteantur, cùm Siamitæ Bengalatri, & totius Indiæ orientalis fideles eum ſuſcipiant, ac venerentur: cùm longè diſſiti Americæ populi trans Mare Athlanticum in nouo Mundo reperti Primatus Põtificij articulum vnà cum fide Catholica receperint, eumque credant, & amplectantur: qua ratione, quo fundamento Britanniarum Incolæ, & Sueciæ, ac Daniæ gentes in ſeptentrionalibus oris habitantes Primatum Romani Pontificis reiecerunt, eique coniunctis viribus obſiſtere nituntur? nonnè vident ſe ab Orbe Catholico diſſidere, & vt S. Optatus Mileuitanus olim Donatiſtis Afris oppoſuit, *Eccleſiam apud ſe in angulo terræ eſſe non poſſe*? Cùm enim Eccleſiam Catholicam eſſe, ideſt vbique diffuſam, ipſi fateri cogantur ex Apoſtolorum Symbolo, Eccleſia toto Orbe diſperſa vera Eccleſia erit, & non illa, quæ in finibus Orbis terræ tamquam in angulo latet,

tet, quæque Patrum noſtrorum memoria à totius Orbis Eccleſia ſeſe ſeparauit.

3. At, inquient, id rectè factum eſſe à Maioribus ſuis, qui Primatum Pontificis nouum Romanæ Sedis inuentum eſſe agnouerunt. Verùm, vt obiectioni huic ſatisfaciam; Maiores ipſorum antequàm extremis Lutheri temporibus ſeſe ab Eccleſia ſepararent, Primatũ Romani Pontificis agnoſcebant, quem omnes fideles ab initio ſuſceptæ religionis vbique receperant, vt infinitis Scriptorum teſtimonijs, Eccleſiarum monimentis, & Epiſcoporum, ac Pontificium litteris comprobari, ac de Britanis primùm demonſtrari poteſt, quorum regiones iam inde à primis temporibus vſque ad Regnum Henrici VIII. tanta conſtantia hanc fidei veritatem propugnarunt, vt Henricus ipſe in libro de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis contra Lutherum veritatem his verbis propoſuerit: *Non tam iniurius ero Pontifici, vt anxiè, ac ſollicitè de eius iure diſceptem, tamquam res haberetur pro dubia.... nam negari non poteſt, quin omnis Eccleſia fidelium ſacroſanctam ſedē Romanam velut matrem, primatemque recognoſcat, ac veneretur, quæcumque ſaltem neque locorum diſtantia, neque periculis interiacentibus prohibetur acceſſu. Quāquam ſi vera dicunt, qui ex India quoquè veniunt huc: Indi etiam ipſi, tot terrarum, tot marium, tot ſolitudinum plagis diſiuncti, Romano tamen ſe Pontifici ſubmittunt. Ergo ſi tantam, ac tam latè fuſam poteſtatem, neque Dei iuſſu Pontifex, neque hominum voluntate conſecutus eſt, ſed ſua ſibi vi vendicauit: dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis irrupit poſſeſſionem: non poteſt obſcurum initium eſſe tam immenſæ potentiæ, præſertim, ſi intra memoriam hominum nata ſit. Quòd ſi rem dixerit, vnam fortaſſis, aut duas ætates ſuperare, in memoriā nobis rem redigat ex hiſtorijs. Alioqui, ſi tam vetuſta ſit, vt rei etiam tantæ obliterata ſit origo: legibus omnibus cautum eſſe cognoſcit, vt cuius ius omnem hominum memoriam ita ſupergreditur, vt ſciri non poſſit cuiuſmodi habuerit initium, cenſeatur habuiſſe legitimum, vetitumque eſſe conſtat omnium cōſenſu gentium, ne, quæ diu manſerunt immota, moueantur.* Hæc Henricus Anglorum Rex Catholicus initio Lutheranæ Hæreſæos ſcripſit, quæ tanta argumentorum vi, tanta ſoliditate dicta ſunt, vt nihil omnino ſit, quod ijs meritò opponi poſſit.

4. Quid enim reſpondebunt in primis Anglicanę Eccleſiæ Miniſtri, quid comminiſcentur. Primatum Romani Pontificis, quem vltra hominum memoriam ab omnibus fidelibus toto terrarũ Orbe diſperſis ſuſceptum fuiſſe, tam manifeſtè, tam conſtanter affirmat Henricus VIII. quo anno, quo tempore ortum habuiſſe confingent? euoluant Annales, Eccleſiarum ſua-

ſuarum monimenta perſcrutentur, & inuenient Britannias, quamdiu catholicæ fuerunt, Primatum Romani Pontificis agnouiſſe, & præ cœteris totius Occidentis regionibus venerabundè ſuſpexiſſe. Quòd ſi publicas anteriorum temporum hiſtorias legamus, reperiemus cum Henrico VIII. *Iam olim protinus poſt pacatum Orbem, pleraſque omnes Chriſtiani Orbis Eccleſias obtemperaſſe Romanæ, quin Græciam ipſam, quamquàm ad ipſos commigraſſet imperium reperiemus tamen, quòd ad Eccleſiæ primatum pertinebat, Eccleſiæ Romanæ ceſſiſſe*. Hæc autem, quæ Henricus VIII. paucis verbis expreſſit, nos hoc capite omnium totius Orbis Eccleſiarum teſtimonijs adeò clarè, adeò perſpicuè cōprobauimus, vt nemini vllus dubitandi locus relictus ſit. Tam manifeſta enim ſunt Eccleſiarum monimenta, tam multa veterum teſtimonia, vt ſuperuacaneum videri poſſit his, quæ allata ſunt, alia adiungere.

5. Vt tamen coronidem huic capiti, & Diſſertationi imponamus, aliud quoddam teſtimoniorum genus adducemus, quod omni exceptione maius Schiſmaticos, Hæreticos, & Gentiles ipſos, impudentiæ arguet, ſi obſiſtere nitantur. Repetam autem illud ab Imperatoribus Romanis, qui cùm rectores Orbis extiterint, nequaquam ignorare potuerunt, quid Orbis ſub ipſorum principatu de Romani Pontificis Primatu ſenſerit, & vt verbo complectar, quę ſuperiùs expoſui, ab ipſis Imperatoribus gentilibus initium ducam. Decius enim, quem Lactantius inter ſæuiſſimos Religionis Catholicæ perſecutores recenſet, Romanos Pontifices præ cœteris perſecutus eſt, cùm teſte Cypriano epiſtola 52. *Multò patientiùs, & tolerabiliùs audiret leuari aduersùs ſe æmulum Principem, quàm conſtitui Romæ Dei Sacerdotem*. Aurelianus terrarum dominus, non aliud ſenſit de Romani Pontificis Primatu, cùm teſte Euſebio, Pauli Samoſateni cauſam ab Oriētis Epiſcopis iudicatam ad Romani Pontificis tribunal tranſmiſit. Conſtantinus Magnus natione Britannus nondum Catholicus hunc Primatum agnouit, cùm Cecilianum eiuſque aduerſarios Donatiſtas ad Melchiadem, quem Auguſtinus Patrē Chriſtianæ plebis vocat, direxit, vt coram eo poſſent audiri, *quemadmodum*, teſte Conſtantino epiſtola ad Melchiadem, *ſanctiſſimè legi conueniebat*. Gratianus Imperator à D. Ambroſio, & Aquileienſi in Italia Concilio rogatus: *Ne totius Orbis Romani caput Romanam Eccleſiam, atque illam ſacroſanctam fidem Apoſtolorum turbari ſineret*: Reſcripſit ad Aquilinum Vicarium Vrbis, *vt iudicio Damaſi Papæ, quod ille cum conſilio, vel iudicio quinque, aut ſeptem Epiſcoporum habuerit, ſtetur, vel Metropolitani Romam neceſſariò, vel ad eos, quos Romanus Epiſcopus iudi-*

*iudices dederit, ſine dilatione contendant*. Maximus Imperator epiſtola ad Valentinianum Auguſtum Romanæ Eccleſiæ principatum religionis tribuit; Quod Honorius Occidentis Imperator in litteris ad Theodoſium Auguſtum alijs verbis explicat, dum Romanam Eccleſiam eo titulo venerandam eſſe ſcribit, quòd ex *ea principium Sacerdotium acceperit*: Et omnium clariſſimè Valentinianus III. in nouella Codici Theodoſiano adiuncta: *Cùm igitur Sedis Apoſtolicæ primatum B.Petri meritum, qui eſt Princeps Sacerdotalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, Sacræ etiam Synodi firmarit authoritas ..... hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quàm aliarum Prouinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine Viri Venerabilis Papæ Vrbis æternæ tentare: ſed illis omnibus pro lege ſit, quidquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas*. Ita ſentiebant, ita loquebantur, ita ſtatuebant Orbis Romani Imperatores, quibus Britanniæ ipſæ parebant, quorum Epiſcopos æque ac Gallicanos Romano Pontifici ſubiectos eſſe volebant non tam ob Imperatorum inſtituta, vel Synodorum decreta, quàm ob B.Petri meritum quo Sedes Apoſtolica Primatum obtinuit, quem & toto terrarum Orbe ſemper exercuit, & omnes Mundi Eccleſiæ à primis temporibus agnouerunt, & admiſerunt, vt ex illarum monimentis hoc capite demonſtrauimus.

DIS-

# DISSERTATIO QVARTA.

## *De inſtitutione Epiſcoporum, & Metropolitanorum in Ciuitatibus, & Prouincijs Imperij.*

*1. Regimen Monarchicum Eccleſiæ, eſſe Ariſtocratico mixtum, probatur ex eo, quod illud ſit optimum, & Chriſtus optimum regimen in Eccleſia inſtituerit. Baſilij ſententia pro hoc regimine adfertur.*

*2. Huius regiminis inſtitutionem deſcribit Leo Magnus, & diſtributionem factam ab Apoſtolis ſignificat S. Bonauentura.*

*3. Hierarchiam Eccleſiaſticam cum Imperij ordine ſimilitudinem quandam ab Inſtitutione ſua contraxiſſe indicatur.*

1. QVemadmodum ab ęterna Sapiētia mores, & inſtituta vitæ, quæ ad priuatorum vtilitatem pertinent, optimis legibus, & conſilijs firmata vnuſquiſque nouit, ita publicæ rei commodo in Eccleſiaſtici regiminis inſtitutione cautum fuiſſe, nemo inficiabitur. Aeque enim ſapientiſſimi Legiſlatoris munus obijt Chriſtus, ac prouidentiſſimi Patris familias, quippe cùm illi tam credita eſſet ſingulorum veluti domeſtica, & œconomica diſpenſatio, quàm vniuerſarum Gentium cura, & imperium, omnis ab illo diſciplinæ prouentus fuerat expectandus, cui Pater æternus omnem cum ſapientiæ, & ſcientiæ theſauris tradiderat poteſtatem. Eccleſiæ ergo ſuæ regimen inſtituit optimum, Monarchicum ſcilicet Ariſtocratico temperatum. Quæ enim potior forma regiminis optari poterat? Quænam Myſteriorum dignitati, fideliumque bono, & Eccleſiæ congruentiùs accideret? Sanè & ad exēplar Eccleſiæ trium-

triumphantis meliùs exigitur, & efficaciùs ſchiſmatum arcet pericula, quæ vnius poteſtatem agnoſcit: tum verò mutuæ inter æquales beneuolentiæ conſeruandæ præſtat, quæ communicata rerum procuratione complures vocat in partem ſolicitudinis. Fatendum itaque cum Pariſienſium Archiepiſcopo de Marca in ſecunda ſui operis præfatione, iuxta receptum ab omnibus Theologis axioma, Monarchicum Eccleſiæ regimen Ariſtocratico temperari: ideſt præter Monarchicum Petri munus, quo vocatus eſt in plenitudinem poteſtatis, Ariſtocraticum regimen inſtitutum eſſe, quo alij vocati ſunt in partem ſolicitudinis. Quis enim dicet omiſſum aliquid ab æterna Sapientia ad bonum Eccleſiæ, & non inſtitutum illud, quod ei erat conducibilius? fuiſſe autem multò conducibilius vniuerſæ *Eccleſiæ*: inquit S. Baſilius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus epiſt. 406. *Vt in plures Epiſcopos ſolicitudo hæc diuideretur, è rebus ipſis manifeſtum eſſe arbitror*.

2. Formam huius inſtitutionis non ſolùm admittit, ſed etiam deſcribit S. Leo epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem: *Inter Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret; de qua forma Epiſcoporũ quoquè eſt orta diſtinctio, & magna diſcretione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis Prouincijs ſinguli, quorum ratio inter fratres haberetur prima ſententia; & rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti, ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem, vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vnquam à ſuo capite diſſideret: ſicut Chriſtus electis Apoſtolis, vnum inter eos conſtituit Apoſtolici Collegij Principem Petrum, vt capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio*, ita, inquit, Magnus Leo, alij poſtmodum hanc formam regiminis à Chriſto inſtitutam ſecuti ſunt, dum ordinando in ciuitatibus Epiſcopos, per ſingulas Prouincias cõſtituerunt eos, qui primam haberent inter fratres ſententiam, ideſt Metropoliticam poteſtatem; & rurſus quoſdam in maioribus vrbibus poſuerunt, vt ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, ideſt Exarchalem, & Patriarchalem dignitatem obirent. De qua Eccleſiarum diſtributione agens S. Bonauentura Opuſculo: Cur Fratres Minores prædicent. ſcribit: *Dominus IESVS Chriſtus omnium creator, & gubernator Sanctam Eccleſiam ſuam, aſcẽſurus in cœlum Apoſtolis regendam, & dilatandam commendauit, principaliter B. Petro Apoſtolo, cui de vniuerſo grege fidelium ſpecialiter dixit tertiò paſce oues meas. Sed vt ordinatiùs gubernaretur vniuerſalis Eccleſia*, *diſtin-*

*diſtinxerunt eam Sancti Apoſtoli per Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Parochias, & alias canonicas diſtinctiones, vt quia per vnum, vel per paucos non poterat ſingulis fidelium in omnibus ſaluti neceſſarijs congruè ſatisfieri, plures ad huius ſolicitudinis partes per determinatos ſibi limites pro vtilitate animarum vocarentur.* Hæc ibi Sanctus Bonauentura de Hierarchiæ Eccleſiaſticæ diſtributione, circa quam cum plura ſint obſeruatu digniſſima ſequentibus Diſſertationibus agemus. Primò quidem in hac de inſtitutione Epiſcoporum, & Metropotitanorum: ſecũdò de Exarchis, & Patriarchis, præſertim Orientalibus: tertiò de Patriarchatu Occidentis, quem Romano Epiſcopo competere, contra Nouatores noſtri ſæculi oſtendemus.

3. Diſtributio verò Eccleſiaſticę Hierarchiæ, cùm animarum regimini commodè pertractando potiſſimè intenta eſſe debeat, eo temperamento inſtituta fuiſſe videtur à Chriſto, & Apoſtolis, vt gentilium populorum conuentibus ſe accomodaret, qui humana quidem induſtria, Diuino tamen ordinante conſilio in Ciuitates, Prouincias, & Diæceſes varia partitione conceſſerant. Hinc minoribus in ciuitatibus Epiſcopos, maioribus verò in vrbibus Metropolitas, Exarchos, & Patriarchas Apoſtolorum ætate inſtitutos fuiſſe oſtendemus. Antequam verò id à nobis præſtetur, operæ pretium facturi videbimur, ſi Romani Orbis diſtributionem exhibeamus. Aliarum enim gentium ditionum, quæ nomini Romano haudquaquàm parebant, minimè tutum arbitror proſequi partitiones, cùm penuria Scriptorum fecerit, vt nulla, vel exigua illarum memoria deriuata ſit in poſteros. Romanum verò imperium, cui diuerſa partitio contigit, pro finibus modò anguſtiùs, modò latiùs extenſis, & pro varia Principum voluntate, penes quos rerum erat ſumma, non vſque adeò proſequemur, vt inſtituti noſtri videamur immemores. Cùm enim plures Romani orbis metatores, vt ita dicam, hiſtoriæ ſuggerant, ac quatuor potiſſimùm Panuinus recenſeat, Romulum, Auguſtum, Hadrianum, & Conſtantinum, id adhibebimus temperamentum in hiſce diſtributionibus eligendis, vt illæ tantummodò afferantur, quarum ratio in opere noſtro haberi debet. Omiſſa itaque Romuli diuiſione, & imperij finibus, qui Vrbe libera contigerunt: cùm hęc omnia ante Chriſtianæ Religionis exordium obtinuerint: tres à Panuino notatas diſtributiones, Auguſti, Hadriani, Conſtantini afferemus in medium; noſtram collaturi ſymbolam, ſicuti monumentorum antiquorum veritas diuerſam, aut ampliorem rerum memoriam ſuggeſſerit, quàm quæ Panuino innotuerit.

CA-

# CAPVT PRIMVM.

## *De varia Diſtributione Imperij in Diœceſes, & Prouincias, earumque regimine ſub vno, aut pluribus Imperatoribus, vſque ad Barbarorum inuaſionem.*

1. *Prima Prouinciarum diſtributio facta eſt ſub Auguſto, quam exhibet Dio Caſſius, & commentarijs ſuis illuſtrat Onuphrius Panuinus.*

2. *Prouinciæ duodecim Senatui ad regendum commiſſæ, quatuordecim Auguſto reſeruatæ, ex Onuphrio Panuino.*

3. *His 26. Prouincijs ab Auguſti Succeſſoribus Imperio adiectæ ſunt aliæ plures, quas noua forma diſtribuit Hadrianus.*

4. *Imperij Romani deſcriptio Hadriani temporibus facta ab Appiano Alexandrino.*

5. *Notitia Prouinciarum Hadriani ex Onuphrio Panuino adducitur, & quòd genuina non ſit monſtratur.*

6. *Adfertur verior Hadriani diſtributio ex varijs antiquitatis monumentis collecta.*

7. *Tempore Hadriani vnus, tempore Cōmodi duo Præfecti prætorio regebant omnes Prouincias, quas Conſtantinus Magnus quatuor Præfectis prætorio commiſit. Zoſimi hac de re teſtimonium adfertur.*

8. *Ex Zoſimo conſtat de Diœceſium, & Prouinciarum diſtributione per Cōſtantinum facta, eaque in medium adducitur.*

9. *Imperium in plures Prouincias diſtributum vnus tenuit à Cæſaris temporibus, vſq; ad Hadrianum; poſt quem nonnunquam Orbem Romanum æquo iure gubernarunt, vt probatur exemplis, vſque ad Diocletiani, & Maximiani tempora.*

10. *Primus, qui inter plures Principes Imperium diuiſit, eſt Conſtantinus Magnus, qui Prouincias Imperij inter três ſuos filios diſtribuit.*

11. *Secunda Imperij diuiſio ſub Valentiniano, qui Valenti Orientem commiſit, ſibi ſeruata Occidentis adminiſtratione. Vtriuſque autem limites adferuntur, & Illyricum Occidenti tributum oſtenditur.*

12. *Tertia Imperij diuiſio contigit ſub Gratiano, qui Theodoſio Iuniori regnum Orientis tradidit. Theodoſius autem poſt mortem Gratiani, Honorio filio Occidentem tradidit, ſibi ſeruato Illyrico; vnde poſt mortem Theodoſij Arcadio Orientis Imperatori Illyricum ceſſit.*

1. ANtequàm ex Onuphrio adferamus formam Imperij ſub Auguſto inſtitutam, præſtat audire Dionem Caſſium Virum Conſularem, qui tertio Chriſti ſæculo floruit, & lib. 53. hiſtoriæ Romanæ de Auguſto retulit: *Senatui, Populoque Africa, Numidia, Aſia, & cum Epiro Græcia, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta, Africa, Ciprenaica, Bythinia, cum Ponto finitimo, Sardinia, atque Hiſpania Bœtica ſcriptæ ſunt. Cæſari autem Hiſpaniæ quod reliquum erat, vt Tarraconenſis, Luſitaniaque, tum omnis Gallia, & Narbonenſis, & Lugdunenſis, Aquitaniaque, & Celtica, cum ijs populis, qui eorum coloris erant ..... Germania ſuperior, quæ Rheni fontibus propior eſt, inferior, quæ ab hac*

*vſque ad Oceanum Britannicum ſe extendit. Item Celeſgna, Phænicia, Cilicia, Cyprus, Aegyptus, ex quibus tamen poſtea temporis Cæſar Cyprum, ac Galliam Narbonenſem populo tradidit, pro eiſque Dalmatiam recepit, quæ permutatio etiam in alijs quibuſdam Prouincijs facta eſt; Recenſui autem Prouincias hoc modo, quoniam nũnc earum quæuis ſuũ habet peculiarem Præfectum, quum antiquitùs binis, vel ternis ſinguli præfuerint.* Hæc itaque erat diſtributio, quam Onuphrius contigiſſe putat, anno Vrbis conditæ 727. Aug. VII. & M. Agrip-,, pa 3. Coſſ. quum Cæſar Augu-,, ſtus ex S. P. Q. R. voluntate,, Imperium ſingulare, quod mi-,, nus ante legitimum videbatur,,, ſibi vni ſtabilijſſet: vt enim,, popularis videretur, tyranni-,, diſque ſuſpicionem à ſe amo-,, ueret, nequaquam totius Im-,, perij curam ſibi vni depopo-,, ſcit, ſed Prouinciarum omniũ,, populi Romani, quas Sextus,, Rufus in Breuiario, ſeu Epi-,, tome vtcunque enumerat, ad-,, miniſtrationem cum populo,, Romano communicauit. Quę,, namque pacatæ erant, & im-,, belles, atque à terminis Ro-,, mani Imperij longè aberant,,, militumque præſidijs non in-,, digebant, populo tradidit: eas,, verò Prouincias, quæ militari-,, bus copijs inſtructæ eſſent, vt,, exercitus omnes in poteſtate,, ſua haberet, ſibi retinuit ad-,, miniſtrandas, tanquam eas,, quoquè pacaturus, pacataſque,, populo redditurus. Hactenus Onuphrius, qui adiungit Prouincias quas Senatui, Populoque Romano tradidit adminiſtrandas, eaſque, ait, noua diuiſione in duodecim Diæceſes ab eo diſtinctas fuiſſe, reliquas verò, quas ſibi retinuit, in quatuordecim Diæceſes fuiſſe diſtributas.

# NOTITIA AVGVSTI.

## *Prouinciæ Senatui, & Populo Romano ſubditæ.*

2. Africa, Numidia, & Lybia Proconſularis.

Aſia cis Halim, & Montem Taurum, in qua Lydia, Ionia, Caria, Myſia, Phrygia, & Helleſpontus, Proconſularis.

Hiſpania Bœtica, Prætoria.

Gallia Narbonenſis, Prætoria.

Sicilia, Prætoria.

Sardinia, & Corſica, Prætoria.

Illyricum, & Epiri pars, Prætoria.

Macedonia, & Græciæ pars, Prætoria.

Achaia Theſſalia, Bæotia Acarnania,

nia, Epirique pars, Prætoria.
Creta, Cyrenaica, & Lybiæ pars, Prætoria.
Cyprus Prætoria.
Bithynia, Paphlagonia, Propontidis, & Ponti pars, Prætoria.

*Prouinciæ Auguſto ſubditæ, & in quatuordecim Diœceſes diſtributæ.*

Hiſpania, Luſitania.
Hiſpania Tarraconenſis.
Gallia Aquitania.
Gallia Lugdunenſis, aliàs Celtica.
Gallia Belgica, & Germania.
Parmenia, Noricum, Vindelicia, & Rhætia.
Mœſia, in qua Dardani, Tharces, & Daci.
Dalmatia, & Illyrici pars.
Alpes Maritimæ.
Cilicia, Iſauria, & Lycaonia.
Galatia, Pamphilia, & Piſidia.
Syria, Armenia minor, Meſopotamia, & Oriens omnis vſque ad Euphratem.
Aegyptus, & Arabiæ pars.
Italia omnis à freto Siculo ad Alpes.

3. Hæ fuerunt Romani Imperij prouinciæ, teſte Onuphrio, in 26. Diæceſes diſtributæ ab Auguſto Imperatore, qui quatuordecim earum per Rectores (petita à Senatu licentia) perpetuò adminiſtrauit, cæteras ipſi Senatui reliquit. Sub Tiberio autem poſt Auguſti obitum Romano Imperio acceſſerunt prouinciæ duæ, Cappadocia nimirum, & pars Comagenæ; ſub Caio Caligula Mauritaniæ duæ, Tingitana, & Cæſareenſis; ſub Claudio Britannia. *Sub Nerone duo tantùm Regna*, teſte Eutropio lib. 7. cap. 6. *Prouinciæ facta ſunt, Pontus Polemoniacus concedente Rege Polemone, & Alpes Cottiæ Rege defuncto.* Atque hæ ſunt prouinciæ Imperio contributæ inter Auguſti, & Veſpaſiani principatum, ſub quo deuicta Iudæa in prouinciæ formam redactæ ſunt Achaia, Lycia, Rhodus, & cœteræ Inſulæ; item Trachea, Cilicia, & Comagenes. Sub Traiano trans Danubium Dacia, trans Euphratem Armenia, Meſopotamia, Aſſyria, & Arabia, Prouinciæ factæ ſunt. De Armenijs, & Meſopotamia exſtat nummus cum hac inſcriptione: *Armenia, & Meſopotamia in P. P. R. redactæ.* De alijs etiam meminit Sextus Rufus in Breuiario: *per Traianum Armenia, Meſopotamia, Aſſyria, & Arabia prouinciæ factæ ſunt, ac limes orientalis ſupra ripam Tigridis fluminis inſtitutus.* Cæterum Hadrianus qui Traiano ſucceſſit, tres nobiliſſimas prouincias Armeniam, Meſopotamiam, & Aſſiriam illico Perſis reddidit, ſicque ſub Hadriano vetus Orientalis Imperij limes Euphrates fuit. Vixit autem ſub Hadriano Impera-

rato-

ratore Appianus Alexandrinus, qui accuratam Imperij Romani deſcriptionem in præfatione librorum ſuorum de hiſtoria Romana tradidit, cuius verba hîc ſubiungenda eſſe duximus:

4. ,, Scripturus populi Ro-
,, mani res geſtas, neceſſarium
,, duxi, primùm fines imperij de-
,, ſcribere: qui ſic habent: In
,, Oceano Britannicarum gentiũ
,, maiorem partem continent:
,, inde Herculeum fretum peten-
,, tibus, atq; porro vniuerſi Me-
,, diterrânei maris oram eaſdem
,, vſque columnas circùm rele-
,, gentibus, quicquid inſularum
,, regionumue maritimarum in
,, conſpectum venit; Romani
,, iuris cenſetur. Harum gentium
,, primi ad dexteram fretum pe-
,, netrantibus ſunt Mauri, quà
,, mare accolunt: deinde Afri alij
,, Carthaginem vſque. Supra
,, hos remotiores à mari ſunt
,, Nomades, quos Latini vocant
,, Numidas, ipſamque regionem
,, Numidiam. Sequuntur in ora
,, Libyes ſecundum vtramque
,, Syrtim ad Cyrenen pertinen-
,, tes: tum Cyrene ipſa, Marma-
,, ridæ, Hammonijque, & quic-
,, quid populorum circa Mareo-
,, tem lacum habitat: ad hæc
,, magna illa vrbs in Aegypti cõ-
,, finio, Alexandri conditoris no-
,, men referens: ipſaque Aegy-
,, ptus, patens aduerſo Nilo na-
,, uigantibus vſque verſos ad O-
,, rientem Aethiopas, per mare
,, verò vſque Peluſium. Hinc
,, curſu flexo in ora occurit Palę-
,, ſtina regio Syriæ, ſupra quam
,, eſt pars quædam Arabum: ad
,, mare Palæſtinos contingunt
,, Phœnices: ſuperiora occupat
,, caua (vt vocant) Syria, & quæ
,, Euphratem vſque amnem por-
,, rigitur: tum remotiores etiam
,, Palmyreni cincti arenis ſqua-
,, lentibus, & ipſi ad Euphratem
,, pertinentes. Poſt Syros ſunt
,, Cilices, hiſque confines Cap-
,, padoces, & Armeniæ pars quã
,, Minorem nominant; deinde
,, cæterę gentes, quotquot ſecun-
,, dùm Euxinum pontum parent
,, Romano imperio. harum Sy-
,, ri & Cilices noſtrum mare ſpe-
,, ctant: Armenij verò atque
,, Cappadoces hinc Ponticis na-
,, tionibus ſunt finitimi, inde
,, mediterraneis quas maior Ar-
,, menia complectitur: nulla qui-
,, dem Romanis tributa pendẽs,
,, ſed ex eorum auctoritate reges
,, accipiens. Medio autem Cap-
,, padocas inter & Cilicas ſpatio,
,, qua in Ioniam iter eſt, ingens
,, in Mare procurrit peninſula,
,, cuius dextrum latus Euxino
,, Propontideque & Helleſponto
,, atque Aegæo clauditur, læuum
,, Pamphylio, Aegyptioque ma-
,, ri alluitur: fertur enim verum-
,, que peninſulam facere: cuius
,, incolæ ad Aegyptium pelagus
,, verſi Pamphylij ſunt & Lycij,
,, ac deinceps Cares vſque Io-
,, niam: cæteri Euxinum, Pro-
,, pontidem, Helleſpontumque
,, ſpectant, Galatæ, Bithyni,
My-

„ Myſi, Phryges: mediterranea „ eius tenent Lydi & Piſidæ. tot „ gentes habitant hanc peninſu„ lam, omnes Romanorum ſub„ iectæ imperio. Trans fretum „ verò in Europa & alias pro„ uincias habent Ponto conti„ guas, Mæſiam ac Thraciam, „ quà Euxinum accolit. Ab Ionia „ verò Aegæus ſinus incipit, in„ de alter Ionius, poſt quem eſt „ fretum Siculum, & inde Tyr„ rhenum mare vſque columnas „ Herculeas. Atque hæc eſt lon„ gitudo ad Oceanum ab Ionia. „ in quibus oris hæ ſunt Roma„ næ prouinciæ, Græcia vniuer„ ſa, Theſſalia, Macedonia, tum „ finitimæ Thraciæ reliqua, & „ Illyricum ac Pannoniæ. Sequi„ tur ipſa Italia longiſſimo pro„ tenſa ſpatio, ab Ionio mari pr?„ ter Tyrrhenicum tendens vſq; „ Galliam: cuius prouinciç gen„ tes partim noſtrum mare ſpe„ ctant, partim ſeptentrionalem „ Oceanum, partim ſecundùm „ flumen Rhenum habitant. His „ accedit vniuerſa Hiſpania, & „ Celtiberi pertingentes ad ſe„ ptentrionalem occidentalemq; „ Oceanum, ac columnas Her„ culis. De ſingulis harum re„ gionum dicetur diligentiſſimè, „ quum ordo narrationis ad eas „ nos deduxerit. Nunc quàm „ amplis finibus maritimis im„ perium includatur, dictum eſt. „ Terreſtri verò itinere luſtranti „ eos occurrit pars Mauritaniæ „ vergens ad occidentalem Ae„ thiopiam, tum aliæ propter ni„ mium æſtum, aut noxias be„ ſtias, incultiores regiones Afri„ cæ, vſque orientales Aethio„ pas. Et hi quidem in Africa „ ſunt Romanorum termini: in „ Aſia verò flumen Euphrates, „ mons Caucaſus, Armeniæ ma„ ioris regnum, Cholchis quæ „ ad Euxinum mare colitur, & „ reliquum oræ illius. In Euro„ pa duo maximè fluuij Roma„ norum imperium finiunt, Rhe„ nus & Danubius: horum Rhe„ nus in ſeptentrionalem Ocea„ num, Danubius in Euxinum „ pontum euoluitur. Alicubi ta„ men trans hos quoquè amnes „ Germanis tranſrenanis non„ nullis imperant, & Getis vltra „ Danubium, quos ipſi Dacos „ nominant. Hi ſunt verſus con„ tinentem termini, quantùm „ exactiſſimè eos digerere potui„ mus. Inſulæ quoquè quotquot „ ſunt in mari mediterraneo, Cy„ clades, Sporades, Echinades, „ Tyrrenicæ, Baleares, ſeu quo„ cunque alio nomine, vel circa „ Africam, vel in Ionio, Aegy„ ptio, Myrtoo, Siculo, cæte„ roque noſtro mari quibuſcun„ que diſtincto vocabulis: tum „ illæ, quas ob excellentiam Grç„ ci magnas nominant, Cyprus, „ Creta, Rhodus, Lesbus, Eu„ bœa, Sicilia, Sardinia, Corſi„ ca, & ſi qua eſt alia maior mi„ norue, omnes Romanis pa„ rent. In ſeptentrionali etiam „ Oceano tranſportatis copijs in Bri-

,, Britanniam inſulam, quæ præ ,, magnitudine videri poſſit alia ,, terra continens, occuparunt ,, pluſquam dimidiam, de reli-,, quo eius parum ſoliciti, vt mi-,, nus commodo, quando ne id ,, quidem quod poſſident ex ea, ,, fructus affert vberes.

5. De Romani Imperij terminis ſcripſit Appianus Alexandrinus ſub Hadriano, de quo Imperatore teſtatur Aurelius Victor in Epitome: *Officia ſanè publica, & palatina, nec non militiæ, in eam formam Hadrianus ſtatuit, quæ paucis per Conſtantinum immutatis hodie perſeuerat*. Inter officia publica præcipuum locum habebant illa, quæ ad prouinciarum regimen pertinebant, & prouinciarum diſtributionem ſupponebant. Cùm itaque officia publica ab Hadriano inſtituta cum ijs, quæ Conſtantini temporibus obtinuerunt, conueniant, minimè neceſſe eſſet diſtributionē Hadriani ob oculos ponere, niſi Onuphrius Panuinus partem huius diſtributionis edidiſſet, & in quibuſdam corrigendus eſſet. Vt enim paucis ea comprehendamus, quæ plurimis Onuphrius tradidit: vltra 17. Italiæ prouincias, exhibet Hiſpaniarum prouincias ſex, Tarraconenſem, Carthaginenſem, Luſitanam, Gallæciam, Bœticam, & Transfretanam: Galliarum, & Britanniarum prouincias octodecim à Sexto Rufo enumeratas, quarum tres ad Britanniam, reliquæ quindecim ad Gallias pertinebant, nimirum Alpes maritimas, Maſſilienſem, Ambianenſem, Viennenſem, Narbonenſem, Nouempopulanam, Aquitanias duas, Alpes Cottias, Maximam Sequanorum, Germanias duas Belgicas duas, & Lugdunenſes duas, & has quidem Gallicas prouincias: Britannicas autem tres vocat: Maximam Cæſareenſem, & Britannias duas. Addit Illyrici prouincias 17. & Thraciæ ſex, ac Africæ ſex, Proconſularem, Numidiam, Byzancenam, Tripolitanam, Mauritaniam Sytifenſem, & Mauritaniam Cæſareenſem. Porrò hæc diſtributio prouinciarum Romani Imperij, quam Onuphrius Panuinus Hadriano tribuit, in nonnullis à vero aberrare videtur, idque ex Galliarum, Hiſpaniarum, & Africæ prouincijs facilè demonſtrari poteſt: in Gallijs namque quatuor dumtaxat prouincias Auguſtus conſtituit, quas vſque ad Hadriani tempora permanſiſſe, ex Pauli Oroſij lib. 1. hiſtoriarum colligitur, vbi in quatuor partes Galliam diſtributam fuiſſe aſſerit, & ſingularum partium, ſiue Prouinciarum terminos deſcribit. Oroſio concinit Ammianus Marcellinus libro 15. affirmans, quòd fuerit *poteſtate in partes diuiſa quatuor*, quarum Narbonenſem vnam, Lugdunenſem alteram, Aquitanicam tertiam, & quartam Belgicam fuiſſe indicat. In Hiſpania quoquè ſub Imperio Hadriani non ſex, vt Onuphrius poſuit, ſed tres dum-

dumtaxat Prouincias enumeratas fuiſſe, Caius Iulius Solinus in primis affirmat, dum in Polyhiſtore cap. 26. ſcribit: *Hiſpania diuidua eſt Prouincijs tribus*. Quod idem Ioannes Gerundenſis Epiſcopus teſtimonio ſuo comprobat. In Africa demum vſque ad Hadriani tempora tres duntaxat Prouincias fuiſſe, colligere licet ex D. Cypriano, qui præter Africam Proconſularem, duas tantùm Prouincias, Numidiam ſcilicet, & Mauritaniam agnoſcit, vt infra ex eius verbis monſtrabimus. In Britannia demum vſque ad Traiani tempora vnam dumtaxat Prouinciam fuiſſe, Tacitus ſæpius indicat. Quarè ſi vlla Prouinciarum diſtributio ab Hadriano facta ſit in Britannia; illam fateri neceſſe erit, quę Britanniam ſuperiorem ab inferiori diſcernit. Recentior partitio fuit, quæ in tres Prouincias tripartitam antea regionem diſtribuit: hæc enim Conſtantino adſcribitur, à quo Britannia prima, Britannia ſecunda, & Maxima Cæſareenſis ordinatæ ſunt, vt infra videbimus. Corrigendus itaque Onuphrius, cùm huiuſmodi partitionem Hadriano tribuit: quamuis enim certò ſtatui nequeat de numero Prouinciarum, quas Imperator ille Diœceſibus attribuit; de aliquibus tamen aliqua poſſunt adferri extra dubitationis aleam poſita, de alijs verò veſtigia quædam in veterũ teſtimonijs, & antiquitatum monimentis, quę indagatorum ſolertiæ viam veluti muniunt ad vlteriorem eruditionis metam.

# IMPERII ROMANI DIVISIO
## IN PROVINCIAS.
### *FACTA AB IMPERATORE HADRIANO.*

6. *In Italia partes duæ.*

PRima continens Regiones ſuburbicarias à Piceno, quod in antiquis Notitijs Suburbicarium nominatur, vſq; ad Siciliam, de qua ſcribit Sextus Rufus in Breuiario; *cùm iam Sicilia ſuburbana eſſet Populi Romani Prouincia.*

Secunda continebat regiones vltra, & cis Padum ſitas, cum adiacentibus Prouincijs, quę ab Alpibus, vſque ad Apenninos montes ſeſe extendunt; ſuntque Liguria, Aemilia, Alpes Cottiæ, Rhetiæ duæ, Venetiæ, & Hiſtria.

*In Africa Prouinciæ tres.*

Africa Proconſularis, Numidia, Mauritania.

*In Hiſpania Prouinciæ tres.*

Prouincia Tarraconenſis, Bætica, Luſitana.

*In Gallijs Prouinciæ quatuor:*

Prouincia Belgica, Lugdunenſis, Aquitanica, Narbonenſis:

*In Britannijs Prouinciæ duæ:*

Prouincia Britannia ſuperior, Britannia inferior:

*In Illyrico Prouinciæ decem & ſeptem.*

Prouinciæ Norici duæ.
Prouinciæ Pannoniarum duæ.
Prouincia Valeriæ.
Prouincia Sauiæ.
Prouincia Dalmatiæ.
Prouincia Mœſiæ primæ.
Prouinciæ Daciarum duæ.
Prouincia Macedoniæ.
Prouincia Theſſaliæ.
Prouincia Achaiæ.
Prouincia Epirus prima:
Epirus ſecunda.
Prouincia Præualitana.
Creta Inſula.

*In Aegypto Prouinciæ quatuor.*

Agyptus, in qua Alexandria,
Thebais.
Libya.
Pentapolis.

*In Oriente Prouinciæ tredecim.*

Palæſtina.
Phœnicia.
Phœnicia Libani.
Cœleſyria.
Syria.
Ciliciæ duæ.
Iſauria.
Cyprus.
Meſopotamia.
Arabia.
Syria Comagena, ſeu Euphratēſis.
Oſrhoena.

*In Thracia Prouinciæ ſex.*

Thracia:
Hæmimontium:
Mœſia inferior.
Scythia.
Rhodope:
Europa, in qua Byzantium, & expugnato per Seuerum Byzantio Perinthus, ſeu Heraclea Metropolis facta eſt.

*In Ponto Prouinciæ octo.*

Galatia.
Bithynia.
Hellenopontus.
Pontus Polemoniacus.

Cap-

Cappadociæ duæ.
Paphlagonia.
Armenia.

*In Aſia Prouinciæ vndecim:*

Aſia Proconſularis.
Pamphylia.
Helleſpontus.
Lydia.
Piſidia.
Lycaonia.
Phrygiæ duæ.
Lycia.
Caria.
Inſulæ, quarũ Metropolis Rhodus.

7. Diſtributionem Prouinciarum, quæ Romanæ ditionis nomine cenſebantur, ab Hadriano Imperatore conſtitutam, fide qua potui maxima, ex veterum teſtimonijs reſtituere conatus ſum. Supereſt, vt de ſupremo illarum Moderatore, qui primas ab Imperatore obtinebat, nempe de Præfecto prætorio nonnulla conferam: videtur enim malè tradidiſſe Lampridius in Commodo tres olim Præfectos prætorio ab eo Principe conſtitutos, qui vniuerſis præeſſent prouincijs, cùm anteà ad id muneris deligerentur. Refragatur apertè Commodo æqualis Herodianus, qui ſui temporis hiſtorias oculatus teſtis expoſuiſſe fideliùs cenſendus eſt. Is itaque duos dumtaxat Præfectos prætorio à Commodo, cùm anteà ſingularis eſſet, apertè tradit libro primo hiſtoriarum. Præſtat eius verba referre, prout latinè ſonant: Occiſo Perenni Præfecto prætorio (inquit Herodianus) *Commodus duos conſtituit Præfectos: tutius fore ratus, tantam illam poteſtatem, non vni dumtaxat credere, ſed diſſectam in partes imbecilliorem eo pacto contra Principem reddere.* Herodiano concinit Zoſimus libro ſecundo hiſtoriarum, dum in Conſtantinum Magnum ad fidem conuerſum homo gentilis his verbis rabiem ſuam euomuit: *Conturbauit & Magiſtratuum officia iam olim inſtituta. Nam quum duo eſſent Præfecti prætorio, qui hoc officium communiter gerebant, non Palatini tantùm ordines eorum cura, poteſtateque gubernabantur, ſed etiam ij, quibus vrbis erat commiſſa cuſtodia, & quotquot in omnibus limitibus erant collocati. Hic enim Præfectorum prætorij Magiſtratus, qui poſt Imperatorem ſecundus æſtimabatur, & annonas erogabat, & contra militarem diſciplinam admiſſa conuenientibus pœnis corrigebat. Conſtantinus autem rectè conſtituta loco mouens, vnum hunc Magiſtratum in quatuor imperia diſcerpſit: Nam vni Præfecto totam Aegyptum cum Libyæ Pentapoli, & Orientem ad Meſopotamiam vſque, & præterea Cilices, Cappadoces, Armenos, oramque maritimam totam à Pamphylia Trape-*

*zuntem vſque, & vſque ad caſtella propter Phaſidem ſita tradidit. Eidem & Thracia commiſſa, & Myſia, Aſemi, ac Rhodopes, ac Doberi oppidi finibus circumſcripta. Prætereà Cyprum adiecit, & Cycladas Inſulas, Lemno, & Imbro, & Samo thracia exceptis. Alteri Macedones attribuit, & Theſſalos, & Cretenſes, & Græciam, & circumiacentes Inſulas, & Epirum vtramque, & præter has Illyrios, & Dacas, & Triballos, & Pannonios ad Valeriam vſque, & Myſiam prætereà ſuperiorem. Tertio totam Italiam, & Siciliam, & circumiacentes Inſulas, itemq; Sardiniam, & Corſicam, & Africam à Syrtibus Cyrenem vſque. Quarto Tranſalpinos Celtas, & Hiſpanos cum Inſula Britannica.*

8. Præclarus iſte Zoſimi locus peculiarem à nobis poſtulat animaduerſionem. Conſulit enim non modò numero Præfectorum, verùm etiam muneri Præfecturæ; ac ſicut duos primùm à Commodo conſtitutos euincit, ita ab vtroque communi voto adminiſtratum aſſerit Magiſtratus officium. Fateor ingenuè, me perperam fuiſſe opinatum, antequàm hunc Zoſimi locum diligentiùs expenderem. Putabam enim ea lege fuiſſe duos à Commodo conſtitutos, vt partita iuriſdictione ſupremam alteruter in aſſignatis ſibi prouincijs poteſtatem obtineret, nec in alterius præfectura quidquam iuris exercere poſſet. Verùm iſte Magiſtratus non niſi à Conſtantino videtur inductus in Rempublicam vnà cum quadruplici Præfectura, cùm anteà vterque Præfectus communi voto in vniuerſis Imperij finibus ius diceret. Quæ omnia perſpicuè admodum, atque eleganter complexus eſt hiſtoricus cùm diceret: *Vnum hunc Magiſtratum in quatuor imperia diſcerpſit.* Statuamus igitur, ante Commodi principatū vnico Magiſtratu Præfecti prætorio ſingularem virum ornatum fuiſſe: Commodi ætate ad Conſtantini Imperium vnicum Magiſtratum à duobus Præfectis geſtum eſſe: Conſtantini demùm æuo nec vnicum Magiſtratum, nec à Collegio duorum, ſed quatuor Præfecturas à totidem claris Viris adminiſtratas ita fuiſſe, vt vnuſquiſque in Diœceſibus diuerſis ſingillatim obiret munus, prout ab Imperatoris arbitrio obtinuerat. Quæ vt oculis libentiùs vſurpentur, & animo euidentiùs ingerantur, placet Imperij Romani Præfecturas vnà cum Diœceſibus, & Prouincijs vnicuique attributis adnectere. Si enim conferatur partitio, quam modò exhibemus, cum ea, quam paulò antè attulimus in Hadriani Principatu, diſcrimen vtriuſque diuiſionis perſpicuè apparebit.

NOTI-

# NOTITIA IMPERII A CONSTANTINO M. VSQVE AD ARCADIVM, ET HONORIVM.

*Præfectus Prætorio Orientis: & ſub ipſo Diœceſes quinque.*

| *Orientis.* | *Aegypti.* | *Aſiæ.* | *Ponti.* | *Thraciæ:* |
|---|---|---|---|---|
| *Sub Diœceſi Orientis* | *Sub Diœceſi Aegypti* | *Sub Diœceſi Aſiæ* | *Sub Diœceſi Ponti* | *Sub Diœceſi Thraciæ* |
| *Sub Conſtantino tredecim, poſteà quindecim.* | *Prouinciæ ſub Conſtantino quatuor, poſteà octo.* | *Prouinciæ vndecim.* | *Prouinciæ decẽ ſub Conſtantino, poſteà vndecim.* | *Prouinciæ ſex.*<br>Prouinciæ ſex. |
| Syria cuius caput Antiochia. | Libya ſuperior. | Aſia Proconſularis. | Galatia. | Europa. |
| Syria Salutaris. | Libya inferior. | Pamphylia. | Bithynia. | Thracia. |
| Phœnice. | Thebais. | Helleſpontus. | Cappadocia prima. | Hemimontis. |
| Phœnice Libani. | Aegyptus, quæ in duas Prouincias eiuſdem nominis diuiſa eſt ante Arcadij tempora. Sicut & ab Aegypto per Gratianum auulſa | Lydia. | Cappadocia ſecunda. | Rhodope. |
| Euphratenſis. | Auguſtamnica, quæ poſteà diuiſa eſt in duas eiuſdẽ nominis. | Piſidia. | Paphlagonia. | Mœſia ſecunda. |
| Oſrhoena. | Arcadia ſub Arcadio Imperatore à Thebaide auulſa. | Lycaonia. | Pontus Polemoniacus. | Scythia. |
| Meſopotamia. | | Phrygia Pacatiana. | Hellenopontus. | |
| Arabia. | | Phrygia Salutaris. | Armenia prima. | |
| Cyprus. | | Lycia. | Armenia ſecunda. | |
| Cilicia. | | Caria. | Galatia ſalutaris. | |
| Cilicia ſecunda. | | Inſulæ. | Honorias acceſſit tempore Honorij Imperatoris. | |
| Iſauria. | | | | |
| Paleſtina, à qua poſt Cõſtantinum auulſæ | | | | |
| Paleſtina ſecunda, | | | | |
| Et Paleſtina Salutaris. | | | | |

Præ-

*Præfectus prætorio Illyrici: & ſub ipſo Diœceſes duæ.*

| *Macedoniæ, Sub Diœceſi Macedoniæ Prouinciæ ſex.* | *Et Daciæ. Sub Diœceſi Daciæ Prouinciæ quinque.* |
|---|---|
| Achaia. | Dacia Mediterranea. |
| Macedonia. | Dacia Ripenſis. |
| Creta. | Mœſia prima. |
| Theſſalia. | Dardania. |
| Epirus vetus. | Præualitana, & pars Macedoniæ Salutaris. |
| Epirus noua, & pars Macedoniæ Salutaris. | |

*Præfectus prætorio Italiæ: & ſub ipſo Diœceſes tres.*

| | *Italiæ. Sub Diœceſi Italiæ Prouinciæ decem & ſeptem.* | *Illyrici. Sub Diœceſi Illyrici Prouinciæ ſex.* | *Africæ. Sub Diœceſi Africæ Prouinciæ ſex.* |
|---|---|---|---|
| Hæ ſeptem Prouinciæ parebant Vicario Italiæ. | Venetiæ. | Pannonia ſecunda. | Africa, à qua Byzacium auulſum fuit. |
| | Aemilia. | Sauia. | Numidia. |
| | Liguria. | Dalmatia. | Mauritania Sitifenſis. |
| | Flaminia, & Picenum Annonariū. | Pannonia prima. | Mauritania Cæſareenſis. |
| | Alpes Cottię. | Noricum Mediterraneum. | Tripolis. |
| | Rhetia prima. | Noricum Ripenſe. | |
| | Rhetia ſecunda. | | |
| Hæ decem Prouinciæ parebant Vicario Vrbis. | Picenum Suburbicarium. | | |
| | Tuſcia, & Vmbria. | | |
| | Campania. | | |
| | Sicilia. | | |
| | Apulia, & Calabria. | | |
| | Lucania, & Brutij. | | |
| | Samnium. | | |
| | Valeria. | | |
| | Sardinia. | | |
| | Corſica. | | |

Præ-

*Præfectus prætorio Galliarum. & ſub ipſo Diœceſes tres.*

| *Hiſpania. Sub Diœceſi Hiſpaniæ Prouinciæ ſeptem.* | *Septem Prouinciarum ſub Diœceſi Galliarum tempore Conſtantini Magni Prouinciæ quindecim, poſteà ſeptem decim.* | *Britanniarum. Sub Diœceſi Britanniarum tempore Conſtantini Prouinciæ tres, poſteà quinque.* |
|---|---|---|
| Bœtica. | Viennenſis. | Maxima Cæſareenſis. |
| Luſitania. | Lugdunenſis prima. | Britannia prima. |
| Gallæcia. | Germania prima. | Britannia ſecunda. |
| Tarraconenſis. | Germania ſecunda. | His acceſſerunt |
| Carthaginenſis. | Belgica prima. | Valentia ſub Valente, |
| Tingitania. | Belgica ſecunda. | Et Flauia Cæſarienſis ſub Flauio Theodoſio Imperatore. |
| Baleares. | Alpes maritimæ. | |
| | AlpesPœninę,& Graię. | |
| | Maxima Sequanorum. | |
| | Aquitania prima. | |
| | Aquitania ſecunda. | |
| | Nouempopuli. | |
| | Lugdunenſis ſecunda. | |
| | Narbonenſis prima. | |
| | Narbonenſis ſecunda, à qua poſt Conſtantinum auulſa eſt | |
| | Lugdunenſis tertia, & | |
| | Lugdunenſis Senonia, ſeu quarta. | |

9. Hactenus Imperij Romani Prouincias proſecuti ſumus, ea diuiſione ſeruata, quæ à Magni Conſtantini ad Honorij, & Arcadij principatum obtinuit. Quò minùs id præſtemus in poſterioribus ſæculis, Scriptorum inopia, & rerum Romanarum perturbatio impedimento eſt. Conſtat quidem, poſt eorundem Auguſtorum Imperium nonnullas prouincias in alias fuiſſe diſtractas, ſed cum ijs temporibus Reipublicæ iniquiſſimis Gothi, Hunni, & Wandali Romanum Imperium inuadentes diuina, & humana quoquè turbauerint, & corpus ipſum Imperij plura in regna diſcerpſerint, bonaſque artes vna cum pacis otio illarum cuſtode ſuſtulerint, æquè prouincijs iura, ac rebus ſuis memoriam ademerunt. Hac demum clade concidit res humana, cuius funera celebranda fuerant, altò earundem litterarum ſilentio, quę ad nos olim aureo Reipublicæ ſæculo,

culo adductæ, vnà cum Republica ducentos annos, & duplo diuturniùs, cum Cæſarum authoritate viguerant: ab his enim ſupra quadringentos annos adminiſtratum fuit Imperium, poſtquàm illud primò Cæſar armorum iure, aut iniuria ad vnius dominatum redegit, & populi totius accedentis conſenſu in iuſtum principatum occupatio migrauit. Vnus itaque Monarcha: nemo enim dubitat, ita vocandos eos, in quos Tribunorum ſanctitas, Conſulum, & Pontificum dignitas, Imperatorum, Dictatorum, Cenſorum, Senatus demum, & populi poteſtas vniuerſa coaluit citra inuidiam regij nominis: vnus, inquam, Monarcha ab Auguſto Cæſare, ad Appiani Alexandrini tempora Orbi Romano præfuit: *& vſque ad hanc ætatem* (inquit Appianus in præfatione librorum hiſtoriæ Romanæ) *eadem poteſtas ſub vno Principe, quos Imperatores, non Reges vocant, vetere iure iurando adſtricti, ſe neminem Romæ regnare paſſuros, ſed eos Imperatores vetere Ducum nomine vocauerunt*. A Cæſare itaque vſque ad Hadrianum, ſub quo Appianus ſcripſit, vnus Imperator orbem Romanum in prouincias diſtributum gubernabat: poſt Hadrianum duo quandoque Auguſti ſimul imperarunt, nulla tamen inter eos prouinciarum diuiſione intercedente Imperiũ omne communi calculo adminiſtrarunt. Sic de Marco Antonio Vero, & Lucio Aurelio Hadriani ſucceſſoribus habet Euſebius in Chronico. Hi primùm æquo iure Imperium adminiſtrauerunt, cùm vſque ad hoc tempus ſinguli Auguſti fuerint. Ita quoquè æra vulgari 236. proclamati Imperatores Gordianus, & eius filius, cognitione, imperio, moderatione coniunctiſſimi, propterea fortuna ſe inuicem conſecuti ſunt, cum rerum ſummam vix paucis ſupra menſem diebus vnà tenuiſſent. Gordianorum nepotem, & filium Gordianum exceperunt Philippi, pater & filius, haud tamen diuturno principatu; cum filius quinto imperij anno vnà cum patre à militibus interfectus, Decio, & eius filio Herennio in conſortem Imperij à patre aſſumpto (licèt annum ageret duodecimum) locum in vitæ, & regni fabula conceſſit. Mox Imperatores creati Gallus pater eiuſque filius Voluſianus eodem poteſtatis conſortio biennio circiter functi, ac perfuncti ſunt. Ita Gallienus, & Valerianus communi iure prouincias Romanæ ditionis per quinquennium rexerunt. Ita denique Diocletianus anno 286. in ſocium imperij aſſumpſit Maximianum, quocum ſine vlla prouinciarum diuiſione per octodecim annos imperauit.

10. Notat quidem Archiepiſcopus Pariſienſis de Marca lib. 1. cap. 4. num. 4. diuiſionem Imperij primò tentatam à Diocletiano, dum ſibi, & Galerio Maximino retinuit Orientem, regia conſtituta

tuta in vrbe Nicomedia, Occidentemq; Conſtantio patri Conſtantini, & Maximiano diſtribuit, datis huic Illyrico, Italia, & Africa; illi Britannijs, Hiſpanijs, Gallijs, apud Socratem: citat autem in margine Socratis libri primi caput 6. vbi tamen nihil ſimile reperire potuí. Vndenam verò illud habuerit de Marca, nunc inquirere non vacat, cum id Diocletianum fruſtrà tentaſſe fateatur, ſubiungatq; primò Conſtantinum Magnum Orbem Romanum in partes diuiſiſſe, dum tres filios, Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem Imperij hæredes ſcripſit. Qua de re Aurelius Victor in epitome: *Conſtantino vita defuncto ad tres orbis Romani dominatio redacta eſt, Conſtantinum, & Conſtantium, ac Conſtantem filios Conſtantini. Hi ſinguli has partes regendas habuerunt. Conſtantinus Iunior cuncta trans Alpes: Conſtantius à freto Propontidis Aſiam vſque Orientem: Conſtans Illyricum, Italiamque, & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniamque, & Achaiam*. Addit quidem Hannibalianum, cui Armenia, nationeſque circumſociæ contigerant: verùm illum nequaquam inter Imperatores numerat Zoſimus, qui lib. 2. hiſtoriarum in Conſtantino ita ſcribit: *Conſtantinus quidem natu maximus, cum minimo natu Conſtante omnia trans Alpes ſita, & Italiam, & Illyricum ſortitus eſt: præterea Ponto Euxino finitima, & Africæ quidquid ad Carthaginem pertinet. Conſtantio datum eſt, quidquid eſt in Aſia, & Oriente, & Aegypto. Erant & Imperij quodammodò participes Dalmatius à Conſtantino Cæſar dictus, & Conſtantius Conſtantini frater, & Hannibalianus, qui purpurea, & aureis ornata limbis veſte vtebantur: dignitatem nobiliſſimatus, vt vocant, ab ipſo Conſtantino propter dignationis reuerentiam conſequuti*. Vbi Zoſimus Hannibalianum nominat inter cæteros Imperij quodammodò participes, non tamen Auguſtos, vel Imperatores, quales erant tres Conſtantini filij, de quibus faſti Idatij Feliciano, & Titiano Conſulibus: *Ipſo anno* (quo mortuus eſt Conſtantinus) *nuncupati ſunt tres Auguſti Conſtantinus, & Conſtantius, & Conſtans V. Idus Septembris*. Conſtantino itaque tributæ ſunt Diœceſes Hiſpaniæ, Galliarum, & Britanniæ: Conſtanti Diœceſes Italiæ, Africæ, & Illyrici, & Thraciæ: Conſtantio autem Diœceſes Ponti, Aſiæ, Orientis, & Aegypti. Quæ Imperij diuiſio haud diù locum habuit, cum Conſtantinus Iunior poſt trium annorum Imperium interierit, & Conſtans Britanniæ, Hiſpaniæ, & Galliarum Diœceſes Imperio ſuo, quod Occidentale vocari poteſt, adiunxerit: poſteà verò & ipſe Conſtans à Maxentio occiſus ſit, & totum deinde Imperium ſuperato per Conſtantinũ

Maxentio in vnius poteſtatem redactum, quod vſque ad Valentinianum Imperatorem obtinuit.

11. Orbem namque Romanum rurſus diuiſit Valentinianus Senior, de quo Theodoretus lib.4. cap. 6. quòd accitum ex Pannonia fratrem ſuum Valentem conſortem Imperij fecerit, *& Aſiam quidem, atque Aegyptum ei regendam commiſit; ſibi verò Europæ partes reſeruauit*. Idem teſtatur Sozomenus lib.4. cap. 6. *Valenti*, inquiens, *tribuit Prouincias, quæ ad Orientem ſitæ ſunt: eas verò, quæ ab Illyrico vſq; ad Oceanum Occidentalem, & eam quæ eſt ex aduerſo continentem vſque ad extrema Africæ ſub ſua poteſtate conſtituit*. Et ante Sozomenum Zoſimus ſcriptor gentilis lib.4. hiſtoriarum: *Viſum eſt Valentiniano, diuiſo cum fratre Imperio, curæ quidem illius Orientem ad Aegyptum vſque, Bithyniamque, ac Thraciam permittere; ſe verò ſortitum Illyricas vrbes in Italiam tranſire, atque Vrbes in ea ſitas, vnà cum Tranſalpinis nationibus, & Hiſpania, & Inſula Britannia, totaque Africa iuri ſuo reſeruare*. Valentinianus itaque Occidentis Imperium retinens octo omnino Diœceſes habuit, Macedoniæ nimirum, Daciæ, Italiæ, Illyrici, Africæ, Hiſpaniæ, Galliarum, & Britanniæ. Valenti verò fratri ſuo Orientis Imperium tradens, quinque omnino Diœceſes tribuit, Orientis ſcilicet, Aegypti, Aſiæ, Ponti, & Thraciæ; ita vt Thracia, quæ in prima Conſtantini diuiſione Conſtans ditione ſua complectebatur, in hac noua Valentiniani diuiſione Valenti Orientali Imperatori tributa ſit, prout perpetuò ſub Oriētalium Imperatorum adminiſtratione permanſit, ijs in Vrbe Conſtantinopolitana Regiam firmantibus, vt patet ex pleriſque Valentis in Imperio Orientali ſucceſſoribus.

12. Narrat S. Proſper in Chronico de Gratiano Valentiniani ſucceſſore: *Theodoſium Theodoſij filium in conſortium aſſumit Imperij, eique Regnum tradit Orientis*. Idem omnino Zoſimus lib.4. hiſtoriarum: *Hoc*, nimirum Theodoſio, *Thraciæ rebus, & Orienti Præfecto, ipſe* (ſcilicet Gratianus) *ad Occidentales Gallos tendit, vt eorum locorum res, ſi poſſet, componeret*. De Theodoſio autem, qui poſtmodùm ſolus Imperium obtinuit, idem Zoſimus in fine 4. libri adiungit: *Ceterùm Theodoſius Imperator Italiæ populis, & Hiſpanis, & Celtis, & vniuerſa præter hæc Africa Honorio filio ſuo traditis, dum Conſtantinopolim reuertitur, morbo vitam finit, eiuſque corpus Poliinetum ſepulcbris Imperatorijs, quæ Conſtantinopoli ſunt, illatum fuit*. Vbi videre licet, Theodoſium abdicato Occidentis Imperio non ſolùm ſibi reſeruaſſe Thraciam, in cuius ciuitate primaria Conſtantinopoli poſt mortem ſepultus fuit, ſed etiam retinuiſſe

nuiſſe Illyricum, vnde forſan poſt mortem Theodoſij Illyricum Arcadio Orientis Imperatori tributum fuit. Habet quidem Marcellinus Comes: *Olybrio, & Probino Coſſ. Theodoſius Magnus apud Mediolanum vita deceſſit; imperauit annos 16. corpus eius eodem anno Conſtantinopolim allatum eſt, atque ſepultum. Arcadius, & Honorius germani vtrumque Imperium diuiſis tantùm ſedibus, tenere cœperunt.* Ex quibus verbis deducitur, quòd Orientale Imperium Arcadio, & Honorio Theodoſij filijs poſt patris obitum delatum ſit, idque mutatis ſedibus tenuerint. Verùm aliter Theodoretus lib. 5. cap. 25. vbi de Theodoſio ſcribit: *In morbum delapſus Imperium filijs ſuis diſtribuit: ac maiori quidem natu partem, quam ipſe rexerat, minori verò Europę Imperium aſſignauit.* His enim verbis manifeſtè indicat Theodoretus, Arcadium Orientis Imperium obtinuiſſe, quod ſibi Theodoſius retinuerat: retinuit autem vltra quinque Diœceſes etiam duas Illyricanas, Daciæ nimirum, & Macedoniæ, quæ ideò in partibus Orientis poſitę dicuntur à Notitia Imperij, vt ab Illyrico Occidentali diſtinguerētur. Quę omnia accuratè annotanda ſunt, cùm exinde quamplura ad eruditionem Eccleſiaſticam ſpectantia illuſtrari poſſint, vt ex ſequentibus patebit. Cæterùm neceſſe non eſt poſt Arcadij, & Honorij principatum variam Imperij fortunam exhibere, cum ex illo tempore ruptis quaſi aggeribus Alani, Sueui, Wandali, Gothi, aliæque barbaræ gentes Romanum Imperium inundarint, ſub quibus miſerandum in modum Occidentis Prouinciæ à Diœceſibus, Diœceſes ab Imperio auulſæ ſunt, donec Iuſtinianus Imperator duce Beliſario nonnullas earum ab impiorum tyrannide liberatas Imperio Romano reſtituit. Atque hæc ſufficiant de Prouinciarum Ciuilium diſtributione: nunc ad res Eccleſiaſticas veniamus.

# CAPVT SECVNDVM.

## *De inſtitutis ab Apoſtolis per Ciuitates Epiſcopis.*

1. *Hæreticorum error eſt, eoſdem olim fuiſſe & Epiſcopos, & Presbyteros, pro quo nonnulla Scripturæ, & Patrum teſtimonia adferunt.*

2. *Loca Scripturæ, & Patrum admittuntur, ſed ſolùm probant, nomen Epiſcopi, & Presbyteri olim promiſcuè ſumptum fuiſſe. Cùm tamen ſingulis ciuitatibus veros Epiſcopos præpoſitos fuiſſe, conſtet ex teſtimonijs Clementis Romani, & D. Cypriani, ac canonibus Sardicenſis, & Laodiceni Concilij.*

3. *Neque verum eſt, quod Salmaſius, aliique probare conatur ex D. Ambroſij, & Hieronymi verbis, quòd Epiſcoporum per ciuitates inſtitutio cœperit poſt tempora Apoſtolorum.*

4. *Probatur enim, ex Ambroſij, & Hieronymi locis ſequi, quòd ipſis Apoſtolorum temporibus conſtituti fuerint ſupra presbyteros Epiſcopi, quod ex electo Hieroſolymis in locum Iacobi Apoſtoli Simeone Cleophæ confirmatur Euſebij teſtimonio.*

5. *Idem de ipſo Iacobo oſtenditur ex teſtimonijs D. Hieronymi, & Clementis Alexandrini, qui eum ab Apoſtolis primum Hieroſolymorum Epiſcopum creatum fuiſſe perhibent.*

6. *Epiſcopos quoquè extremis Apoſtolorum temporibus in ciuitatibus Aſiæ conſtitutos fuiſſe, ex Ioannis Apocalypſi deducitur, & ex Polycarpo Smyrnenſi Epiſcopo per ipſum Ioannem conſtituto, vt varijs antiquorum teſtimonijs comprobatur.*

7. *Idem confirmat D. Ignatius Martyr varijs locis, quæ ex duplici epiſtolarum editione adferuntur.*

8. *Satisfit hæreticorum obiectionibus, hoc vno argumento, quòd ad ſolos Epiſcopos, non autem presbyteros ſemper ſpectauit ius ordinationum.*

1. VT Eccleſiaſticæ Hierarchiæ baſim conuellant Salmaſius, Blondellus, alijque hæretici, è ſede primùm dimouere conantur Epiſcopos, quorum dignitatem ita confundunt cum minori ſacerdotio, vt eoſdem antiquitùs fuiſſe Epiſcopos, ac ſeniores, ſiue presbyteros contendant: & Eccleſiarum regimen Apoſtolorum ætate non ab ijs, quos modò appellamus Epiſcopos, ſed à Seniorum Concilio adminiſtratum fuiſſe, pertinaci errore aſſeuerent. Et vt fidem falſæ opinioni adſtruant, plura vſurpant Sacræ paginæ teſtimonia, plures adhibent è SS. Patribus authoritates, quorum patrocinia violenter ab ijs vſurpata, ne diuturna poſſeſſione proſcribi poſſe confidant, afferenda ſingillatim duximus. Ea ipſa loca, vnde Sacrarum hiſtoriarum veritati, & Patrum noſtrorum ingenuitati, fideique concordiæ inſidiari conantur, ſatìs ſeſe vindicabunt ab iniuſto plagio, ſi proponantur quæ hæretici opponunt. Capiendum à Scripturæ locis initium, audiendusque in primis Doctor Gentium, qui Actorum 20. verſ. 28. loquens ad Maiores natu Eccleſiæ Epheſinæ, *Attendite vobis*, inquit, *& vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Quo loco Paulus Seniores, ſiue presbyteros Eccleſiæ Epheſinæ Epiſcopos vocat, ſicut & vocauit Seniores Eccleſiæ Philippenſis in ſua ad illos epiſtola, quam his verbis inſcripſit: *Paulus, & Timotheus ſerui IESV Chriſti omnibus ſanctis in Chriſto IESV, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus: gratia vobis, & pax, &c.* Ad quæ verba D. Hieronymus: *Philippi vna eſt vrbs Macedoniæ, & certè in vna ciuitate plures (vt nuncupantur) Epiſcopi eſſe non poterant: ſed quia eoſdem Epiſcopos illo tempore quos & presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis, quaſi de presbyteris eſt locutus.* Et Elias Cretenſis in orationem 23. Gregorij Nazianzeni: *Olim enim presbyteri, & Sacerdotes indifferenter Epiſcopi vocabantur; & item Epiſcopi Sacerdotes. Quod quidem cùm ex multis quoquè alijs apertè conſtat, tum etiam ex magni Apoſtoli ad Philippenſes epiſtola, in qua perſpicuè Coëpiſcopos presbyteros appellat. Ait enim: Paulus, & Timotheus ſerui IESV Chriſti omnibus ſanctis,*

*ctis, qui ſunt Philippis, Coëpiſcopis, & Diaconis. Niſi enim hæc ad hunc modum intelligamus, quonam pacto in vna Ciuitate multos Epiſcopos eſſe exiſtimabimus?*

2. His demum teſtimonijs ſubuertere putant hæretici Catholicam de Epiſcopis diſciplinam. Quid attamen, quęſo, probant hęc omnia? Vt indulgentiùs aliquid concedamus, tantùm probant, Epiſcoporum, & presbyterorum nomen primis Apoſtolorum temporibus promiſcuè vſurpatū fuiſſe. Id verò non modò libenter conceditur à nobis, verùm etiam alijs Scripturæ, & Patrum locis, ſi oporteat, confirmabitur. Affertur Paulus in epiſtola ad Titum cap. 1. *Cuius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Per presbyteros*, inquit Chryſoſtomus, *Epiſcopos hìc intelligi vult*. Nomen itaque Epiſcopi in epiſtola ad Philippenſes tributum fuit à Paulo presbyteris, ſicut hìc in epiſtola ad Titum nomen presbyteri datum fuit Epiſcopis. Ex quibus omnibus illud omninò colligitur, quod ſicut Philippis fuerunt Pauli temporibus plures presbyteri, ſic & in Cretę ciuitatibus plures Epiſcopi à Tito inſtituti. Quod vltimum egregio Clementis Romani, qui cum Paulo conuerſatus eſt, teſtimonio comprobatur; in gemina enim epiſtola, quam ad Corinthios ſcripſit: Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίσανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς Ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν: *Per regiones igitur, & vrbes verbum prædicantes primitias eorum ſpiritu probantes, Epiſcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt*. Quo loco Clemens Romanus apertè innuit, ab Apoſtolis per ciuitates vbique terrarum conſtitutos fuiſſe Epiſcopos. Vnde D. Cyprianus in epiſt. 52. ad Antonianum: *Cumque iam pridem per omnes Prouincias, & per vrbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti*. Hæc Cyprianus ad medium circiter tertij ſæculi, qui dum per vrbes ſingulas iampridem Epiſcopos creatos fuiſſe teſtatur, vſum totius Eccleſiæ indicat, qui ex inſtituto Apoſtolico profluxit, vt in ſolis ciuitatibus Epiſcopi conſecrentur. Qua de re ſtatuitur can. 6. Sardicenſi: *Licentia verò danda non eſt ordinandi Epiſcopum aut in vico aliquo, aut in modica ciuitate, cui ſufficit vnus presbyter; quia non eſt neceſſe ibi Epiſcopum fieri, ne vileſcat nomen Epiſcopi, & authoritas. Non debent illic ex alia Prouincia inuitati facere Epiſcopum, niſi aut in his ciuitatibus, quæ Epiſcopos habuerunt, aut ſi qua talis, aut tam populoſa ciuitas, quæ meretur habere Epiſcopum*. Et canone 57. Laodiceno. *Quòd non oporteat in villulis aut in agris Epiſcopos conſtitui*. Vnde

Leo

Leo I. in epiſt. 87. *Epiſcopalia autem gubernacula non niſi maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus oporteat præſidere, ne quod Sanctorum Patrum diuinitùs inſpirata decreta vetuerant, viculis, & poſſeſſionibus, vel obſcuris, & ſolitarijs municipijs tribuatur Sacerdotale faſtigium, & bonor.*

3. Callidè inſurgit contra hæc Salmaſius, contenditque euidentioribus Patrũ ſententijs oſtendere, Apoſtolorum quidem æuo eoſdem presbyteros fuiſſe, ac Epiſcopos: poſt Apoſtolorum verò tempora Epiſcopos ſupra presbyteros eſſe conſtitutos. Opponit itaque nobis Ambroſium, vel authorem Commentariorum in epiſtolam Pauli ad Epheſios, qui ſub Ambroſij nomine deliteſcit: *Poſtquàm omnibus locis Eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & officia ordinata, aliter compoſita res eſt, quam cœperat. Primùm enim omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuſcumque diebus, vel temporibus fuiſſet occaſio.... Vbi autem omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conuenticula conſtituta ſunt, & rectores, & cætera officia in Eccleſia ſunt ordinata, vt nullus de clero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſciret non ſibi creditum, vel conceſſum. Et cœpit alio ordine, & prouidentia gubernari Eccleſia: quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res, & viliſſima videretur. Hinc ergò eſt, vnde nunc neque Diaconi in populo prædicant, neque clerici, vel laici baptizant, neque quocumque die credentes tinguntur niſi ægri. Ideò non per omnia concinunt ſcripta Apoſtoli ordinationi, quæ nunc in Eccleſia eſt; quia hæc inter ipſa primordia ſunt ſcripta: nam & Timotheum presbyterum à ſe creatum Epiſcopum vocat, quia primùm presbyteri Epiſcopi appellabantur, vt recedente vno ſequens ei ſuccederet. Deniq; apud Aegyptum presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus, ſed quia cœperunt ſequentes presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſpiciente Concilio, vt non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum.* Hucuſque Auctor Commentariorum, cui adiungunt aduerſarij teſtimonia D. Hieronymi, qui in cap. 1. ad Titum: *Id eſt ergò presbyter, qui & Epiſcopus: & antequàm diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquàm verò vnuſquiſque eos, quos baptizauerat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti, in toto Orbe decretum eſt, vt vnus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, vt ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Et in epiſt. 85. ad Euagrium. *Quod autem poſteà vnus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis reme-*

*remedium factum eſt, ne vnuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet: nam & Alexandriæ à Marco Euangeliſta, vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, presbyteri ſuper vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant; quomodò ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium nouerint, & Archidiaconum vocent.*

4. Atque hæc præcipua Patrum teſtimonia, quæ ad aduerſarijs opponuntur: quæ tamen ſi rectè perpendantur, hæreticorum inſtituto minimè fauent. Supponamus namque vera eſſe, quæ Auctor Commentariorum in epiſtolas Pauli, & D. Hieronymus innuere videntur, aliquot annis poſt Chriſti in cælum aſcenſionem non ita diſtincta fuiſſe miniſtrorum officia, & presbyteros pleraſque Eccleſias in commune rexiſſe, vſque dum diceretur in populis, *Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ: poſtquàm verò vnuſquiſque eos, quos baptizauerat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti, in toto Orbe decretum eſt, vt vnus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris*, prout teſtatur D. Hieronymus; vel *poſtquàm omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conuenticula conſtituta eſſe, in quibus rectores, & cætera officia Eccleſiaſtica ordinata ſunt*, vt habet auctor Commentariorum, quæ ſub nomine Ambroſij circumferuntur: ex his tamen omnibus non ſequitur, poſt Apoſtolorum tempora Epiſcopos primùm in Eccleſijs inſtitutos fuiſſe. Enimuerò Corinthij, quos Paulus in prima ad eos epiſtola teſtatur diuiſos fuiſſe, dicebant non poſt Apoſtolorum tempora, ſed dum Apoſtoli adhuc viuebant, dum Cephas, & Paulus nondum in vincula coniecti erant, *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Chriſti.* Vnde ſequitur, quòd ſi ob hanc fidelium diuiſionem inſtituti ſint in ciuitatibus Epiſcopi, qui ſupra cæteros presbyteros conſtituti Eccleſias gubernarent, ipſis Apoſtolorum temporibus inſtituti fuerint. Hinc Hieronymus ipſe Comm. in Matthæi cap. 25. *Quod fecerunt & Apoſtoli per ſingulas Prouincias presbyteros, & Epiſcopos ordinantes.* Ordinarunt itaque Apoſtoli Epiſcopos, eum priùs per ipſos, & Seniores decretum eſſet, quòd vnus de presbyteris vbique ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, vt ſchiſmatum ſemina tollerentur. Extat ſanè Concilium, cuius Euſebius lib. 3. hiſtoriæ cap. 11. meminit his verbis: *Poſt martyrium Iacobi, & continuò ſubſecutam Hieroſolymorum expugnationem, fama eſt, Apoſtolos, cæteroſque Domini diſcipulos, qui adhuc ſuperſtites agebant, ex varijs locis in vnum conueniſſe, & vnà cum ijs, qui Dominum ſecundùm carnem propinquitate generis*

*ris contingebant ( plerique enim eorum adhuc in viuis ſupererant) in commune conſuluiſſe, quis in Iacobi locum ſuccedere mereretur. Omnes itaq; vno conſenſu Symeonem filium Cleophæ illius, cuius in Euangelijs fit mentio, Epiſcopali ſede dignum iudicauerunt.* Vbi vides Apoſtolos, & Diſcipulos Domini, qui poſt annum à morte Chriſti 42. ſupererant, Cōcilium celebraſſe, & Epiſcopum Hieroſolymis conſtituiſſe, adeoque Epiſcoporum per ciuitates ordinationem ab Apoſtolis ipſis cœpiſſe.

5. Sed quid ad annum poſt Chriſti mortem 42. recurrimus, cum non longè poſt Chriſti in cælum aſcenſionem ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus Iacobus creatus ſit? Habet de eo Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Iacobus qui appellatur frater Domini, cognomento iuſtus ..... poſt paſſionem Domini ſtatim ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus.* Et ante Hieronymum Euſebius lib. 2. cap. 1. agens de his, quæ Apoſtoli ſtatim poſt aſcenſum Chriſti conſtituerunt: *Iacobum*, inquit, *qui frater Domini dicebatur ..... Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum primum accepiſſe perhibent.* Et ante Euſebium Clemens Alexandrinus in ſexto Inſtitutionum libro: *Petrus, Iacobus, & Ioannes poſt Seruatoris aſcenſum Iacobum cognomine iuſtum Hieroſolymorum Epiſcopum elegerunt.* Præclara ſunt hęc antiquorum teſtimonia, ex quibus habetur, etiam ab ipſis Eccleſiæ primordijs inſtitutam fuiſſe dignitatem Epiſcopalem, adeoque verum eſſe non poſſe, quod ex teſtimonijs ſuprà allatis deducitur, diù poſt Chriſti aſcenſionem decretum de conſtituendis Epiſcopis emanaſſe, niſi hoc eo ſenſu intelligatur, vt quod ab Apoſtolis primùm in quibuſdā ciuitatibus inſtitutum erat, id decreto Apoſtolico, poſteà pro totius Orbis Eccleſijs conſtitutum fuerit, vt nimirum in ſingulis ciuitatibus ſinguli inſtituerentur Epiſcopi.

*6.* Quòd autem Epiſcopi extremis Apoſtolorum temporibus, quibus fides propagata erat, in ciuitatibus inſtituti ſint, manifeſtiùs probari non poteſt, quàm ex ciuitatibus Aſiæ Minoris, in quibus plures Epiſcopos tempore Ioannis Apoſtoli fuiſſe conſtat ex eiuſdem Apocalypſi, in qua nomine Dei ſcribit ſeptem Eccleſijs, *quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiceæ.* Illarum autem Epiſcopos, quos angelos vocat, monet, vel laudat ibi Ioannes, prout quiſque eorum vel admonitione corrigendus erat, vt reſipiſceret à malo, vel laudatione excitandus, vt firmaretur in bono. De vno autem eorum, nimirum Smyrnenſi, Spiritus S. ſic Ioannem monebat, *Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe.* Erat autem Smyrnenſis tunc Epiſcopus Sanctus Polycarpus, de

quo

in quo Polycrates Epheſinus epiſt. ad Victorem Papam 1 *Smyrnæ Epiſcopus & Martyr fuit*. Et D. Irenæus lib. 3. cap. 3. *Polycarpus Smyrnenſis Eccleſiæ, quæ in Aſia eſt, Epiſcopus ab Apoſtolis inſtitutus eſt*. Ex Ireneo Euſebius lib. 4. cap. 14. *Polycarpus vir, qui non ſolùm ab Apoſtolis eruditus, & cum multis, qui Dominum viderant, familiariter verſatus eſt, verùm etiam in Aſia Smyrnenſi Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis ordinatus eſt Epiſcopus*. Et poſt Euſebium D. Hieronymus libro de Scriptoribus: *Polycarpus Ioannis Apoſtoli diſcipulus, ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus*. Vbi disertè affirmat, Polycarpum à Ioanne Apoſtolo creatum fuiſſe Smyrnenſem Epiſcopum. Idem affirmat Tertullianus de præſcript. c. 32. *Sicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum à Ioanne collocatum refert*. Neque id ſolùm de Polycarpo, ſed de alijs quoquè Aſiæ Epiſcopis teſtatur idem ſcriptor libro 4. aduerſus Marcionem: *Ordo Epiſcoporum ad originem recenſendus in Ioannem ſtabit auctorem*. Quibus verbis concinit Origenes, vel potiùs Clemens Alexandrinus libro de diuite ſaluando ſcribens: *Cùm S. Ioannes tyranno Domitiano mortuo ab Inſula veniſſet Epheſum, quorundam rogatu ad vicinas regiones commeabat, Epiſcopoſque alibi conſtituit, alibi Eccleſias totas fundauit*.

7. Quod ſi antiquiſſimorum Patrum, qui Apoſtolos viderunt, quique cum illis conuerſati ſunt, teſtimonia adiungere velimus; habemus Smyrnenſes presbyteros, qui Polycarpo pro fide morienti adſtiterunt, & in epiſtola de eius martyrio teſtantur, *quòd Eccleſiæ Catholicæ, quæ Smyrnæ eſt, Epiſcopus fuerit*. Habemus Ignatij Martyris epiſtolas, quarum vnam Πολυκάρπῳ Ἐπισκόπῳ Ἐκκλησίας Σμυρναίων, *Polycarpo Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopo* inſcribit, idque non ſolùm in editionibus, quæ ex græco octingentorum annorum codice Vaticano prodierunt, ſed etiam in illa, quam Voſſius ex codice Mediceo publici iuris fecit, in qua editione reperitur quoquè epiſtola Ignatij ad Smyrnęos, quos monet, *vt omnes Epiſcopum ſequantur, ſicut IESVS Chriſtus Patrem*. Diſtinguit autem ab Epiſcopo presbyteros, ab vtriſque diaconos, & adiungit: *vt vbi apparet Epiſcopus, illic multitudo ſit; quemadmodum vtique vbi eſt Chriſtus IESVS, illic Catholica Eccleſia. Non licitum eſt ſine Epiſcopo neque baptizare, neque agapen facere: ſed quod vtique ille probauerit, hoc eſt Deo beneplacitum, vt ſtabile ſit, & firmum omne, quod agitur*. Ita ex editione Voſſij, ex qua habetur, iam tum ante Ignatij martyrium Epiſcopis Eccleſiæ curam fuiſſe commiſſam, prout non tantùm in vna Smyrnenſi ciuitate, ſed in cæteris quoquè Orbis ciuitatibus obti-

nuiſſe, idem Ignatius indicat in epiſtola ad Epheſios, in qua iuxta Voſſij editionem: καὶ γὰρ Ἰησοῦς Χριστὸς τὸ ἀδιάκριτον ἡμῶν ζῆν, τοῦ πατρὸς ἡ γνώμη, ὡς καὶ οἱ Ἐπίσκοποι οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ γνώμῃ εἰσίν... *Etenim IESVS Chriſtus incomparabile noſtrum viuere Patris ſententia, vt & Epiſcopi ſecundùm terræ fines, determinati ſunt IESV Chriſti ſententia.* Quibus verbis ſignificat Ignatius, iam anteà per totum Orbem vſque ad fines terræ inſtitutos fuiſſe Epiſcopos, qui ſinguli ſingulis Eccleſijs præerant, quorum ſententiæ clerus, & fideles in ſingulis ciuitatibus tanquam IESV Chriſti ſententiæ obedire debebant. Hic verò interrogo, à quibuſnam ante ſcriptam hanc à Diuo Ignatio epiſtolam Epiſcopi in finibus orbis terræ conſtituti ſunt, niſi ab Apoſtolis, de quibus Pſalmiſta prædixit: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum?* De Apoſtolis ſanè Apoſtolorum Petri, & Pauli auditor, ac diſcipulus Clemens Romanus, vt ſuprà retulimus, teſtatus eſt: *Per regiones, & vrbes verbum prædicantes, Epiſcopos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt.*

8. Satiſne exauctorauimus aciem Salmaſij? Sanè ita arbitror: quis enim apertiora deſideret teſtimonia, aut Patres afferat caſtigatiores? Perperam itaque ex allatis auctoritatibus deducere conantur antagoniſtæ noſtri, diù poſt Chriſti aſcenſionem emanaſſe decretum de conſtituendis Epiſcopis. Si enim ante huius decreti editionem Epiſcopus idem erat, ac presbyter; quis presbyter tunc diaconum, aut ſacerdotem creauit? quis ſacerdos Epiſcopo manum impoſuit, aut Metropolitanum ordinauit? Si nullibi iſtius ordinationis exemplum reperitur, quia nunquam factum eſt; nonne rectè D. Hieronymus epiſtola ad Euagrium tradit ordinationem ſolis Epiſcopis competijſſe? *Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod presbyter non faciat?* Ex quibus Hieronymi verbis patet reſponſum ad illa, quæ de Eccleſia Alexandrina ſuperiùs allata ſunt. Narrat Diuus Hieronymus, primis Eccleſiæ temporibus presbyteros Alexandrinos ſemper vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominaſſe, ſed non dicit Epiſcopum conſecraſſe. Electio ad presbyteros Alexandrinos ſpectare potuit primis Eccleſiæ temporibus, ordinatio ſpectare non potuit. Abſque ordinatione autem Alexandrinos Epiſcopos munia ſua peregiſſe, ſacerdotes ordinaſſe, Epiſcopos in varijs Aegypti ciuitatibus creaſſe, adeò ab Apoſtolorum inſtituto, & Eccleſiæ ſenſu alienum eſt, vt nequaquam credendum ſit, Alexandrinam Eccleſiam in hoc ab inſtitutis vbique terrarum Eccleſijs diſcrepaſſe, vt infrà, vbi de Patri-

triarchatu Alexandrino agemus, clariùs oſtenſuri ſumus.

# CAPVT TERTIVM

## *An, & quomodo Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerint?*

*1. Quòd Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores ſint, & ſimul ac in ſolidum vniuerſam Eccleſiam gubernent, ex Cypriani, aliorumque Patrum teſtimonijs deducere conatur Marcus Antonius de Dominis.*

*2. Quàm abſurda ſequantur ex hac ſententia oſtenditur ex Diuo Chryſoſtomo, cuius verba adducuntur, quibus Theophilum Alexandrinum ob limitum tranſgreſſionem arguit.*

*3. D. Cyprianum, alioſque Patres ab Antonio de Dominis citatos vni dumtaxat Romano Pontifici vniuerſæ Eccleſiæ regimen tribuiſſe, ex varijs eorum teſtimonijs monſtratur.*

*4. Quòd itaque Epiſcopi vocati ſint Apoſtolorum ſucceſſores, id ſano ſenſu intelligendum eſt, vt nimirum in partem ſolicitudinis Apoſtolicæ vocati ſint, non in plenitudinem poteſtatis.*

*5. Monſtratur id in primis ex D. Ignatij Martyris epiſtolis, quas quidem ad varias Aſiæ Eccleſias ſcripſit, ſed vt fideles moneret, quatenus Epiſcopis ſuis obedirent, quaſque ad inſtantiam Epiſcoporum, qui eum Smyrnæ exiſtentem viſitarunt, ſcripſiſſe creditur.*

*6. Neque obeſt, quòd Ignatius Antiochenſem Eccleſiam Polycarpo commendauerit, & Polycarpus aliquem Antiochiam miſerit: hæc enim ex delegatione Ignatij Polycarpus efficere potuit.*

*7. Polycarpus totius Aſiæ princeps & magiſter quo ſenſu dictus? & qua authoritate epiſtolam ad Philippenſes ſcripſerit?*

*8. Ex D. Epiphanij teſtimonijs de facto Marcionis conſtat, curam totius Eccleſiæ ſoli Romano Epiſcopo, non alijs orbis Præſulibus competijſſe.*

*9. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus ad diuerſas Eccleſias ſcripſit, monuitque aliarum Diœceſinum fideles, ſed rogatus ab aliarum Diœceſium Epiſcopis, vt ex Euſebio oſtenditur.*

*10. Quo ſenſu à Tertulliano variæ Illyrici, & Aſiæ Eccleſiæ Apoſtolicæ dictæ ſint, ex ipſius Tertulliani verbis monſtratur: non enim vocat eas Apoſtolicas quoad iuriſdictionem in vniuerſam Eccleſiam, ſed quoad fidem, quam ab Apoſtolis acceptam tunc retinebant.*

*11. Cypriani ſententia explicatur, & nequaquam Epiſcopis poteſtatem in aliorum Diœceſes conceſſam fuiſſe, oſtenditur: quódque illam Cyprianus in Stephano Papa circa cauſam Marciani Arelatenſis agnouerit, ex Cypriani ad Stephanum epiſtola eruitur.*

*12. Canones Apoſtolici Epiſcopo in alterius Diœceſim curam, & ſolicitudinem abnegant.*

*13. Iuxta hos canones multa ſtatuunt Concilia Nicænum, & Antiochenum, in quibus prohibetur Epiſcopis, ne terminos à Patribus ſtatutos tranſgrediantur.*

*14. Adducuntur quoquè Iulij Primi, Innocentij, Cæleſtini, & Oſij Cordubenſis teſtimonia, omiſſis alijs innumeris, quæ hac de re adferri poſſent.*

1. DIſſertatione ſecunda adduxi ex Marco Antonio de Dominis Spalatenſi Archiepiſcopo nonnullas propoſitiones, quibus ſtatuit, Apoſtolos ſimul & in ſolidum Eccleſiæ curam geſſiſſe, & ijs in eadem poteſtate ſucceſſiſſe Epiſcopos, qui proinde Apoſtolorum ſucceſſores vocantur, vt lib. 2. de Republica cap. 1. probat ex Cypriani epiſtola 1o. libri 2. vbi ſcribit: *Vnitatem à Domino per Apoſtolos vobis ſucceſſoribus traditam*. Ex Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano, vbi Clarus à Maſcula aſſerit: *Apoſtolos .... quibus nos ſucceſſimus, eadem poteſtate Eccle-*

*ſiam Domini gubernantes*. Ex Hieronymo, qui ep. 54. docet: *Quòd apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent*. Ex D. Auguſtino de verbis Domini ſermone 24. *In eorum* ( Apoſtolorum ) *loco conſtituit nos*. Ex Chryſoſtomo, qui ſermone de anathemate, anathematizandi poteſtatem ab Apoſtolis ad ſucceſſores eorum ( nimirum Epiſcopos ) tranſijſſe aſſerit. Ex Gregorij Magni homilia 26. vbi ait: *Horum* ( Apoſtolorum ) *nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent, ligandi, atque ſoluendi authoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur*. Et ex Ioanne Damaſceno de imag. oratione 2. *Ligandi, & ſoluendi poteſtatem, non Regibus, ſed Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, & Paſtoribus, & Doctoribus Chriſtus dedit. Teſtimonia hæc* ſubdit de Dominis, *ita plenam imò pleniſſimam eſſe ſupponunt poteſtatem Apoſtolicam in vobis Epiſcopis, eam prorſus, quæ fuit in Apoſtolis ... Sicut enim Apoſtoli ſimul & in ſolidum ariſtocraticè curam gerebant Eccleſiæ cum poteſtate æquali, & vniuerſali: ita Epiſcopi omnes ſimul, & in ſolidum eandem regunt Eccleſiam cum plena poteſtate*. Hactenus Spalatenſis Archiepiſcopus, qui ea pluribus probare nititur.

2. Verùm nimis abſurda ſunt, quæ conſequuntur ex principijs Marci Antonij de Dominis, quàm vt vera eſſe poſſint. Si enim Epiſcopi ſinguli cum plena poteſtate rexiſſent Eccleſiam, ſequeretur, eos vbique terrarum Eccleſias inſtituere, presbyteros & Epiſcopos ordinare, delinquentes anathemati ſubijcere, ſede & throno priuare potuiſſe: quod magnus Chryſoſtomus ne quidem Theophilo ſecundæ Sedis Epiſcopo competijſſe iudicauit: οὐ γὰρ ἀκόλουθον ἦν τὸν ἐξ Αἰγύπτου εἰς Θρᾴκην δικάζειν. *Non enim conſentaneum eſſe*, aiebat, *vt ille, qui ex Aegypto eſſet, in Thracia iudicaret*. Rationem quoquè adiungit in ſequentibus, quòd ſi cuique licuiſſet alterius Prouincias inuadere, maturè cuncta perijſſent, bellumque ſæuiſſimum occupaſſet orbem vniuerſum. Vndè & Innocentium ſanctiſſimum Pontificem his verbis rogat: *Eam, quæ vos decet, fortitudinem, & ſtudium, quæſo, oſtendite, vt tanta iniquitas, quæ Eccleſias inuaſit, reprimatur. Si enim hic mos inualuerit, & ſi licebit cuiuis in alienas inuadere prouincias, idque ex tantis interuallis, & eijcere quos quis voluerit, ex authoritate ſua quodlibet agendo; ſcitis omnia peſſum itura, & inexpiabile bellum quoddam orbem terrarum incurſurum, omnibus omnes eijcientibus, & viciſſim eiectis*. Ita Chryſoſtomus ex nouiſſima verſione Bigotij, adiungens hanc fuiſſe ipſius Theophili ſententiam, dum quondam ſcripſerat: μὴ δεῖν ὑπὲρ ὅρίας ἕλκεσθαι τὰς δίκας, *Non oportere iudicia extra limites trahi*. Vnde & Arca-

cadius Imperator ab Honorio fratre monitus, & ab Innocentio Primo ob D.Chryſoſtomi cauſam excommunicatus auctorem ſceleris Theophilum his verbis aggreſſus eſt: *Orbis totius climata conturbaſti, ſacerdotes captioſis dolis circumueniſti, locorum cum Imperio vſurpator*.

3. Atque temporibus Innocentij hæc erat Eccleſiæ ſententia, à qua nequaquam credendum eſt diſſenſiſſe Patres à Marco Antonio de Dominis citatos, qui ante & poſt Innocentij Pontificatum vixerunt. Quis enim credet, D. Ioannem Damaſcenum, & Gregorium Magnum, quia in omnibus Epiſcopis poteſtatem ligandi, & ſoluendi agnouerunt, iiſdem vniuerſalis Eccleſiæ curam detuliſſe, cum Damaſcenus ſæculo octauo vixerit, quo nemo Epiſcoporum præter vnum Romanum illam curam ſibi vindicauit; & Gregorius eam ſoli Petro, eiuſque ſucceſſoribus competere, *ex Euangelio liquere* conſcripſerit? Quis admittet D. Auguſtinum exiſtimaſſe, ſe cæteroſque Epiſcopos plenitudinem poteſtatis ab Apoſtolis hæreditaſſe, cum epiſt. 162. tam claré profeſſus ſit, *Apoſtolicæ Cathedræ principatum*, qui in plenitudine poteſtatis conſiſtit, *Romæ ſemper viguiſſe*? Quid de Hieronymo dicemus, qui dum fatetur, apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopos tenere, in epiſtola ad Damaſum Papam profeſſus eſt, ſuper Romanam Sedem tanquam petram fundatam eſſe Eccleſiam, *ideòque Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam in fidei difficultatibus eſſe conſulendam*? Quid de Claro à Maſcula, quid de D. Cypriano aſſeremus? quorum vltimus, audiente & tacitè conſentiente primo, profeſſus eſt in allocutione ad Synodum Charthaginenſem tertiam, *neminem Africanorum Epiſcoporum, ſe Epiſcopum Epiſcoporum vocaſſe*; ſed vnumquemque portionem gregis Dominici gubernandam ſuſcepiſſe, adeò vt alter in alterum non habuerit poteſtatem, vt infra latiùs videbimus. Quod niſi dicatur de ſingulis Epiſcopis, Chriſti tunica, quæ eſt Eccleſia, breui in partes ſcinderetur, & vt ex Chryſoſtomo oſtendimus, *cuncta maturè perirent*. Id eſt Claro.

4. Quamuis igitur Patres à Marco Antonio de Dominis oppoſiti dixerint, Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores vocandos eſſe: id tamen ſano ſenſu intellexerunt, ſicut intellexit ſacrum Tridentinum Concilium ſeſſ. 23. cap. 4. vbi fatetur, Epiſcopos in Apoſtolorum locum ſucceſſiſſe. Apoſtolis ſucceſſerunt Epiſcopi, hac tamen lege, vt ea quæ ſunt ordinis, non quæ iuriſdictionis, obtinerent. Ordinis itaque iure ad eos pertinet, vt presbyteros, & miniſtros ordinent, Sacramentum Confirmationis conferant, aliaque Apoſtolica munia obeant; non tamen vbique hanc ſuam au-

ćto-

ctoritatem exercere valeant, ſed ſinguli Epiſcopi in ſubiectas ſibi Eccleſias, & nullas alias; niſi forſan ex delegatione ſuperiorum, vel conſenſu aliorum Epiſcoporum, iuriſdictionem obtineant. Succeſſerunt itaque non vt plenitudinem poteſtatis, quam nunquam hæreditarunt, exerceant in omnem ſub cælo Eccleſiam, ſed vt partem ſolicitudinis, quam in ſubiectas ſibi Eccleſias acceperunt, fideliter gerant, iuxta illud Principis Apoſtolorum epiſt. 1. cap. 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei*. *Qui in vobis eſt*, inquit Petrus, iuxta verſionem vulgatam; vel vt legit textus Arabicus, *qui inter vos eſt*; vel vt textus Aethiopicus, *qui eſt apud vos*; vel vt textus Syriacus, *qui traditus eſt vobis*. Vt innuat presbyteros, & Epiſcopos, quos ibi alloquitur, portionem gregis Chriſti regendam accepiſſe, nec quemquam terminos ſibi poſitos tranſgredi, aut alterius gregem inuadere potuiſſe. Ab ipſis itaque temporibus Apoſtolorum, Diœceſium, & Parochiarum diuiſio facta fuit, vt ex ijs ipſis teſtimonijs oſtendam, quæ Hæretici, ac Nouatores ſibi fauere exiſtimant.

5. Ac primò quidem occurrit Ignatius Martyr, qui non ſolùm cum Petro verſatus eſt, ſed eidem poſt Euodium in Cathedra Antiochena ſucceſſit. Hic autem glorioſiſſimus fidei athleta, licètin vna ex tribus præcipuis orbis Romani ciuitatibus ſedem adeptus eſſet, & pro ſua erga Aſiæ Eccleſias charitate plures epiſtolas ſcripſiſſet, nullam tamen in illas Eccleſias iuriſdictionem ſibi attribuit, ſed perpetuò fideles adhortatus eſt, vt præpoſitis ſibi Epiſcopis obedirent. Itaque cum è Syria ad vrbem Romam duceretur, & Smyrnam veniſſet, *vnam quidem epiſtolam*, inquit Euſebius libro 3. cap. 36. *ſcripſit ad Eccleſiam Epheſiorum, in qua Oneſimi ipſorum Paſtoris mentionem facit; alteram quoquè dedit ad Eccleſiam Magneſiæ ciuitatis, quæ ad Mæandrum ſita eſt, in qua etiam Damam Epiſcopum nominat, aliam autem ad Eccleſiam Trallianorum, cuius Antiſtitem tunc fuiſſe memorat Polybium*. Præſtat verò audire ipſum Ignatium ex edit. Lugd. Bibl. PP. qui epiſt. ad Epheſios Oneſimum ipſorum Epiſcopum deprædicat, rogatque eos: To. pag. 96. *Vt in vna ſubiectione perfecti, ſubiecti Epiſcopo, & Presbyterio, ſecundum omnia ſitis ſanctificati. Non diſpono vobis, vt exiſtens aliquis ..... Sed quia charitas non ſinit me ſilere pro vobis. Propter hoc præoccupaui rogare vos, vt concurratis ſententiæ Dei .... Vnde decet vos concurrere Epiſcopi ſententiæ; quod & facitis: dignè enim nominabile veſtrum presbyterium Deo dignum ſic concordatum eſt Epiſcopo, vt chordæ citharæ ..... Epiſcopum igitur manifeſtum quoniam vt ipſum Dominum opor-*

*oportet reſpicere. Ipſe igitur quidem Oneſimus ſuperlaudat veſtram diuinam ordinationem, quoniam omnes ſecundùm veritatem viuitis, & quoniam in vobis neque vna hæreſis babi-*
To. 2. pag. 97. *tat.* Et epiſtola ad Magneſianos: *Quia igitur dignificatus ſum videre vos per Dama dignum Deo veſtrum Epiſcopum, & presbyteros dignos Baſſum, & Apollonium, & conſeruum meum diaconum Sotionem, quo ego fruar; quoniam ſubiectus eſt Epiſcopo, vt gratiæ Dei, & Presbyterio, vt legi IESV Chriſti. Glorificato Deum Patrem Domini IESV Chriſti. Sed & vos decet non couti ætate Epiſcopi, ſed ſecundùm virtutem Dei Patris omnem reuerentiam ei tribuere.* Et epi-
P. 99. ſtola ad Trallianos: *Polybius Epiſcopus veſter, qui aduenit voluntate Dei, & IESV Chriſti in Smyrna, & ſic mihi congauiſus eſt vinclo in Chriſto IESV, vt ego omnem multitudinem veſtram in ipſo ſpecularer ..... Quum enim Epiſcopo ſubiecti eſtis, vt IESV Chriſto.* Et infrà: *Neceſſarium igitur eſt, quemadmodum facitis, ſine Epiſcopo nibil operari vos, ſed ſubyci & Presbyterio &c.* Hæc & plura D. Ignatius, qui nihil frequentiùs inculcat fidelibus, quàm vt proprio ſuo Epiſcopo obediant. Ad hoc adhortatur Trallianos, Magneſianos, & Epheſios; ac ſi quid ad eos ſcribit, non ex auctoritate, ſed charitate Chriſtiana fieri profitetur. Quin imò epiſtolas ipſas, ſi coniecturis hac in re vti licet, ad inſtantiam Epiſcoporum ſcripſit, & per Oneſimum ipſum ad Epheſios, per Damam ad Magneſianos, & per Polybium ad Trallianos miſit. Cùm enim Diuus Ignatius Smyrnæ ſubſiſteret, ad eum Oneſimus, Damas, & Polybius profecti ſunt, qui cum viderent Confeſſorem Epiſcopum catenis vinctum ad vrbem properare, vt in Circo, vel Amphiteatro leonibus obiectus pro Chriſti fide illuſtre teſtimonium redderet, tanti Martyris adhortationibus Eccleſiæ ſuæ fideles in fide, & religione firmari deſiderarunt. Horum itaque voluntati obſecutus Ignatius ita morem precantibus geſſit, vt debitam Epiſcopo reuerentiam cuſtodiret, prout à nobis paulò ante fuit explicatum.

6. Nec obſtat his omnibus, quòd Ignatius teſte Euſebio, cum è portu Smyrnenſi ſoluiſſet, Troademque veniſſet, priuatim ad Polycarpum Smyrnenſium Epiſcopum litteras dederit, & in ijs iuxta editionem laudatam ſcripſerit: *Decet Polycarpe Deo beatiſſime* To. 2. pag. 95. *Concilium congregare Deo decentiſſimum, & ordinare aliquem, quem dilectum valde habetis, & impigrum, qui poterit Dei curſor vocari, & hunc dignificari, vt vadens in Syriam glorificet veſtram impigram charitatem in gloriam Dei.* Quamuis enim in græco legatur χειροτονῆσαι ordina-

*nare*; hæc tamen nequaquam de manus impoſitione Epiſcopi Antiocheni intelligi poſſunt, ſed tantùm de alicuius viri electione, qui munus Curſoris impleret, vt Antiochiam pergeret, & litteras, aliaque perferret. Vnde Polycarpus ipſe in ſua ad Philadelphienſes epiſtola teſtatur: *Scripſiſtis ad me & vos, & Ignatius, vt ſi quis fortè in Syriam proficiſceretur, veſtras litteras eò deferret. Quod quidem perficiam, ſi tempus opportunum, nactus fuero, vel ego ipſe, vel per alium quempiam, cui id munus veſtra cauſa delegabo.* Hæc Polycarpus ad Philadelphienſes apud Euſebium libro 3. cap. 36. Ex quibus patet, Ignatium litteras miſiſſe ad Antiochenos, idque per Philadelphienſes, quas litteras Polycarpus vel per ſe, vel per alium quempiam ſe miſſurum promiſit. Non agebatur itaque de ordinando per B. Polycarpum Antiocheno Epiſcopo, ſed eligendo viro egregio: Χειροτονεῖν itaque ſignificat ibi *per ſuffragia eligere*: electus autem ille Antiochiam mittendus erat, vt epiſtolas Ignatij ad illius ciuitatis Eccleſiam perferret, & Antiochenſem in virtute, & fide confirmaret. Vnde Diuus Hieronymus libro de Scriptoribus agens de B. Ignatij ad Polycarpum epiſtola: *Scripſit propriè ad Polycarpum*, inquit, *commendans illi Antiochenſem Eccleſiam.* Et ante D. Hieronymum Euſebius libro 3. cap. 36. *Ignatius à Smyrna vlterius progreſſus, cùm Troadem veniſſet, inde ad Philadelphienſes litteras dedit, & ad Smyrnæorum Eccleſiam, priuatimque ad Polycarpum eorum Epiſcopum, quem cum Apoſtolicum virum eſſe planè cognoſceret, ipſi tanquam bonus, ac fidelis Paſtor, gregem Antiochenæ Eccleſiæ commendauit; rogans vt omni cura, ac diligentia illum fouere vellet.* Ignatius ſe abſente Eccleſiam Antiochenorum Polycarpo commendauit, de ordinando in ſui locũ Epiſcopo nihil ſcripſit, nihil locutus fuit: ſed nec ſcribere, nec loqui potuit, cùm Ignatio viuente alium Epiſcopum conſtituere non licuerit. Vnde & ipſe Ignatius epiſtola ad Antiochenos: *Presbyteri paſcite gregem, qui inter vos eſt, donec Deus deſignauerit eum, qui principatum in vobis habiturus eſt: ego enim iam immolor, vt Chriſtum lucrifaciam.* Ex quibus patet, Presbyteros Antiochenos abſente Epiſcopo gregem iſtius Eccleſię paſcere debuiſſe, neque ad Polycarpum curam ſpectaſſe, niſi in quantum Ignatij litteris ei delegatum erat, vt Eccleſiam Antiochenſem conſilio ſuo, & adhortationibus iuuaret, non verò eis Epiſcopum ordinaret, vtpote qui poſt Ignatij martyrium Antiochiæ electus, & creatus eſt, vt teſtatur Euſebius libro 3. cap. 35. *Eo, nimirùm Ignatio, defuncto, Epiſcopatum Antiochenæ Eccleſiæ Heros ſuſcepit.*

7.

7. Cùm autem de Polycarpo mentionem facere cœperimus, operæ pretium erit videre, quid, & quomodo vir ille Apoſtolicus Smyrnenſem Eccleſiam rexerit. Refert quidem de eo D. Hieronymus libro de Scriptoribus, *quòd totius Aſiæ princeps fuerit*; & cum in ſtadio Proconſuli fortiter reſtitiſſet, ſeq; Chriſtianum eſſe profeſſus eſſet, vniuerſa multitudo Gentilium, ac Iudæorum, qui Smyrnam incolebant, incredibili furore, & ingenti ſtrepitu acclamauit: Οὗτός ἐστιν ὁ τῆς Ἀσίας διδάσκαλος ὁ πατὴρ τῶν Χριστιανῶν: *Hic eſt doctor Aſiæ, & pater Chriſtianorum*. Ita Smyrnenſis Eccleſia teſtatur in litteris, quas ad Ponti aliarumque regionum Eccleſias miſit, quibus adiungit Diuus Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus libro 3. aduersùs hæreſes capite 3. quòd Polycarpus ſub Aniceto Romam venerit, vt de quibuſdam quæſtionibus cum Romano Pontifice conferret. Vbi autem ad Vrbem peruenit Polycarpus, non vſurpauit ius aliquod iſtius Eccleſiæ, non ordinationes ſibi aſſumpſit; ſed debitam reuerentiam ſeruans, controuerſias de ritibus Eccleſiæ ſuæ cum Romano Pontifice compoſuit; & vt Irenæus in epiſtola ad Victorem Papam ſcribit: καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ παρεχώρησεν ὁ Ἀνίκητος τὴν εὐχαριστίαν τῷ Πολυκάρπῳ κατ᾽ ἐντροπὴν δηλονότι. *Anicetus in Eccleſia conſecrandi munus Polycarpo honoris cauſa conceſſit*. Tam certum nimirum erat illis temporibus, Epiſcopum in alterius Eccleſia nullam iuriſdictionem obtinere, vt Polycarpus ne quidem Romæ publicè ſacrificium offerre potuiſſet, niſi id ei Anicetus Romanus Pontifex conceſſiſſet. Ex quo facilè colligitur, Polycarpum, ſi quid ſcripſit ad alias Eccleſias, vt ad Philadelphienſes, in eo imitatum fuiſſe Ignatium Martyrem, qui ex charitate, qua Chriſtianos complectebatur, aliarum quidem Eccleſiarum fideles verbis, & ſcriptis ad virtutem cohortatus eſt, non tamen iuriſdictionem in eos exercuit.

8. Quòd verò Polycarpus nullam in alterius ſubditos auctoritatem habuerit, clariùs probari non poteſt, quàm ex facto Marcionis, cuius ſectatores D. Irenæus impugnauit, & fugiendos eſſe docuit Epiphanius hæreſi 42. Ipſe enim Marcion ob ſtuprum à patre Epiſcopo excommunicatus vix Romanæ Eccleſiæ communionem obtinere potuit. Romam *ſtatim ac Marcion peruenit*, inquit Epiphanius, *ad ſeniores adiens, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti adbuc ſupererant, vt in communionem admitteretur, ab ijs fruſtra petijt* .... Et infrà: *Palàm eos alloquens, Cur me, inquit, recipere noluiſtis? Reſponderunt illi: Nobis iniuſſu venerandi patris tui facere iſtud non licet*. Cui Epiphanij loco adiungendus eſt alius locus Tertulliani teſtantis libro de præ-

ſcriptionibus Hæretic. c. 30. Marcionem tempore Eleutherij ſemel & iterùm eiectum fuiſſe: *Poſtmodùm verò Marcion pœnitentiam confeſſus, cum conditioni datæ ſibi occurrit, ita pacem recepturus, ſi cæteros quoque, quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præuentus eſt.* Ex his enim locis perſpicuè conſtat, primis Eccleſiæ temporibus ex Apoſtolorum inſtituto Epiſcopos portionem gregis regendam accepiſſe, ſolumque Epiſcopum Romanum alterius excommunicatos recipere potuiſſe: quamobrem Marcion natione Ponticus ex tam longè diſſita regione ad ſolam Eccleſiam Romanam acceſſit, in qua poſt petitam ſæpiùs pacem, eam tandem ſub Eleutherio conſecutus eſt. Romanus Epiſcopus pro Apoſtolicæ Sedis principatu ius ſuum in omnes totius orbis fideles extendebat; cæteri Epiſcopi Eccleſias ſuas ſinguli adminiſtrandas acceperant; ideòque pro ipſis locum habebat, quod tempore Sedis vacantis ſeniores Romani reſponderant: *Nobis iniuſſu venerandi patris tui iſtud facere non licet.* Hæc omnino in cauſa fuere, quòd Marcion non ad alium Ponti Antiſtitem, non ad vicinum quendam regioni ſuæ Epiſcopum confugerit, quòd illis in alterius Epiſcopi fideles nullum ius competere agnoſceret.

9. Et ex his quidem facilè colligere licet, quid dicendum ſit de Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo, de quo Euſebius libro 4. cap. 23. refert quòd ad diuerſas Eccleſias ſcripſerit epiſtolas: *Ex quibus vna quidem eſt ad Lacedemonios rectæ fidei inſtitutionem continens, pacemque & vnitatem inſinuans. Altera verò ad Athenienſes ſcripta, excitans ad fidem, & ad vitam ex præcepto Euangelij traducendam. Qua in re negligentiam arguit Athenienſium, quippequi à fide propemodùm deſciuiſſent, ex quo Publius ipſorum Epiſcopus in perſecutionibus tunc temporis excitatis martyrium ſubierat. Meminit etiam Quadrati, qui poſt martyrium Publij Epiſcopus Athenienſium eſt conſtitutus, eiuſque labore, & induſtria ciues denuo in Eccleſiam conueniſſe &c.* Meminit quoquè Euſebius aliarum epiſtolarum, in quibus Nicomedienſes, Cretenſes, & totius Ponti fideles inſtruit, multaque de nuptijs, & caſtitate tradit, de qua teſte Euſebio & ad Gnoſſios epiſtolam miſit: *In qua*, inquit, *Pinytum Eccleſiæ illius Epiſcopum monet, ne graue onus caſtitatis fratrum ceruicibus tanquam neceſſarium imponat, ſed eius, quæ in pleriſque hominibus ineſt, infirmitatis rationem habeat. Cui epiſtolæ reſpondens poſteà Pinytus, admiratione quidem, ac laudibus effert in primis Dionyſium; ſed tamen hortatur, vt ſolidiorem cibum tandem impertiat, & tranſmiſſis iterum per-*

*ſectioris doctrinæ litteris plebem ſibi commiſſam alere velit; ne forte lacteis ſermonibus perpetuò innutriti homines in infantili quadam diſciplina paulatim conſeneſcant*. Hactenus Euſebius, qui rectam Pinyti fidem, & ſolicitudinem plebis ipſi commiſſæ multis deprædicat. Ex quibus patet, Pinytum Gnoſſiorum Epiſcopum fuiſſe, & ipſi plebis iſtius ſolicitudinem commiſſam, non verò Dionyſio Corinthiorum, qui ideò ad Gnoſſios ſcripſit, quòd à Pinyto Gnoſſiorum Epiſcopo rogatus fuit. Quod & de cæteris epiſtolis ad alias Eccleſias miſſis fatetur ipſe Dionyſius apud Euſebium ſupra: Ἐπιστολὰς γὰρ ἀδελφῶν ἀξιωσάντων με γράψαι ἔγραψα. *Epiſtolas ſcripſi rogatus à fratribus*. Nihil itaque faciunt pro aduerſariorum inſtituto epiſtolæ Dionyſij, qui eas ab Epiſcopis rogatus ſcripſit, non vt alterius Eccleſiæ iuriſdictionem vſurparet, ſed vt fideles in fide, & diſciplina erudiret. Qua de re Euſebius quoquè teſtatur initio capitis 23. *Dionyſius, qui Corinthiorum Eccleſiæ Epiſcopatum geſſit, non ſolùm populis ſibi commiſſis, verùm etiam aliarum regionum & vrbium incolis diuinos labores ſuos prolixè communicauit: omnium commodis, vtilitatique inſeruiens in catholicis illis, quas ad diuerſas Eccleſias ſcripſit, epiſtolis*.

10. Sequitur D. Irenęus Lugdunenſis in Gallia Epiſcopus, qui ſe Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi diſcipulum, & auditorem fuiſſe teſtatur, in illa quam ad Florinum miſit epiſtola: hic enim hæreticorum errores fugiendos eſſe docens, rationem reddit libro 5. cap. 20. *Omnes enim ij valdè poſteriores ſunt, quàm Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias, & hoc in libro tertio cum omni diligentia manifeſtauimus*, Libro autem 3. cap. 3. *Habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſijs, & ſucceſſores eorum, vſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur. Etenim ſi recondita myſteria ſciuiſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim, & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipſas Eccleſias committebant*. Hactenus Irenæus, vno eodemque argumento his duobus locis hæreticos refellens; affirmat enim ab Apoſtolis Epiſcopos in varijs ciuitatum Eccleſijs inſtitutos fuiſſe, cùmque Apoſtoli ſingulis ſuas Eccleſias commiſerint, illas tamen vnam, eandemque fidei traditionem retinere aſtruit. Quo argumento etiam vſus eſt Tertullianus libro de præſcriptionibus hæret. cap. 32. vbi contra hæreticos ſcribit: *Edant ergò origines Eccleſiarum ſuarum; euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel*

*Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt.* Et infrà: *Age iam qui voles curioſitatem meliùs exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem vniuſcuiuſque. Proximè eſt tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde quoquè nobis auctoritas præſto eſt.* Ita contra hæreticos Tertullianus, qui aliquot Epiſcopales Cathedras ab Apoſtolis erectas enumerat, non vt auctoritatem Apoſtolicam apud omnes manſiſſe probaret, ſed ſolùm vt traditionem fidei apud eas reperiri oſtenderet. Cæterùm clarè ſupponit Tertullianus, Epiſcopos Corinthi, Theſſalonicæ, Epheſi, aliosq; ab Apoſtolis originem trahentes ſuis locis præſidere, non totius Eccleſiæ curam gerere. Quod & Diuus Irenęus locis ſuperiùs allatis indicat, dum varios Epiſcopos in varijs Eccleſijs ab Apoſtolis inſtitutos fuiſſe ſignificat. Solius autem Romanæ Eccleſiæ meminit tanquam maximæ, tanquam antiquiſſimæ, tanquam ab omnibus cognitæ: *Ad quam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt conuenire omnem Eccleſiam.* A qua ſententia non diſceſſit Irenæus, cum ad Victorem Papam litteras dedit, & pro Polycrate Epheſino, alijſque Aſiæ, & Orientis Epiſcopis interceſſit, ne ob quæſtionem Paſchatis excommunicarentur, vt alibi latiùs probabimus.

11. Nunc ad Sanctum Cyprianum veniamus, quem præcipuum ſuæ opinionis fautorem credunt aduerſarij, ideòque primo loco citatur ab Archiepiſcopo Spalatenſi. Teſtatur Cyprianus, Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores eſſe, maioribus Eccleſiarum cauſis conſulere, & ſubuenire debere, *quia gubernandæ Eccleſiæ libram tenent*, vt de cauſa Marciani Arelatenſis ſcribit ad Stephanum Papam. Voluit de rebus fidei ipſis iudicium competere, quando inquit in Concilio Carthaginenſi 3. *Habet omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuę arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non poſſit, cum nec ipſe poſſit alterum iudicare. Sed expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri IESV Chriſti, qui vnus & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro iudicandi.* Ita D. Cyprianus, cuius verba ab aduerſarijs objiciuntur, cum nihil ad inſtitutum ipſorum faciant, ſed potiùs illud euertant. Enimuerò

rò ſi vnus Epiſcopus alterum iudicare non poteſt, ſequitur, ſingulorum poteſtatem certis limitibus coarctatam eſſe, & alterum in alterius perſonam & Eccleſiam nullam iuriſdictionem obtinere. Dixerat ibidem Diuus Cyprianus: *Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit*. Quibus verbis agit de Stephano Papa, qui tanquam Epiſcoporum Epiſcopus Collegas in Africa exiſtentes ad antiquæ traditionis vſum reuocauit. Hanc poteſtatem Africæ Epiſcopis competere negat Cyprianus, quòd ſinguli commiſſas ſibi plebes regerent, & nemo alterius Eccleſiam ad ſe ſpectare contenderet. Et Cyprianus ipſe, dum Fauſtinus Lugdunenſis Epiſcopus de Marciano Arelatenſi ad eum ſcripſerat, non ſibi attribuit eiuſdem cauſæ iudicium, ſed illud Stephano Papæ competere indicauit, dum epiſt. 67. ad eundem ſcripſit: *Quapropter facere te oportet pleniſſimas litteras ad Coëpiſcopos noſtros in Gallijs conſtitutos, ne vltrà Marcianum peruicacem, & ſuperbum, & diuinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicum collegio noſtro inſultare patiantur &c.* Si Cyprianus ſibi tanquam Apoſtolorum ſucceſſori eandem poteſtatem gubernandi Eccleſiam competere iudicaſſet, quæ Stephano Petri ſucceſſori competebat; cur ipſe non mandaſſet Galliæ Epiſcopis, vt Marciano depoſito alium in eius locum ſtatuerent? Cur hanc auctoritatem ipſe non exercuiſſet, ſed Stephano Romano Pontifici competere ſcripſiſſet; niſi quia Apoſtolicæ Sedis principatum Romæ viguiſſe agnouiſſet?

12. Dum itaque antiqui Patres Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores vocarunt, non putarunt eos plenitudinem poteſtatis ab Apoſtolis adeptos eſſe, & presbyteros, ac Epiſcopos in alienis Prouincijs ordinare, eorumque cauſas diiudicare potuiſſe; ſed certis limitibus eorum iuriſdictionem ab ipſis Apoſtolorum temporibus arctari agnouerunt. Probatum id hactenus eſt antiquorum teſtimonijs, qui vel cum Apoſtolis verſati ſunt, vel Apoſtolorum diſcipulos per ætatem videre potuerunt. Nunc adducenda ſunt reliqua teſtimonia, quibus hæc veritas comprobari poteſt. Sæculo tertio dum fideles in vnum collegerunt ea, quæ ex Apoſtolorum inſtituto in Eccleſijs obtinuerant, varios canones, quos Apoſtolicos vocarunt, ediderunt, quorum trigeſimo quinto docent, ſingulis Epiſcopis illud duntaxat competere, quod ad ſingulorum Eccleſias ſpectat: *Gerant illa ſola ſinguli quæ parochiæ propriæ, & villis, quæ ſub ea ſunt, competunt*. Et can. 36. *Epiſcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in ciuitatibus, & villis, quæ illi nullo iure ſubiectæ*

*ctæ ſunt. Si verò conuictus fuerit hoc feciſſe præter eorum conſcientiam, qui ciuitates, & villas detinent, & ipſe deponatur, & qui ab illo ſunt ordinati.* Et can. 33. *Siquis presbyter, aut diaconus, ab Epiſcopo ſuo ſegregetur, non licere ab alio recipi.* Et can. 14. *Epiſcopo non licere alienam Parochiam propria relicta peruadere, licet cogatur à plurimis.* Hæc & plura alia illis canonibus ſtatuuntur, quos fideles tertio ſæculo Apoſtolis tribuerunt, eò quòd limites Eccleſiarum ex Apoſtolorum traditione in Eccleſia obtinuiſſent. Vnde Nicænum, & Sardicenum Concilia, & Antiochena Synodus eos renouandos duxerunt.

13. Præclarum eſt, quod canone 5. ſtatuit ſacroſanctum Nicænum Concilium: *Sententia regularis obtineat, vt hi, qui abijciuntur ab alijs non recipiantur.* Et can. 15. *Propter multam perturbationem, & ſeditiones, quæ fiunt, placuit conſuetudinem omnimodis amputari, quæ propter regulam in quibuſdam partibus videtur admiſſa: ita vt de ciuitate ad ciuitatem non Epiſcopus, non presbyter, non diaconus transferatur.* Et Concilium Antiochenum can. 9. *Epiſcopos tantùm ea peragere poſſe ſecundùm antiquam à Patribus regulam conſtitutã, quæ ad ſuam Diœceſim pertinent.* Ex quibus ſatis ſuperque conſtat, hęc primùm ſtatuta non fuiſſe ab iſtis Concilijs, ſed Patres Nicænos, & Antiochenos ea iuxta Apoſtolorum regulas ordinaſſe. Quid enim aliud ſibi volunt hæc canonum verba, *Secundùm antiquam à Patribus regulam conſtitutam*, *Præter regulam*, & *Sententia regularis obtineat*? Nonne his verbis manifeſtè ſupponitur, ante Synodi Antiochenæ, & Concilij Nicęni tempora, his de rebus ſtatuta, aut canones extitiſſe? Et quinam, obſecro, canones, quænam ſtatuta alia reperiuntur, quàm quæ ſub nomine Apoſtolorum tertio ſæculo edita fuerunt, & tanquam talia ab vniuerſa ſub cælo Eccleſia recipi meruerunt?

14. Ab Apoſtolis igitur poſiti fuerunt termini, quos Epiſcopi tranſgredi non potuerunt. Vnde Iulius I. Pontifex Euſebianos tranſgreſſores vocat in epiſtola, quam ad Orientales poſt Antiochenum Concilium miſit, quia paruis ciuitatibus, in quibus conſtituti erant, minimè contenti ad maiores ciuitates, quæ ipſis creditæ nòn erant, conuolabant. *Oportuit eum, cui concredita eſt, parua ciuitas*, inquit Iulius I. *in ea, quæ credita eſt, permanere, & nequaquam reiecta concredita ad eam, quæ concredita non eſt, tranſuolare.* Vnde & Oſius Cordubenſis in Concilio Sardicenſi canone 1. *Non minùs mala conſuetudo, quàm pernicioſa corruptela funditus eradicanda eſt; ne cui liceat Epiſcopo de ciuitate ſua ad aliam tranſire ciuitatem.* Et can. 3. *Illud quoquè neceſſariò adij-*

*adijciendum eſt, vt Epiſcopi de ſua Prouincia ad aliam Prouinciam, in qua non ſunt Epiſcopi, non transeant, niſi fortè à fratribus ſuis inuitati; ne videamur ianuam claudere charitati.* His enim canonibus licèt agatur de ijs Epiſcopis, qui relicta propria ciuitate ad aliam tranſmigrant, clarè tamen innuitur, Epiſcopos certæ ciuitati adſtrictos fuiſſe, & vnumquemque ſuis limitibus contentum eſſe debere iuxta illud Cœleſtini ſanctiſſimi Pontificis epiſt. 2. c. 4. *Sit conceſſis ſibi contentus vnuſquiſque limitibus: alter in alterius Prouincia nihil præſumat.* Et iuxta illud Innocentij Primi epiſtola ad Florentium Epiſcopum Tiburtinenſem: *Non ſemel, ſed aliquoties clamat Scriptura diuina, transferri non oportere terminos à patribus conſtitutos: quia nefas eſt, ſi quod alter ſemper poſſederit, alter inuadat. Quod tuam bonitatem frater, & coëpiſcopus noſter Vrſus aſſerit perpetraſſe; nam Nomentanam, ſiue Felicienſem Parochiam ad ſuam Diœceſim à maioribus pertinentem inuaſiſſe te, atque illic diuina celebraſſe myſteria inconſulto eodem ac neſciente, non ſine dolore conqueſtus ſit. Quod ſi verum eſt, non leuiter te culpam incurriſſe cognoſcas &c.* Ex quibus Innocentij verbis apparet, vnicuique Epiſcopo Parochiæ terminos conſtitutos eſſe, extra quos ne quidem ſacrum ſolemne celebrare licet, niſi conſentiente Epiſcopo illo, in cuius Eccleſia ſacrificium offert. Conſenſum hunc cum non petijſſet Florentinus Epiſcopus Triburienſis, eum apud Innocentium Primum accuſauit Vrſus Felicienſis, & cauſam Vrſi tuetur Innocentius docens, neminem terminos à Patribus conſtitutos tranſgredi debere. Atque hæc ſufficiant de Epiſcopis, de quibus tot alia reperiuntur Romanorum Pontificum decreta, tot Synodorum ſtatuta, tot SS. Patrum teſtimonia, vt ea omnia referre volentibus deliberandum eſſet non de prolixo capite, ſed de ingenti volumine conſcribendo, ſi tamen vnius voluminis modum caperet ampliſſima rerum dicendarum copia. Relictis itaque breuitatis cauſa cæteris teſtimonijs, quibus terminos Epiſcopis conſtitutos fuiſſe apparet, de Metropolitanorum inſtitutione, & auctoritate nonnulla adiungemus.

CA-

# CAPVT QVARTVM.

## *De inſtitutione Metropolitanorum in Metropolibus Prouinciarum Romani Imperij.*

1. *Imperium Auguſti temporibus fuit diſtributum in Prouincias, quibus ſingulis aut Exconſules, aut Prætores præficiebantur. Vnde Conſulares, & Prætoriæ dictæ. Ciuitas autem, in qua Magiſtratus ille ſedebat, Metropolis erat, in qua & Metropolitanæ Epiſcoporum dignitas inſtituta.*

2. *Id ab Apoſtolorum temporibus obtinuiſſe negat nuperus Auctor adductis Clementis Romani verbis, quæ tamen non obſtant, vt patet ex integro eiuſdem loco, & canone 35. Apoſtolis tributo.*

3. *Ab Apoſtolis inſtitutos fuiſſe Metropolitanos, ex Diui Auguſtini regula probatur, & ex canone nono Antiocheni Concilij deducitur.*

4. *Citat enim Antiochenum Concilium pro Metropolitanorum inſtitutione antiquam regulam à Patribus conſtitutam, non quidem Nicænam, ſed Apoſtolicam, vt pluribus monſtratur.*

5. *Confirmatur hæc veritas ex diſtributione Prouinciarum Eccleſiaſticarum, quarum in epiſtolis ſuis Petrus, & Paulus meminerunt.*

6. *Satisfit nuperi auctoris obiectioni, qua Apoſtoli de ſolis Prouincijs ciuilibus egiſſe dicuntur, cùm ex Paulo conſtet, Prouinciam Cretenſem non modò ciuilem, ſed etiam fuiſſe Eccleſiaſticam, eique Titum præpoſitum fuiſſe vt Metropolitanum.*

7. *Falſum autem eſt, quod nuperus auctor obijcit, Titum non fuiſſe certæ ciuitati præpoſitum. Fuit enim ciuitati Gortynenſi totius Cretæ Metropoli præpoſitus: vnde Gortyna à Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo pro Metropoli Eccleſiaſtica habita fuit.*

8. *In Occidente cœpit eodem tempore inſtitutio Metropolitanorum, quo cœpit inſtitutio Eccleſiarum, vt de maioribus Occidentis Diœceſibus, excepta Britannia, de qua alibi egimus, hac Diſſertatione monſtrabitur.*

1. EX adductis ſuperiùs varijs Romani Imperij diſtributionibus facilè colligitur, quòd rectè Archiepiſcopus Pariſienſis de Marca notauerit, Imperium Romanum iam inde ab Auguſti temporibus in Prouincias diſtributum fuiſſe. Eſt autem Prouincia regio à Romanis bello, aut iure acquiſita. *Cùm namque Romani* ( teſte Hegeſippo ) *in ius ſuum redigebant procul poſitas regiones, appellauerunt Prouincias, & in eas mittebant Præfectum*. Qui ſi Conſul fuerat, Prouincia Conſularis; ſi Prætor, Prætoria dicebatur, vt videre eſt in prima diſtributione ſuperiùs exhibita, quæ tempore Auguſti facta eſt. Confirmari autem hæc poſſunt ex quadam epiſtola ad Ciceronem, vbi dicitur, *Senatui placere, in Ciliciam Prouinciam, inque octo reliquas Prætorias mitti*. Et ex illo Suetonij in Auguſto: *Extant Ciceronis epiſtolæ, quibus Quintium fratrem parùm ſecunda fama Proconſulatum Aſiæ adminiſtrantem hortatur, & monet &c.* Fuit itaque, aut Prætoria, aut Conſulari dignitate præditus, qui tempore Auguſti in Prouincias mittebatur, & in Ciuitate primaria tribunal erigebat, ad quod populi accurrebant, vt eorum cauſa à præfato

ſibi

ſibi magiſtratu iudicaretur, iuxta illud canonis noni Antiocheni: *Ad Metropolim vndique, qui negotia videntur habere, concurrunt*. Rectè itaque obſeruat Pariſienſium Archiepiſcopus Petrus de Marca libro 6. cap. 1. §. 3. *Quòd cùm in Imperio Prouinciæ contributæ eſſent cuidam ciuitati primariæ, quæ Metropolis dicebatur, apud quam magiſtratus ſubditorũ cauſas iudicabant, & propterea populi frequentiùs conueniebant, quòd ſingulari quodam iure cæteræ ciuitates à matrice penderent: Apoſtoli itidem Epiſcopos in ciuitatibus conſtituerunt, eo videlicet ordine, vt penderent ab Epiſcopo in Metropoli, ſiue vrbe primaria conlocato*.

2. Hinc Pariſienſi Archiepiſcopo ſe oppoſuit nuperus quidam auctor affirmans, metropoliticam dignitatem nequaquam ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe, nullamque inter Ecclesias, & Epiſcopos prælationem Apoſtolorum temporibus extitiſſe; ſed vt teſtatur Clemens Romanus epiſtola ſua ad Corinthios, *Apoſtoli, eorumque diſcipuli orbem peragrantes, tam eorum qui crediderunt, quàm qui credituri erant, Epiſcopos, & diaconos conſtituerunt. Vbi verò illi è viuis exceſſere, qui ab Apoſtolis conſtituti erant, in defunctorum locum, ab alijs celebribus viris cum conſenſu totius Eccleſiæ noui tum Epiſcopi, tum miniſtri conſtituti ſunt*. Pluribus auctor ille probare conatur, poſt Apoſtolorum tempora Metropoliticam dignitatem cœpiſſe: attamen haud videre poſſum, qua ratione Clementis teſtimonium ſibi fauere crediderit. Magnus enim ille Pontifex ſub nomine Epiſcoporum, & miniſtrorum, quos Apoſtolorum temporibus vbique terrarum inſtitutos fuiſſe ſcribit, ſolos Epiſcopos, & diaconos non intellexit. Num ergò presbyteros non inſtituerunt Apoſtoli? Quòd ſi inſtituerunt, vt ex Scriptura, & ipſo Clemente inſtituiſſe certum eſt, neceſſe erit fateri, ſub nomine Epiſcoporum, & miniſtrorum à Clemente comprehenſos quoquè fuiſſe presbyteros. Quòd ſi presbyteros, quos non expreſſit, comprehendit; quid vetat, Clementem ſub nomine Epiſcoporum comprehendiſſe Metropolitanos? *Apoſtoli noſtri*, inquit Clemens, *per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum cognouerunt contentionem de nomine Epiſcopatus oborituram: atque ob hanc cauſam perfecta præſcientia prædititi conſtituerunt prædictos, ac deſcriptas deinceps miniſtrorum, officiorumque vices reliquerunt, vt in defunctorum locum alij viri probati ſuccedere, & illorum munia exequi poſſent.* Accedit præter Epiſcopos & diaconos, alios ab Apoſtolis in Eccleſia ordinatos fuiſſe, quorum officia, & miniſteria deſcripta reliquerunt, ſicut deſcriptum fuit officium Metropolitanorum canone 35. Apoſtolico: *Epiſcopos*

*Gentium ſingularum ſcire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput exiſtiment, & nihil amplius præter eius conſcientiam gerant, quàm illa ſola ſinguli, quæ parochiæ propriæ, & villis, quæ ſub ea ſunt, competunt.*

3. Quòd autem canon Apoſtolis rectè tribuat Metropolitanorum inſtitutionem, quamuis ex nullo Patrum, aut Synodorum teſtimonio apertè conſtaret, ex perpetua tamen Eccleſiæ conſuetudine, & vſu probari poſſet, iuxta præclaram magni Auguſtini regulam, quam libro 2. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 7. & lib. 4. cap. 24. & lib. 5. cap. 23. his verbis exhibet: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Quis enim negare poterit totius Eccleſiæ vſu receptam eſſe Metropolitanorum dignitatem? Quis verò dicet, eam à Concilijs inſtitutam fuiſſe, quæ omnem canonum memoriam ſuperat, & de qua cùm Concilia loquuntur, quaſi de re antiquitus ſtatuta mentionem faciunt? Quid enim aliud Concilium Antiochenum anno 341. ſignificat, dum canone nono ſtatuit: *Per ſingulas regiones Epiſcopos conuenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſolicitudinem totius Prouinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes vndiq; qui negotia videntur habere, concurrunt. Vnde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Epiſcopos agere ſecundùm antiquam à Patribus noſtris regulam conſtitutam &c.* Vltimis enim verbis indicant Patres Antiocheni, ſe antiquam Patrum regulam confirmare, qua Prouinciales Epiſcopi, nihil ſine Metropolitano facere poterant, adeò vt antiquitus Metropolitanos in Prouincijs eſſe oportuerit.

4. Nec eſt quod quiſquam objiciat, per hanc regulam indicari canonem quartum Patrum Nicænorum: *Vt firmitas eorum, quæ geruntur, per vnamquamque prouinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo.* A tempore enim Nicæni Concilij vſque ad Antiochenum, ſexdecim dumtaxat anni intercedunt, quod annorum intermedium non ſufficit, vt dicatur hæc regula à patribus ſiue maioribus antiquitus conſtituta: quinimò cum ijdem Epiſcopi Nicæno, & Antiocheno Concilio interfuerint, qui fieri potuit, vt Epiſcopi Antiochiæ congregati Epiſcopos, qui Nicææ adfuerant, Patres, ſeu maiores ſuos vocaſſent? De alijs igitur Patribus loquitur Concilium Antiochenum, de Apoſtolis nimirum, & Epiſcopis illis, qui Apoſtolorum canones tertio ſæculo collegerunt, aguntque de regula 35. Apoſtolica, quæ verè antiqua vocari, & à Patribus conſtituta dici potuit. Hæc enim ante Nicænum Concilium

lium obtinuit in illis Prouincijs, vbi fides Catholica firmas radices egerat; & perſecutionum tempeſtas Hierarchiæ Eccleſiaſticæ inſtitutionem vel non impediuerat, vel non penitus euerterat. Licèt enim exiſtimemus Metropoliticam dignitatem ab Apoſtolis inſtitutam, & formam diuidendarum Prouinciarum, & Metropoles originem ſuam Apoſtolis debere; hæc tamen diuiſio, & Metropolitanorum inſtitutio non ſtatim vbique recepta fuit, ſed prout religio Chriſtiana tardiùs, aut citiùs in prouincijs propagata fuit, Metropolitanorum dignitas tardiùs, aut citiùs in prouincijs cœpit.

5. Vtque hæc exemplis confirmentur, à Prouincijs incipiemus, in quibus religio Chriſtiana ab ipſis Apoſtolorum temporibus firmas radices egit. Nemo ſanè ignorat in Prouincijs Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, Aſiæ, & Cappadociæ fidem annuntiatam fuiſſe ab Apoſtolis, cùm Apoſtolorum princeps Petrus epiſtolam ſuam canonicam ex Babylonia, ideſt ex vrbe Roma, vt veteres apud Euſebium interpretati ſunt, *fidelibus diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ inſcripſerit*. Idem de Macedonia, & Achaia teſtatur Doctor Gentium Paulus, dùm ad Romanos 15. ſcripſit: *Probauerunt Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Hieruſalem*. Quibus in locis videre licet, Apoſtolorum Principes non ſolùm diſtinguere fideles per Prouincias ciuiles, vt nuper Pariſienſi Archiepiſco de Marca oppoſuit auctor Tractatus de diſciplina Eccleſiæ, ſed etiam laudare Eccleſiarum diſtributiones ad formam Imperij per prouincias Eccleſiaſticas, in quibus Metropolitani conſtituti erant, à quorum cura, & ſolicitudine præcipuè Prouinciarum cauſæ pendebant; indeque factum, vt Paulus ad cunctas Achaiæ Eccleſias ſcribens, litteras ſuas Metropolitanæ ciuitatis Eccleſiæ inſcripſerit. *Eccleſia Dei*, inquit 2. ad Corinth. cap. 1. *quæ eſt Corinthi, cum vniuerſa Achaia*. Ad quæ verba Diuus Chryſoſtomus homilia 1. inquit: *Cur ad Metropolim ſcribens, omnibus per eam ſcribat?* Vbi vides D. Chryſoſtomum Achaiæ Metropolim agnoſcere Corinthum, prout quoquè agnouit D. Ambroſius ad eundem Apoſtoli locum: *Achaiæ, cuius eſt metropolis Corinthus*. Vnde rectè Pariſienſium Archiepiſcopus de Marca libro 1. de Concordia cap. 3. num. 3. *Cui non erit ignota Achaia in Prouinciæ formulam à Romanis redacta ( cuius metropolis erat Corinthus, vt docet Annæus Florus lib. 2. cap. 16.) is conſilium Pauli perſpectum habebit, cur litteras ſuas non ſolùm ad Corinthios, verùm etiam ad omnes, qui ſunt in Achaia fratres, perſcribat. Nempe Achaia, & Corinthus*

*nexu Metropoleos, & Prouinciæ ad inuicem continebantur: vt & Theſſalonica, & Macedonia, quæ ratio eundem Paulum impulit, vt ſuis litteris & Theſſalonicenſes, & cæteros, qui erant in Macedonia, fratres admoneret.*

6. Quid ad hæc Auctor libri de Diſciplina Eccleſiæ? Nihil aliud ex his omnibus concludi exiſtimat, quàm diſtinctas fuiſſe Eccleſias propter diſtinctionem vrbium, & Prouinciarum: *Eccleſiæ quippe nihil aliud ſunt*, inquit, *quàm fideles*. Verùm dicat velim auctor ille: in Eccleſijs nonne ab Apoſtolis conſtituti ſunt Epiſcopi, ſacerdotes, & miniſtri? Nonne habetur ex D. Paulo inſtitutio Metropolitani in Prouincia Cretæ, quæ nunc Candiæ nomen obtinuit? Quid enim aliud ſignificat Doctor Gentium epiſtola ad Titum, cap. 1. *Reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi? Hoc Apoſtolorum fuiſſe propoſitum, illuſtriùs ſanè oſtendi non poteſt*, inquit de Marca lib. 1. cap. 3. num. 2. *quàm ex demandata Tito Cretæ Inſulæ ſolicitudine, vt presbyteros (ſeu mauis Epiſcopos, vt ipſemet Paulus ſequenti verſiculo interpretatur) oppidatim conſtitueret. Manus imponitur Epiſcopis à Synodo Prouinciæ, cui ſaltem tres Epiſcopi præſentes interſint, cæteris ſcripto conſenſum præbentibus, ſed ea lege, vt Metropolitano τὸ κῦρος, decretum, & totius negotij auctoritas ſeruetur iuxta canones Nicænos. Hanc formam non aliunde profectam cenſere par eſt, quàm ex Apoſtolorum inſtitutione, quæ à Paulo hìc delineatur. Ordinatio equidem fit à collegio, & cœtu Epiſcoporum, per impoſitionem manuum presbyterij, ſed ea conditione, vt vnus aliquis potiori iure decretum interponat ad vicem Titi, qui diſponendam, & ordinandam Prouinciam à Paulo ſuſcepit. Vnde fluxit, vt Creta Prouinciæ Eccleſiaſticæ, & Gortyna ciuitas Metropoliticum priuilegium illius inſulæ eximiũ ſemper habuerit*. Verbis Pariſienſium Archiepiſcopi de Marca, Theodoreti interpretationem epiſtolę Pauli ad Titum adiungimus, qui affirmat Titum magnæ illius regionis Epiſcopum à Paulo fuiſſe ordinatum, & ab eodem ad Epiſcopos ſub ſe ordinandos facultatem habuiſſe; & interpretationem Diui Chryſoſtomi homil. 1. in epiſt. ad Titum: *Niſi enim probatus eſſet*, inquit de Tito, *non vniuerſam inſulam Apoſtolus illius curæ mandaſſet, non eum iuſſiſſet corrigere, quæ deerant, non tot Epiſcoporum cenſuram ei commiſiſſet*. Hęc duo Patrum teſtimonia adiungere volui, vt appareat, quàm malè auctor lib. de Diſciplina Eccleſiæ Archiepiſcopo Pariſienſi opponat, omnino certum non eſſe, presbyteros illos à Tito inſtitutos Epiſcopos fuiſſe. *Forte vnus erat*, inquit,

*in*

*in Creta Titus Epiſcopus, cæteri omnes presbyteri tantùm.* Enimverò, vt notauit de Marca, Paulus ſtatim presbyteros illos vocat Epiſcopos; cùm namque verſu ſequenti oſtendiſſet, qualis eſſe debeat, qui inſtituendus eſt in aliqua ciuitate presbyter, ſtatim ſubiungit: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem &c.* Quæ verba Eccleſia ſemper de Epiſcopis intellexit, vt iuxta Scripturam, prout ab Eccleſia explicatur, Titus per ſingulas ciuitates Epiſcopos conſtituerit: ſicque vnus toti inſulæ præfuit Titus, ſinguli Epiſcopi, ſingulis ciuitatibus præpoſiti fuerint, ſed Tito ſubditi, indeque rectè Tito nomen Metropolitani à Pariſienſium Archiepiſcopo tributum ſit.

7. Negat id vltimum auctor noſter, quamuis fateatur, *Titum toti Inſulæ præfuiſſe: nam indè,* inquit, *inferri nequit Metropoliticam dignitatem ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe. Hoc enim priuilegium erat Tito peculiare, nec vlli Sedi, aut Vrbi alligatum.* Verùm vnde hauſit auctor ille, priuilegium Titi nulli Sedi, aut Vrbi alligatum fuiſſe? Ex quo antiquitatis monimento hoc collegit? Quo veterum teſtimonio dicta ſua confirmare poterit? An quia non exprimitur in ſacris litteris Ciuitas, in qua Titus ſedit? At numquid omnia in ſacris litteris continentur, quæ contigerunt? Cum Apoſtoli Epiſcopos inſtituerunt, eos certæ ciuitatis Eccleſiæ præpoſuerunt, vt teſtatur Clemens Romanus Apoſtolorum Petri, & Pauli auditor, ac diſcipulus. Cum igitur Paulus Titum Epiſcopum in Creta inſula creauerit, eum certæ ciuitatis Eccleſiæ præpoſuiſſe oportuit, prout præpoſitum fuiſſe Martyrologium Romanum his verbis affirmat: *In Creta natalis S. Titi, qui ab Apoſtolo Paulo Cretenſium Epiſcopus ordinatus, poſt prædicationis officium fideliſſimè conſummatum, beatum finem adeptus ſepultus eſt in Eccleſia, vbi à beato Apoſtolo dignus miniſter fuerat conſtitutus.* Vbi videre licet, Titum certæ Eccleſiæ fuiſſe addictum, quam Menologium Græcorum ab Eminentiſſimo Cardinali Sirleto latinè redditum, & ab Henrico Caniſio To. 2. antiq. lectionum editum, teſtatur fuiſſe Eccleſiam Gortynenſem totius Cretæ metropolim: ita enim habet ad diem 25. Auguſti: *S. Titi Epiſcopi Gortynæ Vrbis Cretæ diſcipuli S. Pauli Apoſtoli.* Et Menea: *S. Apoſtoli Titi Epiſcopi Gortynæ in Creta diſcipuli S. Pauli Apoſtoli.* Vnde Petrus de Natalibus lib. 7. c. 108. *Titus Metropoli præſidebat.* Quarè ſecundo Chriſti ſæculo Philippus Gortynenſium Epiſcopus, tanquam præcipuus iſtius Inſulæ Antiſtes habitus eſt, vt patet ex epiſt. Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi, qui teſte Euſebio libro 4. cap. 23. *Eccleſiæ Gortynenſium, & reliquis ſimul*

*mul Eccleſijs Cretæ litteras ſcribens, Epiſcopum ipſorum Philippum magnopere prædicat.* Vbi Philippus Gortynenſium Epiſcopus totius Cretæ Eccleſijs præpoſitus fuiſſe indicatur: quod alia de cauſa eidem tribui nequaquam potuit, quàm quia ratione ſedis Metropolitanæ totius Cretæ Eccleſijs præfuit, vt in opuſculo de Epiſcoporum, & Metropolitanorum origine obſeruat ipſe Vſſerius Armachanus his verbis: *Vnde apparet, tam illo tempore quàm ſuccedente, Gortynam Metropolim, & Epiſcopum eius totius Inſulæ fuiſſe Metropolitanum.*

8. Nimis longum eſſet hac Diſſertatione ſingulas Eccleſias, in quibus dignitas Metropolitana primis temporibus cœpit, percurrere. De Eccleſijs Aſiæ, Ponti, & Thraciæ, quia Exarchis ſubiectæ fuerunt, commodiùs ſequenti Diſſertatione agemus. De Eccleſijs Orientis, & Aegypti, quia Patriarchis paruerunt, latiùs ſubinde tractabimus. Vnde relictis Orientis Diœceſibus, pauca de Occidentalibus erunt delibanda. Fuerunt autem maiores Occidentis Diœceſes ſex, Italia nimirùm, Africa, Hiſpania, Gallia, Illyricum, & Britannia, de qua vltima Diœceſi egi in Diſſertatione de auctoritate Patriarchali & Metropolitica aduersùs Eduardum Stillingfleet Decanum Londinenſem, oſtendens Eccleſias Britannicas, quocumque tandem tempore inſtitutæ ponantur, à Romana Sede fidem Catholicam ſuſcepiſſe, primiſque temporibus non Epiſcopos tantùm, ſed etiam Metropolitanos habuiſſe, quibus Gentilium Saxonum irruptione extinctis Gregorius Magnus per Auguſtinum Monachum nouum Britanniarum Apoſtolum duas Sedes Metropolitanas inſtituit, Londinenſem, & Eboracenſem. Hæc ibi ſpeciali Diſſertatione illuſtraui. Vnde, ne iam acta agere, & crambem recoctam apponere, vt in prouerbio eſt, videamur; omiſſo de Britannia vlteriori tractatu, agemus hac Diſſertatione de reliquis Occidentis Diœceſibus, Italia nimirum, Africa, Hiſpania, Gallia, & Illyrico.

# CAPVT QVINTVM.

## *An, & qua ratione in Diœceſi Italiæ inſtitutæ fuerint Metropoles Eccleſiaſticæ?*

*1. Quæritur, qua ratione, cùm Metropoles Eccleſiaſticæ in cæteris Prouinijs inſtitutæ fuerint, in Italiæ Prouincijs, aut regionibus, primis Eccleſiæ temporibus non obtinuerint? Et reſpondetur, id ex ſequenti Italiæ adminiſtratione ciuili ortum eſſe.*

*2. Vrbi Præfectus dum Roma erat, vrbanas cauſas duntaxat iudicabat; extra Vrbem conſtitutus vſque ad centeſimum lapidem ipſius iuriſdictio ſe extendebat.*

*3. Duo quoque erant Vicarij, quorum alter Vicarius Vrbis, alter Vicarius Italiæ.*

dice-

*dicebatur, non tamen vice Præfecti, ſed proprio munere fungebatur. Vicario Vrbis parebant decem regiones à Tuſcia vſque ad Siciliam, Sardiniam, & Corſicam; Vicario Italiæ reliquæ ſeptem, quarum Metropolis Mediolanum.*

4. *In Italia conſtat primùm duos Metropolitanos fuiſſe, Romanum ſcilicet, & Mediolanenſem, quibus nonnulli ex varijs antiquorum locis haud benè intellectis Syracuſanum adiungunt.*

5. *Probatur id in primis ex epiſtola Conſtantini Magni, in qua nulla mentio fit Epiſcoporum ſecundi ordinis, quamuis id habeat verſio vulgata. Syracuſanus enim Epiſcopus non habuit ſub ſe alios Epiſcopos vſque ad tempora Gregorij Magni.*

6. *Fuit tamen ante Gregorium Magnum in Sardinia Metropolitanus, vt conſtat ex Theodoreti, & D. Athanaſij teſtimonijs, ipſeque poſt Concilium Nicænum inſtitutus eſt.*

7. *Eccleſia Rauennatenſis Metropolis facta eſt paulò ante tempus Leonis Magni; vnde Valentiniano Imperatori ſuppoſita huius Archiepiſcopatus erectio.*

8. *Idem conſtat de Eccleſia Aquileienſi, quæ ante tempora Diui Ambroſij Metropolis euaſit, vt patet ex actis Aquileienſis Synodi.*

9. *D. Athanaſius Aquileienſem Metropolim non agnouit, & ex Synodi Sardicenſis ſubſcriptionibus patet, Aquileienſem Eccleſiam fuiſſe Prouinciæ Italiç, adeoquè Mediolanenſis ſuffraganeam.*

10. *Quàm longè ſe extenderit ius Metropolitanum Epiſcopi Mediolanenſis, oſtenditur ex ſubſcriptionibus epiſtolæ Synodicæ Euſebij Mediolanenſis, & ex alijs Diui Ambroſij locis. In totum enim illum terrarum tractum, qui Vicario Italiæ parebat, ante Nicæni Concilij tempora ius obtinuit.*

11. *Eodem modo in cæteras Prouincias, aut Regiones, quæ Vicario Vrbis parebant, ius Metropoliticum obtinuit Romanus Epiſcopus vſque ad Sardicenſis Concilij tempora.*

12. *Ex his omnibus concluditur, ſpecialem Italiæ adminiſtrationem ex eo proueniſſe, quòd Eccleſia Italica imitata ſit ſpecialem adminiſtrationem ciuilem, & pro duobus Vicarijs duos Metropolitanos admiſerit.*

13. *Et ex his elucidatur locus D. Athanaſij, quo Mediolanenſis Eccleſia Italiæ Metropolis dicitur; quem locum hæretici Romani Pontificis auctoritati oppoſuerunt, neſcientes, quid per Italiam ibi ſignificet Athanaſius.*

14. *Colligitur quoquè, quid dicendum ſit de Suburbicarijs regionibus: nam licèt conſtet Romanum Epiſcopum in illis ius Metropoliticum exercuiſſe; inde concludi non poteſt, quòd ius Patriarchale non exercuerit in alias Prouincias.*

1. CVM ſuperiori capite monſtrauerimus Metropoles Ciuiles iuxta Apoſtolorum inſtitutum euaſiſſe Metropoles Eccleſiaſticas, non immeritò quæritur, qua ratione factum ſit, vt hoc inſtitutum Apoſtolicum olim locum non habuerit in Orbis Romani principe Diœceſi Italia. Cùm enim 17. Prouinciæ, aut Regiones in Italia fuerint, ac pleræque earum vrbes Metropoles à prophanis auctoribus nominentur; qui fieri potuit, vt paucæ admodùm Metropolitanæ Eccleſiæ in Italia fuerint? Sunt qui huic difficultati ſatis occurrere arbitrantur, ſi reſpondeant, inſtitutum illud magìs locum habuiſſe in Orientis, quàm Occidentis prouincijs; idque patere ex Conciliorum Generalium ſubſcriptionibus, in quibus Prouinciarum Orientalium Epiſcopi ſub ſuis Metropolitanis diſtributi actis ſubſcribunt; cum tamen conſtet, ne tum quidem ſex Metropoles Eccleſiaſticas in tota Italia fuiſſe. Verùm hoc ipſum quæritur, qua ratione factum ſit, vt in reliquis Orbis Romani Prouincijs Metropolitani ex Apoſtolico inſtituto ordinati ſint; in Italia verò, vbi Paulus prædicauit, vbi Petrus Eccleſias inſtituit, vbi Sedes Apoſtolica primis Eccleſiæ temporibus

bus erecta fuit, inſtitutum illud ſtatim non obtinuerit? Quæſtio grauiſſima cum ſit, à nobis poſtulat, ne perſunctoriè, aut confusè tractetur. Rem itaque altiùs repetentes, ita partiemur quæſtionis capita, vt perſpicuitati ſimul, & veritati conſulatur. Ciuilem ergò adminiſtrationem ob oculos ponere, tum formam regiminis Eccleſiarum adducere, & demum quanam in re adminiſtationem ciuilem Eccleſia imitata ſit, oſtendere opus eſt.

2. Ciuilis Italiæ adminiſtratio ſatis apertè colligitur ex Imperij Notitia, quæ poſt Arcadij, & Honorij principatum circa initium quinti ſæculi conſcripta eſt; docetque Romæ fuiſſe Magiſtratum, quem Præfectum Vrbis vocabant. *Præfectus Vrbis Romæ*, inquit Notitia; & addit infrà: *Sub diſpoſitione viri illuſtris Præfecti Vrbis habentur adminiſtrationes infraſcriptæ: Præfectus annonæ, Præfectus vigilum, Comes formarum, Comes riparum, & aluei Tiberis, & cloacarum, Comes portus, Magiſter cenſus, Rationalis vinorum, Tribunus fori ſuarij, Conſularis aquarum, Curator operum maximorum, Curator operum publicorum, Curator ſtatuarum, Curator horreorum Galbanorum, Centenarius portus, Tribunus rerum nitentium*. Ex quibus Notitiæ verbis patet, nullius Prouinciæ adminiſtrationem Præfecto Vrbis fuiſſe concreditam; cùm ſuperiores adminiſtrationes ad Vrbem potiſſimùm referrentur, præter portum Claudij, qui, licèt ad oſtia Tiberina ſitus, in Præfecti ditione cenſebatur: hoc enim indicant ea verba, *Comes portus, & Centenarius*, ſeu quod idem eſt, *Centurio portus*, vt rectè annotauit Felix Contelorius in libello de Præfecto Vrbis cap. 4. quem mm. ſſ. notis auxit Lucas Holſtenius, cuius apographū penès me habeo. Notat verò idem Contelorius, Vrbanæ Præfecturæ poteſtatem hanc fuiſſe, vt omnium criminum, quę tum in Vrbe, tum intra centeſimum ab Vrbe lapidem admittebantur, cognitio Cæſarum tempore ad Vrbis Præfectum ſpectaret. Oſtendit autem Sirmondus contra Salmaſium, hæc ita intelligenda eſſe, vt Præfectus illam ſolummodò poteſtatem iudicandi haberet, quando in Vrbe Roma erat: cum ex Vrbe egreſſus eſſet, poteſtate iudicandi crimina intra centeſimum ab Vrbe lapidem commiſſa vti non poſſet. Idque probat ex lib. 6. Βασιλικῶν titulo 4. cap. 3. vbi: *Præfectus Vrbi, cum terminos Vrbis exierit, non poteſt Præfecturæ poteſtatem habere. In Vrbe quidem quandiù verſatur, poteſt iubere alicui etiam extra Vrbem iudicare*. Quæ verba ita commentatur Theodorus: *In Vrbe enim, & in ſuburbanis locis habet & imperium, & iuriſdictionem etiam extra Vrbem vſque ad centum millia: & quemadmodùm cæteri omnes Iudices*

*extra*

*extra Prouincias, quas regunt, conſtituti priuati ſunt, & illis impunè à ſubditis non paretur; ſic & Præfectus Vrbi extra terminos Vrbis poſitus Præfecturæ poteſtatem non habet. In Vrbe ſanè conſiſtens poteſt iubere alicui iudicare etiam extra Vrbem, vſque ad centum, opinor, millia.* Hæc Theodorus adeò liquidè rem exponens, vt nullo indigeat interprete.

3. Nullam itaque per ſe Prouinciam regebat Præfectus Vrbis, ſed neque vllam per Vicarios quaſi Legatos adminiſtrabat. Licèt enim duo fuerint in Italia Magiſtratus Vicariorum nomine inſigniti, quorum alter Vicarius Vrbis, alter Vicarius Italię nominabatur; Vices tamen Præfecti Vrbis non gerebant; ſed propria adminiſtratione, & poteſtate vtebantur à Præfecto Vrbis omnino exempta, eamque exercebant in prouincijs, ſeu regionibus Italiæ vltra centeſimum lapidem ab Vrbe diſſitis. Vt autem veritatem hanc teſtimonio comprobemus, de Prouincijs Vicario Vrbis ſubiectis, ita habet Notitia Occidentalis Imperij.

*Sub diſpoſitione Viri Spectabilis Vicarij Vrbis Romæ Prouinciæ infraſcriptæ.*

*CONSVLARES*

Campaniæ, Tuſciæ, & Vmbrię, Piceni Suburbicarij, Siciliæ.

*Correctores*

Apuliæ, & Calabriæ, Brutiorum, & Lucaniæ.

*Præſides*

Samnij, Sardiniæ, Corſicæ, Valeriæ.

Habuit igitur Vicarius Vrbis ſub ſua adminiſtratione decem prædictas regiones, aut prouincias. Reliquæ Italiæ regiones parebant Vicario Italiæ, cuius Metropolis Mediolanum; adminiſtratio verò fuit in prouincias, aut regiones Venetiarum, Aemiliæ, Liguriæ, Flaminiæ, & Piceni Annonarij, Alpium Cottiarum, Rhetiæ primæ, & Rhetiæ ſecundæ. Cæterùm diſtributio Italiæ, quam hucuſque expoſuimus, ſub Imperatoribus Arcadio & Honorio viguit, & ante eorundem tempora ſub Conſtantino Magno, qui formam Imperij non inſtituit, ſed prout ab Hadriano Imperatore conſtituta fuerat, fermè reliquit, teſtante Aurelio Victore in epitome de Hadriano Imperatore: *Officia ſanè publica, & palatina,*

*nec non militiæ in eam formam Hadrianus ſtatuit, quæ paucis per Conſtantinum immutatis hodiè perſeuerat.*

4. Atque hæc quidem de forma adminiſtrationis ciuilis. Nunc videndum eſt, quænam fuerit forma adminiſtrationis Eccleſiaſticæ. Ac certum quidem eſt, non in ſingulis ſeptemdecim Regionibus, aut Prouincijs Italię inſtitutos fuiſſe ſingulos Metropolitanos, ſed Romanum, & Mediolanenſem primis Eccleſiæ ſæculis plures Prouincias ſub ſe habuiſſe. Prima tamen de Sicilia eſt difficultas, eò quòd illam plerique ſcriptores ante Conſtantini tempora Metropolitę Syracuſano paruiſſe affirment ob Nicolai Primi teſtimonium, quo Archiepiſcopus Syracuſanus *iuxta traditionem Apoſtolicam* à Sede Apoſtolica ordinandus dicitur: ob Septimæ Synodi acta, in quibus Galaton presbyter locum *Stephani Archiepiſcopi Syracuſani* tenuiſſe fertur: ob Gregorij Magni epiſtolas, in quibus *Maximiano, eiuſque ſucceſſoribus Syracuſanis* Epiſcopis iam pallium tributum fuiſſe indicatur: ob ſubſcriptiones Synodorum ſub Symmacho, in quibus *Eulalius Syracuſanus* poſt primos Italiæ Metropolitas ſubſcripſit; vti ob ſubſcriptiones Concilij Arelatenſis Primi, in quibus primo loco exhibetur: *Chreſtus Epiſcopus, Florus diaconus, ex ciuitate Syracuſanorum Prouinciæ Siciliæ.* Cùm enim Prouinciam Siciliæ à reliqua Italia diſtinguat hæc ſubſcriptio, videtur Sicilia particularem Prouinciam Eccleſiaſticam conſtituiſſe, in qua Chreſtus Syracuſanus tanquam Metropolitanæ Ciuitatis Epiſcopus primam Sedem Eccleſiaſticam teneret. Indicatur hoc ipſum à Conſtantino Magno, dum hunc eundem Chreſtum ad Concilium Arelatenſe venire iuſſit; ita enim ad eum ſcribit: *Proinde quando plurimos Epiſcopos ex locis diuerſis, & penè infinitis in Vrbem Arelateſiorum ad Calendas Auguſti conuenire mandauimus: tibi etiam per litteras ſignificandum putauimus, vt accepta rheda publica, duobus item alijs Epiſcopis ex ſecunda ſede, quos tamen maximè deligendos iudicaueris, tribus item ſeruulis, qui in itinere vobis miniſtrare poſſint, ad eum diem in loco præſcripto alijs occurras.* Quibus verbis liquidò conſtare videtur, Chreſtum fuiſſe primæ Sedis Epiſcopum, ſeu Metropolitanum, cùm alios ſecundæ Sedis Epiſcopos ſub ſe habuerit, quos ad Concilium Arelatenſe Primum adduxit.

5. Argumentis hactenus propoſitis ea vis non eſt, vt Metropolitam Siciliæ conſtituant. Breui enim criterio ſingulorum inanitas perſpicuè internoſcitur. Vtque à poſtremo exordiamur, inſignis error irrepſit in verſionem epiſtolæ Conſtantini apud Chriſtophorſonum, dum legit *Epiſco-*

*ſcopos ſecundæ Sedis*, de quibus nulla mentio reperitur in textu Græco, qui ita habet apud Euſebium libro 10. capite quinto: Ἐπειδὴ τοίνυν πλείστους ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων Ἐπισκόπους εἰς τὴν Ἀρελατησίων πόλιν εἴσω Καλανδῶν Αὐγούστων συνελθεῖν ἐκελεύσαμεν· καὶ σοὶ γράψαι ἐνομίσαμεν, ἵνα λαβὼν παρὰ τοῦ λαμπροτάτου Λατρωνιανοῦ τοῦ κοιρήκτορος Σικελίας δημόσιον ὄχημα, συζεύξας σεαυτῷ καὶ δύο γέ τινας τῶν ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου, οὓς ἂν σὺ αὐτὸς ἐπιλέξασθαι κρίνῃς, ἀλλὰ μὴν καὶ τρεῖς παῖδας τοὺς δυνησομένους ὑμῖν κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπηρετήσασθαι παραλαβὼν, εἴσω τῆς αὐτῆς ἡμέρας ἐπὶ τῷ προειρημένῳ τόπῳ ἀπάντησον. Quæ Iacobus Sirmondus Tomo I. Conciliorum Galliæ, & Henricus Valeſius lib. 10. Eccleſiaſticæ Hiſtor. Euſebij cap. 5. hoc modo vertunt: *Quoniam igitur plurimos ex diuerſis, & propè infinitis locis Epiſcopos in Vrbem Arelatenſem intra Calendas Auguſti iuſſimus conuenire: tibi quoquè ſcribendum cenſuimus, vt accepto publico vehiculo à Viro Clariſſimo Latroniano Correctore Siciliæ, adiunctis tibi duobus ſecundi Ordinis, quos tu eligendos putaueris, tribus item ſeruulis, qui in itinere vobis miniſtrare poſſint, intra eundem diem ad prædictum locum occurras*. Ex qua videre eſt, nullam in græco mentionem fieri Epiſcoporum, ſed tantùm dici: *adiunctis tibi duobus ſecundi ordinis*. In Græco ponitur: δευτέρου θρόνου *ſecundi throni*, quibus verbis reſpicit Conſtantinus ad σύνθρονον *Synthronum* Eccleſiæ Syracuſanæ, in quo, ſicut & in alijs Eccleſijs, erant plures ordines pro Clero. Quarè dum iuſſit duos ex ſecundo throno eligi, non locutus eſt de Epiſcopis, ſed de presbyteris, de quibus Optatus Mileuitanus lib. 1. *Quid* (commemorem) *presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos*? Et Sidonius Apollinaris de Mamerto presbytero lib. 4. epiſtola 11. *Antiſtes fuit ordine in ſecundo*. Vbi vides, presbyteros ſecundi ordinis vocatos fuiſſe. Quod forſan dici potuit de diaconis, qui illis temporibus Concilijs Prouincialibus, aut Nationalibus aderant, & ſubſcribebant; ſicque Concilio Arelatenſi Primo interfuit non ſolùm Chreſtus, ſed Florus quoquè eius diaconus, qui vnà cum Chreſto eidem Concilio ſubſcripſit: *Chreſtus Epiſcopus, Florus diaconus, ex Ciuitate Syracuſanorum Prouinciæ Siciliæ*. Hic Florus itaque fuit vnus ex Clero ſecundi ordinis, quem Chreſtus elegerat, qui primo quidem loco nunc reperitur in ſubſcriptionibus iſtius Concilij; nullatenus tamen prior ſubſcripſiſſe credendus eſt. Subſcriptiones namque Synodi Arelatenſis in mm. ſſ. Codicibus mirum in modum confuſæ ſunt, neque eo ordine illic exhibentur, quo antiquitus factæ ſunt. Nullatenus igitur ex illis concludi poteſt pro dignitate Metropolitana Eccleſiæ Syracuſanæ, vtpote quæ

næ tempore quidem Gregorij Magni Metropolitanum obtinuit, vt patet ex epiſtola 11. lib. 7. in qua ad omnes Metropolitanos, qui ex Patriarchatu Romano Imperatori Græco ſuberant, ſcribit cum hac epigraphe: *Gregorius Euſebio Theſſalonicenſi, Vrbitio Dirracitano, Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopoli, Ioanni Corinthi, Ioanni Primæ Iuſtinianæ, Ioanni Cretenſi Scorintano, Ioanni Lariſſæ, Mariniano Rauennæ, Ianuario Calaritano Sardiniæ, & omnibus Epiſcopis Siciliæ*. Ad quæ verba rectè auctor libri de Metropolitanarum Vrbium hiſtoria: *Metropolitanorum omnium & nomen prodit Gregorius, & Vrbem. Si Syracuſanus Metropolitanus fuit, vt Amico viſum eſt; ſi Meſſanenſis, vt Piuolo; ſi Capuanus, vt Sirmondo; ſi Rhegienſis, vt alij: cur eos Gregorius itidem vt Calaritanum in Sardinia, vt alios in ſua quemque Prouincia, non appellauit?* Hæc auctor ille, qui putat Syracuſanum Epiſcopum tunc Metropolitanum creatum, dum Sicilia à Metropoli Romana auulſa Conſtantinopolitano Patriarchæ tributa fuit. Quod ante Synodum Septimam contigiſſe, ſubſcriptiones Galatonis presbyteri indicant, & Notitia Leonis Sapientis comprobat, in qua idipſum disertè aſſeritur his verbis: *Sunt & alij Metropolitæ auulſi à Romana Diœceſi, nunc ſubiecti Throno Conſtantinopolitano, & qui ſub ipſis ſunt Epiſcopi: 1. Theſſalonicæ, 2. Syracuſæ &c.*

6. Quamuis autem ex his conſtet, nullum in Sicilia Metropolitanum fuiſſe tempore Gregorij Magni, tamen ante huius Pontificis ætatem alios in Italia Metropolitanos fuiſſe, eiuſdem Gregorij teſtimonio comprobari poteſt. Enimuerò de Calaritano in Sardinia Metropolita nullus ambigendi locus relinquitur, cum Ianuarij Calaritani expreſſè mentionem faciat Gregorius, & ante Gregorium Theodoretus libro 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 12. Luciferum Calaritanum totius Sardiniæ Metropolitanum fuiſſe tradat: inter Epiſcopos enim, qui Athanaſij damnationi in Synodo Mediolanenſi ſubſcribere noluerunt, enumeratur Λουκίφερος ὁ τῆς μητροπόλεως τῶν κατὰ Σαρδηνίαν νήσων *Lucifer Metropolis Sardiniæ Inſularum* Epiſcopus. Quæ verba Theodoretus ex Athanaſio deſumpſit, vtpote qui epiſtola ad Solitarios idipſum teſtatur: καὶ Λούκιφερ ὁ ἀπὸ μητροπόλεως τῆς Σαρδηνίας Ἐπίσκοπος. *Et Lucifer Metropolitanus Epiſcopus Sardiniæ*. Vnde certum eſt, tempore D. Athanaſij Luciferum Calaritanum iam fuiſſe Metropolitanum Sardiniæ: ſicque ante tempora Gregorij Magni præter Romanum, & Mediolanenſem alius Metropolita in Italiæ regionibus fuit. De cuius tamen inſtitutione nihil certi dicere poſſumus,

mus, niſi quòd cum poſt Concilium Nicænum Calaritana Eccleſia in Metropolitanum ſuum agnoſcat, potuit iuxta quartum canonem Nicænum in Sardinia Metropolitanus conſtitui, vt illi totius Inſulæ Epiſcopi obedirent. Nec obſtat, quòd in ſubſcriptionibus Concilij Arelatenſis legatur: *Quintaſius Epiſcopus, Ammonius presbyter de ciuitate Calaris, Prouincia Sardiniæ*. Sicut enim ſimilis ſubſcriptio Chreſti Epiſcopi, & Flori diaconi non ſufficienter probat, Syracuſanum Antiſtitem fuiſſe Metropolitanum Siciliæ; ſic non efficiet ſubſcriptio Quintaſij Epiſcopi, & Ammonij presbyteri, quod Calaris ante Conſtantini tempora fuerit Metropolitana Eccleſia totius Sardiniæ.

7. De Rauennate Metropolitano conſtat quoquè ex loco Gregorij Magni ſuperiùs allato, in quo inter cæteros Metropolitanos etiam mentio fit Mariniani Rauennatenſis. Fuit autem Rauennatis Eccleſia vna ex ſedibus Metropolitanis Italiæ à tempore Leonis Magni, ſub quo beatus Petrus Chryſologus Rauennatenſis Metropolita floruit, vt ipſe indicat ſermone 175. in quo ius ſuum Metropolitanum probat. Quia autem D. Petrus Chryſologus decretis Sedis Apoſtolicæ imperatoriam auctoritatem acceſſiſſe innuit; hinc factum exiſtimem, quòd Rauennates temporibus illis, quibus caput contra Romanam Eccleſiam erexerunt, edictum Valentiniani Imperatoris confinxerint, quod in Hiſtoria Rauennatenſi edidit De Rubeis, & incipit his verbis: *In nomine Domini Dei Saluatoris noſtri IESV Chriſti. Fl. Valentinianus fidelis IESV Chriſti Maior Imperator Auguſtus, Ioanni viro ſanctiſſimo, Archiepiſcopo Rauennenſis Ciuitatis*. Ex quo titulo inprimis conſtat de ſuppoſitione huius decreti, cùm nullus Imperator ſe Maiorem vnquam vocarit; deinde ex ipſo contextu, in quo Valentinianus imperiali auctoritate ſanxit, Rauennatenſes Epiſcopos in poſterum Archieratica dignitate, & Metropolitani decore ornatos fore, ac totius Aemiliæ Prouinciæ Epiſcoporum ordinationes ad ipſos ſpectaturas, conferendumque eis ob decorem Apoſtolicę dignitatis honorem pallij: *Sicut*, inquit, *cæteri ſub noſtra Chriſtianiſſima poteſtate ſæpe degentes fruuntur Metropolitæ*. Quæ omnia nemo non videt Valentiniano attributa, & omnino ſuppoſita eſſe, ac diù poſt Gregorij Magni tempora, dum ob Exarchorum poteſtatem Rauennas Eccleſia Patriarchali Romani Pontificis auctoritati ſubiecta ſe ſubducere conata eſt, fuiſſe efficta. Cùm tamen veritas aliquando ſit falſitatę poſterior, licèt hæc conſtitutio Imperialis conficta ſit, nihilominus verum eſſe exiſtimem, temporibus Valentiniani Auguſti, qui Rauennæ ſedem Imperij fixerat, Rauen-

uennatem Eccleſiam conſtitutam fuiſſe Prouinciæ Aemiliæ Metropolitanam. Nam idipſum Petrus Chryſologus teſtimonio ſuprà citato non obſcurè indicauit, dum paulò ante ſua tempora ad Rauennatem Epiſcopum ordinationes Coëpiſcoporum Aemiliæ deuolutas affirmat.

8. De Aquileienſi Eccleſia etiam conſtat, quòd Metropolitanam dignitatem adepta ſit ante tempora Gregorij Magni. Scripſit namque ad Nicetam Aquileienſem Leo Magnus epiſt. 79. vt reſponſum Sedis Apoſtolicæ *ad omnes fratres, & comprouinciales ſuos Epiſcopos facerct peruenire*. Quibus verbis indicat ſanctus ille Pontifex, Aquileienſem Epiſcopum habuiſſe ſub ſe Epiſcopos Prouinciæ *Venetæ, & Hiſtriæ*, quos Comprouinciales vocat. Quarè epiſtolæ Synodicæ Euſebij Mediolanenſis ann. 451. datæ non ſubſcripſit; nam ab eius iure Aquileienſis Ciuitas, cum tota Venetiæ, & Hiſtriæ Prouincia, iam tum exempta erat, vt ſatis ſuperque probari poteſt ex Concilio Aquileienſi anno 381. ſub Damaſo Papa, quod ita incipit: *Syagrio, & Eucherio VV. CC. Coſſ. Nonis Septembris, Aquileiæ in Eccleſia conſidentibus, cum Epiſcopis Aquileienſium ciuitatis Valeriano, Ambroſio, Euſebio &c.* Ex his enim patet, Valerianũ Aquileienſem ante D. Ambroſium Mediolanenſem Archiepiſcopum poni, quod nequaquam fieri potuiſſet, ſi Valerianus Aquileienſis tunc ſuffraganeus Epiſcopi Mediolanenſis fuiſſet. Per id itaque temporis Metropolitæ munere gaudebat Aquileienſis Antiſtes, æquè ac Mediolanenſis Epiſcopus, & cum longiùs ab Vrbe abeſſent: *Mos antiquus*, teſte Pelagio Papa Primo, *inter illos obſeruatus fuit, vt ipſi ſe inuicem Mediolanenſis, & Aquileienſis ordinare Epiſcopos debuiſſent*. Sicut autem ad antiquiorem illorum ſpectabat ordinatio; ita æquum fuit, vt ad eundem ſpectaret primus locus in Concilijs. Cum ergo Valerianus ordinatione antiquior eſſet Diuo Ambroſio; exinde factum eſt, quòd Valeriano Aquileienſi primus locus datus ſit in Aquileienſi Concilio, vt ſuprà vidimus ex actis.

9. Porrò Aquileienſem Eccleſiam circa Damaſi tempora Metropolitanam dignitatem adeptam fuiſſe, colligitur ex D. Athanaſio, dum epiſtola ad Solitarios Italiam contra Romam diſtinguit: Ἀπό τε τῆς μεγάλης Ῥώμης, καὶ τῆς Ἰταλίας πάσης: *E magna Roma, & omni Italia*. Vt autem conſtet de ſenſu, quo Athanaſius Italiam contra Romam diſtinguat, notanda ſunt verba ſequentia, quibus agit de Epiſcopis à Conſtantio Imperatore in exilium miſſis: ἐξ ὧν εἰσιν οἱ νῦν λαμπρᾷ χρυσάμενοι τῇ ὁμολογίᾳ ἄνδρες εὐλαβεῖς, καὶ Ἐπίσκοποι ἀγαθοὶ, Παυλῖνος ἀπὸ Τριβέρων τῆς μητροπόλεως τῶν Γαλλιῶν Ἐπίσκοπος, καὶ Λυκίφερ ὁ ἀπὸ μητροπόλεως τῆς

Σαρ-

Σαρδινίας Ἐπίσκοπος, Ἐυσέβιός τι ὁ ἀπὸ Βαρκέλλων τῆς Ἰταλίας, καὶ Διονύσιος ὁ ἀπὸ Μεδιολάνων, ἔστι δὲ καὶ ἀυτη μητρόπολις τῆς Ἰταλίας. *Ex quorum numero clariſſimæ ſunt confeſſionis viri religioſi, & Epiſcopi boni Paulinus Treuirorum, quæ Galliarum Metropolis eſt, Lucifer Metropolitanus Epiſcopus Sardiniæ, Euſebius Vercellis ciuitate Italiæ, Dionyſius Mediolani, quod & ipſum eſt Metropolis Italiæ.* Ex his enim apertè conſtat, D. Athanaſium magnam Italiæ partem ſub vna Prouincia collocare, cuius Metropolim ait eſſe Mediolanum, quam Metropolim à Roma ſuperiùs diſtinxerat, vti & diſtinxit Sardicenſis Synodus ſub Iulio I. an. 347. celebrata. In ſubſcriptionibus enim huius Concilij apud Labbeũ reperiuntur ſequentes: *Fortunatianus ab Italia de Aquileia. Seuerus ab Italia de Rauenna. Vrſacius ab Italia de Brixia. Protaſius ab Italia de Mediolano.* Et in alio Epiſcoporum Catalogo apud eundem Labbeum adiungitur: *Lucius ab Italia de Verona.* Ex quibus Catalogis manifeſtum eſt, in Italiæ Prouincia tempore Concilij Sardicenſis fuiſſe Aquileiam, Rauennam, Brixiam, & Veronam; adeòque Aquileiam tunc temporis nondum Metropolim fuiſſe, vti nec fuit Rauennas Eccleſia, quæ primùm tempore Valentiniani Metropolis effecta eſt, vt ſuprà indicauimus.

10. Quàm diffusè autem Mediolanenſis Eccleſia per Italiam iusMetropoliticum obtinuerit ante inſtitutos Rauennenſis, & Aquileienſis Eccleſiæ Metropolitas, colligi poteſt ex Euſebij Mediolanenſis epiſtola, quæ ad Leonem Magnum miſſa eſt ſuper fide, quam ad Orientem direxerat. Illi enim non ſolùm ſubſcribunt Liguriæ Epiſcopi, *Criſpinus Ticinenſis, Cyriacus Laudenſis, Abundantius Comenſis,* & reliqui; ſed etiam *Fauentius Regienſis, Maioranus Placentinus, & Cyprianus Brixellenſis,* de Prouincia Aemiliæ: *Abundantius Comenſis pro Aſimone Curienſi, Gradus pro Euſtaſio Auguſtano,* ex Rhætia: *Maximus Taurinatis, & Quintus Dertonenſis,* ex Alpibus Cottijs. Quos conſequenter ſpectaſſe conſtat ad Synodum Euſebij, qui primus ſubſcripſit, & cui Paſchaſius Genuenſis, Paſtor Aſtenſis, Simplicius Nouarienſis, Ioannes Cremonenſis, Octauius Brixianus, Iuſtinianus Vercellenſis, Quintius Albingauienſis, & Præſtantius Bergomas ex Alpibus Cottijs, & Liguria acceſſerunt. His autem ſi addas Epiſcopos Prouinciæ Flaminiæ, cuius Epiſcopum Forocornelienſem ad ſuam ordinationem ſpectaſſe epiſtola 19. ad Conſtantium Epiſcopum, quæ in alijs editionibus eſt 44. & 2. in nouiſſima, indicat Diuus Ambroſius, & pro cuius Epiſcopo Vicohabentino, quia Flaminia haud dudum à Mediolanenſis Epiſcopi iure ſubſtra-

cta

ᵭa erat, ſe grauem cum Mediolanenſi Eccleſia quæſtionem habuiſſe innuit D. Petrus Chryſologus ſerm. 175. de Marcellino Vicohauentino &c. habebis omnes ferè Regiones, quæ Eccleſiaſticam Italiæ Prouinciam conſtituebant: Liguriam nimirum, Aemiliam, Flaminiam, Alpes Cottias, Rhetiam, quam Notitia Imperij in primam, & ſecundam partitur. Hiſque Hiſtriæ, & Venetiæ Prouincia dumtaxat deeſſe cognoſcitur, quibus exceptis in reliquas Italię RegionesMediolanenſis Epiſcopus tanquam Italiæ Metropolitanus ius obtinebat.

11. Et quidem Prouinciæ Italiæ hoc modo ſumptæ oppoſita fuit Roma tanquam cæterarum Italiæ regionum Metropolis Eccleſiaſtica, cum ante Calaritani, & Syracuſani Metropolitanorum inſtitutionem, Romanus Epiſcopus in decem regionibus Epiſcopos ordinarit, cunᵭaque Metropolitani munia obierit, nulluſque alius in decem regionibus Italiæ, vſque ad Sardicenſis Concilij tempora Metropolitanus fuerit. Patet hoc ſecundum ex omnibus ijs, quæ hucuſque diximus de Syracuſano, & Calaritano Metropolitis, de quibus ſolis dubitari poteſt, an Metropolitæ ijs temporibus fuerint. Putat autem Vſſerius Armachanus in opuſculo de Metropolitanorum origine, hanc veritatem probari poſſe ex ediᵭo Aureliani Imperatoris, qui in controuerſia, quæ fuit inter Paulum Samoſatenum, & Domnum, Epiſcopos Romanæ Vrbi ſubieᵭos ab Epiſcopis Italiæ diſtinguit: *Quibus*, inquit Aurelianus apud Euſebium libro 7. capite 24. *Chriſtiani Italiæ, & Vrbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præſcriberent*. Epiſcopi itaque Romanæ Prouinciæ, ab Epiſcopis Prouinciæ Italiæ diuerſi erant, prout ſubſcriptiones Concilij Arelatenſis docent, in quibus leguntur ex Prouincia Italiæ ciuitate Mediolanen. &c. ac confirmat Synodica epiſtola Sardicenſis ad Alexand. apud D. Athan. Apol. 2. Ἡ ἁγία σύνοδος συναχθεῖσα ἀπὸ Ῥώμης... καὶ Ἰταλίας. *Sanᵭa Synodus quæ conuenit ex Roma... & Italia*, nimirum Prouincijs. Vt igitur Italiæ Prouincia ſeptem regiones, ita & Romana Prouincia decem regiones comprehendebat; & ideò Romana vocata fuit, quia Roma eius Metropolis erat, omniumque decem regionum Eccleſia Metropolitana in Vrbe conſtituta erat. Vnde faᵭum eſt, quòd nemo in Sicilia illarum regionum vltima Epiſcopos ordinarit; nemo eos ad Concilium Metropolitanum ſingulis ſex menſibus iuxta canones Nicænos, & Antiochenos euocarit, niſi Romanus Epiſcopus, ſcribente Leone Primo epiſtola 4. ad vniuerſos Epiſcopos per Prouinciam Siciliam conſtitutos, tres Siculos Epiſcopos ſemel ſaltem in anno ad Concilium Romanum accedere debere. *Quarè*, inquit,

*illud*

*illud primitùs pro cuſtodia concordiſſimæ vnitatis exigimus, vt quia ſaluberrimè à ſanctis Patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conuentus, terni ſemper ex vobis ad diem tertium Kalendarium Octobrium Romam fraterno Concilio ſociandi occurrant, & indiſſimulanter à vobis hæc conſuetudo obſeruetur*. Extant etiamnum Concilia Romana ſub Hilaro anno 465. ſub Symmacho anno 499. aliaque ſub Gregorio Magno celebrata, quibus ſupradictarum regionum Epiſcopi ſubſcripſerunt. Vnde facilè colligitur, hos omnes ad Romani Metropolitani Concilium ſpectaſſe, Romanumque Epiſcopum ipſorum Metropolitam fuiſſe.

12. Supereſt modò, vt expendamus, qua ratione factum ſit, quòd in Oriente, Illyrico, aliiſque orbis Romani Prouinciis Eccleſiæ Metropolitanæ inſtitutæ ſint ad formam Imperij; in Italia verò in ſingulis Metropolibus Ciuilibus non inſtitutæ fuerint ſingulæ Metropolitanæ Eccleſiæ, ſed in ſeptemdecim eius regionibus tantùm duo Metropolitani, Mediolanenſis nimirum, & Romanus extiterint. Non placet ieiuna illorum reſponſio, qui ab inſtitutorum arbitrio emanaſſe dictitant, vt Orientalium Eccleſiarum diſtributio ad Imperij normam diligentiùs accomodata ſit, quàm diſpoſitio Eccleſiarum Occidentalium. Non obtenderent, vt ego arbitror, huiuſmodi præiudicia, ſi accuratè conferrent cum Eccleſiaſtico regimine ciuilis normam adminiſtrationis. Obſeruarent namque, quòd ſicut duo erant Vicarij in Diœceſi Italiæ, ſic duo inſtituti ſint Metropolitani in eiuſdem Diœceſis Eccleſijs. Fuit Vicarius Vrbis, qui in decem regiones ius exercebat: reſpondet illi Epiſcopus Romanus tanquam Metropolitanus, quem ſolùm in eaſdem regiones Metropoliticum ius obtinuiſſe oſtendimus. Fuit & Vicarius Italiæ, qui ſeptem regionibus præpoſitus erat: reſpondet illi Epiſcopus Mediolanenſis, qui iiſdem regionibus, vt Metropolita præerat; ideòque non ſolùm tempore Sardicenſis Concilij, ſed etiam tempore Concilij Arelatenſis Primi ſeptem illæ regiones vnam dumtaxat Prouinciam Eccleſiaſticam conſtituebant; vt patet ex ſubſcriptionibus illorum Conciliorum, in quibus Epiſcopi illarum regionum non de Liguria, Aemilia, Flaminia, aut Alpibus Cottijs nominantur; ſed omnes ex Prouincia Italiæ fuiſſe dicuntur.

13. Ex his autem difficultates nonnullæ ſoluuntur, quæ alijs valde intricatę videbantur. Ac illud inprimis intelligitur, quod D. Athanaſius epiſt. ad ſolitariam vitam agentes ſcripſit de Mediolano, eam fuiſſe Italiæ Metropolim; quæ Athanaſij verba hæretici Catholicis obiecerunt. Vnde Emi-

nentiſſimus Cardinalis Baronius ad annum 355. *Ridendi autem ſunt potiùs, quàm confutandi, qui huius loci Athanaſij auctoritate Mediolanenſem Eccleſiam, quaſi totius Italiæ Metropolim Romanæ Eccleſiæ magna vecordia, ſeu temeritate potiùs prætulere.* Prouoco eos ad ea, quæ *idem paulò inferiùs addit, cum de Liberio Papa agens, hæc de Romana Eccleſia habet. Nulla reuerentia ducti, quòd Sedes illa Apoſtolica eſſet, vel quòd Roma Metropolis eſſet Romanæ ditionis.* Scitè quidem doctiſſimus ſcriptor occurrit leuitati hæreticorum, quam etiam inſcitiæ arguere nullo negotio poterat, ſi innuiſſet, latuiſſe prorſus eos, quid Italiæ nomine eo in loco per Athanaſium denotaretur. Agebat enim ibi ſanctus Doctor, non de vniuerſa Italia, ſed de ſeptem regionibus, quæ vnam Prouinciam Eccleſiaſticam conſtituebant Metropolitanæ Sedi Mediolanenſi attributam. Secundò intelligitur, cûr Diuus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus abſente Syricio Papa Capuenſi Synodo præſederit, & cur D. Ioannes Chryſoſtomus à Theophili Alexandrini, aliorumque Orientalium iudicio ad Synodum Occidentalem ſub Romano Pontifice legitimo celebrandam appellans, non modò ad Innocentium Primum hac de re ſcripſerit, ſed etiam ad Venerium Mediolanenſem, quia ſcilicet Mediolanenſis erat ſecundus poſt Romanũ Metropolitanus in Italia Epiſcopus, qui magnam Italiæ partem ſub ſua iuriſdictione teneret, inter cæteros Occidentales Epiſcopos maximè conſpicuus.

14. Tertiò conſtat, quid tandem dicendum ſit de Suburbicarijs regionibus, in quibus duntaxat ordinationum ius habuiſſe Romanum Epiſcopum, colligunt nonnulli ex libro Diurno Romanorum Pontificum nuper à Garnerio typis deſcripto, in quo capite 3. habetur hic titulus: *De Ordinatione Epiſcopi Suburbicarij à ſummo Pontifice.* Enimuerò quamuìs concederemus, Romanum Epiſcopum ius ordinationum ſpecialiter exercuiſſe in regionibus ſuburbicarijs, inde nihil aliud concludi poſſet, quàm ius Metropolitanum Romani Epiſcopi limitibus ſuburbicariarum Eccleſiarum fuiſſe circumſcriptũ: non autem ius, quod ipſi tanquam Patriarchæ totius Occidentis competit, cum iuris iſtius nomine extra ſuburbicarias Eccleſias Epiſcoporum ordinationes probauerit, & Metropolitanos ordinauerit, vt de Prouincia Italiæ certum eſt; de alijs ſequenti Diſſertatione monſtrabimus. Cæterum, vt ad Diurni teſtimonium redeamus, neſcio vnde Garnerius verbum ſuburbicarij deſumpſerit, cum nulla ſuburbicarij mentio fiat in Diurni formulis, & in manuſcripta collectione formularum, quam Lucas Holſtenius

quon-

quondam vidit, nihil ſimile reperiatur.

# CAPVT SEXTVM

## *De Prouincijs Africæ, & earum diſtributione, & cur per ſingulas inſtituti ſint Primates, qui Epiſcopo Carthaginenſi parebant.*

*1. In Africa primis temporibus tres Prouinciæ ciuiles numeratæ ſunt, quæ à Conſtantino Magno in ſex Prouincias diuiſæ ſunt.*

*2. Sex illæ Prouinciæ nominantur, & ex varijs antiquorum teſtimonijs adducuntur.*

*3. Prouinciæ Eccleſiaſticæ non totidem ab initio fuere in Africa, quot ciuiles extiterunt, putatque Vſſerius tantùm vnam fuiſſe vſque ad Cypriani ætatem.*

*4. Carolus à S. Paulo nullam aliam Prouinciam agnoſcit præter vnam vſque ad tempora Grati, qui ad quarti ſæculi medium Carthagine ſedit. Quæ ſententia refutatur ex eodem teſtimonio, ex quo auctor eam ſtabilire nititur.*

*5. Oſtenditur quoquè contra Vſſerium, quòd Cypriani temporibus tot Prouinciæ Eccleſiaſticæ in Africa fuerint, quot Ciuiles, nimirùm tres ſequentes, Proconſularis, Numidia, & Mauritania, quæ ſingulæ ſuos Primates habebant.*

*6. Idem comprobatur teſtimonijs Diui Cypriani, S. Optati, & B. Auguſtini de Secundo Tigiſitano Numidiæ Primate, qui Cirtenſi Concilio præſedit.*

*7. Licèt Cirta Numidiæ Metropolis fuerit in diſtributione Ciuili, non tamen hanc auctoritatem obtinuit in Eccleſiaſtica, quia dignitas Primatus ſequebatur antiquitatem ordinationis, & ſeniori Prouinciæ Epiſcopo deferebatur in Africa; eiuſque inſtitutionis cauſa, & ratio adducitur.*

*8. Poſt tempora Conſtantini Magni ſex Primates inſtituti ſunt in totidem Africæ Prouincijs, in vna quidem tardiùs, quàm in alia, vt patet ex Prouincia Sitifenſi, quæ nonniſi poſt Concilium Carthaginenſe 3. Primatem accepit.*

1. ANtequàm perquiramus, quænam Prouinciæ Eccleſiaſticæ in Africa fuerint, breuiter memoria repetenda ſunt, quæ de Prouincijs Ciuilibus Africæ alibi notauimus. Ac primò quidem de Africa habet Sextus Rufus in Breuiario, quòd *ter Africa rebellauit, ad extremum deleta per Africanum Scipionem Carthagine, Prouincia facta eſt.* Deinde ſcribit de Numidia, quòd victo Iugurta Numidiæ Rege à C. Mario Proconſule anno poſt Vrbem conditam 649. Pouinciæ formam accepit. *Atque ita*, inquit rectè Onuphrius Panuinius parte 2. Comment. de Republ. Romana, *in Africa duæ Prouinciæ factæ ſunt; Africa vbi erat Carthago, & Numidia.* His demum acceſſit Mauritania, de quarum incolis Aurelius Victor ſub Tiberio: *Mauri Prouincijs acceſſere.* Et Dio Nicæus lib. 60. *Claudius Mauros diuiſit in eos, qui ad Tingi, & qui ad Cæſaream, vnde & nomina habent, & duobus Equitibus præpoſitis eos permiſit.* Mauritaniam itaque diuiſit Claudius in Tingitanam, & Cæſareenſem, quas tamen paulò poſt Claudium vni Præſidi commiſit Galba, vt pa-

tet ex hoc Taciti loco lib. 2. hiſtoriarum: *Luceius Albinus à Nerone Mauritaniæ Cæſarienſi præpoſitus addita per Galbam Tingitanæ Prouinciæ adminiſtratione.* Obijt Galba die 16. Ianuarij eræ Chriſtianæ 69. cùm Africa nondum ad fidem conuerſa eſſet, quod primùm contigit circa tempora Hadriani Imperatoris, cui Onuphrius Panuinius adſcribit Notitiam Imperij, quæ Africam in ſex Prouincias diſtribuit. *Prouincia Africæ,* inquit, *cuius Metropolis eſt Carthago Proconſularis Prouincia, Numidia Conſularis, Prouincia Byzacium Conſularis, Prouincia Tripolitana Præſidialis, Prouincia Mauritania Sitifenſis Præſidialis, Prouincia Mauritania Cæſarienſis Præſidialis.* Hæc Onuphrius, qui Notitiam Hadriani ex Sexto Rufo deſumpſit, apud quem legitur quidem, Africam, quæ Romano Imperio paruit, in ſex ſupranominatas Prouincias fuiſſe diſtributam: hanc tamen diſtributionem Rufus ex Notitia Conſtantini Magni, poſt cuius tempora ſub Valentiniano floruit, deſumpſiſſe videtur; non tamen ex Notitia Hadriani. Tempore namque Hadriani Imperatoris Appianus Alexandrinus in procemio librorum de bellis ciuilibus tantùm trium Prouinciarum Africæ meminit: *Romanam hiſtoriam ſcribere inſtituens, neceſſarium mihi in primis exiſtimaui terminos ponere, quibus nationibus imperent Romani. Ab Herculis igitur columnis in id mare, quod ad illas demum circumque nauigatur, inſulæ, littora, populi omnes Romano parent Imperio. Horum primi in dextera Mauruſij. Quicumque circa mare, omniſque altera Libycorum natio vſque ad Carthaginem: bis ſuperiores Nomadæ, quos Romani Numidas appellant, & regionem Numidiam.* Ita Appianus, qui nominatim tres Africæ regiones, aut Prouincias recenſet, quarum prima Mauruſiorum, quæ Pomponio Melę Mauritania vocatur; ſecunda Libycorum, quæ vſque ad Carthaginem ſeſe extendebat, & Proconſularis nuncupata eſt; tertia Nomadarum, quæ Numidia apud omnes ſcriptores dicitur.

2. Africæ igitur in ſex Prouincias diſtributio poſterior eſt, & Conſtantinum Magnum auctorem habet: vnde frequens ab illis Imperatoris temporibus apud prophanæ, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores mentio eius reperitur, vt fidem in primis facit antiqua inſcriptio ſub eodem Conſtantino facta *L. Aradio Valerio Proculo, Proconſuli Africæ vice ſacra iudicandi, eidemque iudicio ſacro per Prouincias Proconſularem, & Numidiam, Byzacium, ac Tripolim, itemque Mauritaniam Sitifenſem, & Cæſarienſem perfuncto officio Præfecto Prætorio.* Accedit etiam Conſtantini Magni teſtimonium in-

cpi-

epiſtola ad Ablauium, vbi mandat, vt ex parte Cæciliani, & Donati ad Synodum Arelatenſem ſe conferrent Epiſcopi, non ſolùm prouinciæ Proconſularis, *ſed & Byzacenæ, Tripolitana, Numidiarum, & Mauritaniarum.* Concinit Sextus Rufus in Breuiario ad Valentinianum Imperatorem: *Per omnem Africam ſex prouinciæ factæ, ipſa vbi Carthago eſt, Proconſularis; Numidia, Byzacium, Tripolis, & duæ Mauritaniæ, hoc eſt Sitifenſis, & Cæſarienſis.* Ipſa demum Notitia Imperij vltra tempora Arcadij & Honorij Imperatorum conſcripta: *Sub Diœceſi Africæ Prouinciæ ſex: Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifenſis, Mauritania Cæſarienſis, Tripolis, Africa Proconſularis.* Et hæc quidem de Ciuili Prouinciarum diſtributione in Africa.

3. Cum itaque ex dictis pateat, ab Hadriani temporibus vſque ad Conſtantini ætatem tres Prouincias in Africa fuiſſe; inquirendum nunc eſt, an ab initio Eccleſia Africana totidem Prouincias Eccleſiaſticas habuerit, & quandonam inſtitutæ ſint? Pro qua re obſeruanda ſunt Tertulliani verba, qui libro aduerſus Iudæos, cap. 7. inter regiones, & Prouincias, quæ Chriſto ſubdebantur, numerat *regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem*, additque: *Vt iam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines*, ac ſi diceret regionem Africæ trans Cyrenem poſitam, quæ Proconſularis Africæ Prouincia eſt, dudum ad fidem conuerſam fuiſſe, & Euangelium ſua ætate iam multos Maurorum fines penetraſſe; nondum tamen in Mauritanijs vbique ſuſceptum fuiſſe. Quod benè obſeruandum: non enim in Africa factum eſt, quod in alijs prouincijs, vt fides ab ipſis Apoſtolis in ipſa prædicaretur, & iam inde ab Apoſtolorum temporibus diſtributio Prouinciarum Eccleſiaſticarum facta ſit; ſed poſt initium ſecundi ſæculi, quo circa annum 120. miſſi ſunt ab Vrbe Romana viri Apoſtolici, qui fidem Carthagine prædicarunt, ex qua Metropoli Euangelium paulatim ad cæteras Africæ ciuitates peruenit. Aetate igitur Tertulliani ad pleraſque Mauritaniæ ciuitates peruenerant prædicatores Euangelici, nondum tamen integram Mauritaniam peragrarant. Vndè veriſimile fit, Tertulliano viuente Mauritaniam nondum in formam Prouinciæ Eccleſiaſticæ fuiſſe redactam, ſed Mauritaniæ Eccleſias Sedi Carthaginienſi tanquam Metropolitanæ paruiſſe. Quod etiam de Numidia vſque ad Cypriani Epiſcopatum obtinuiſſe, putat Vſſerius Armachanus in illo Opuſculo, quod de Epiſcoporum, & Metropolitanorum origine nuper in Anglia editum eſt: *In Africa*, inquit, *eodem tempore tametſi ciuiles prouinciæ plures eſſent, tamen vna*

erat

*erat ſolummodò Eccleſiaſticæ, cuius Cyprianus ipſe Archiepiſcopus erat, vt eum Synodi Trullanæ Patres appellant:* Placuit, *ait ille in quadam epiſtola*, vniuerſis Epiſcopis, vel in noſtra Prouincia, vel trans mare conſtitutis, quòd omnes ſcilicet Eccleſiæ in Africa Ciſmarinæ ad vnam prouinciam pertinerent. Quoniam, *inquit alibi*, latiùs fuſa eſt noſtra Prouincia, habet etiam Numidiam, & Mauritanias duas ſibi cohærentes. *Vndè magnum illud Concilium ab eo conuocatum ad quæſtionem illam de baptizandis eis, qui ab Hæreticis baptizati erant, diiudicandam, ex prouincia Africa, Numidia, & Mauritania conueniſſe dicitur. Quamquam enim in ciuili gubernatione Africa proconſularis (in qua Carthago erat) Numidia, & duæ Mauritaniæ (Sitifenſis, & Cæſareenſis) tres diſtinctæ Prouinciæ haberentur: in Eccleſiaſtica tamen adminiſtratione omnes in vnam Prouinciam coniunctæ erant, & ſub Carthaginis primariæ Sedis Metropolitica iuriſdictione diſpoſitæ.*

4. Clarè affirmat Vſſerius, vſque ad Cypriani ætatem in Africa non fuiſſe tot prouincias Eccleſiaſticas, quot Ciuiles; vnicamque dumtaxat vſque ad Gratum Carthaginenſem, qui ad quarti ſæculi medium vixit, agnoſcit Carolus à S. Paulo Fulienſis Abbas in Geographia ſacra, qui ſententiam ſuam confirmabat teſtimonio Concilij Carthaginenſis Primi ſub ipſo Grato celebrati, *quo Epiſcopi ex diuerſis Prouincijs Africanis*, & poſteà in vniuerſæ prouinciæ Africæ Concilium congregati dicebantur. *Per prouincias enim*, inquiebat, *intelliguntur Ciuiles, per vniuerſæ Prouinciæ Africæ vnica Africanæ Eccleſiæ Prouincia.* Verùm in Tractatu de Eccleſia Africana facilè hoc Abbatis Fulienſis fundamentum euertimus, & germana Concilij lectione diſſoluimus. Loco namque *Concilium* legitur in M. S. Codice Pithœi, *Concilij gratia*, & Acta Concilij Carthaginenſis à Luca Holſtenio ad vetuſtum exemplar Vaticanum correcta legunt in præfatione: *Ex Dei ergò nutu congregati ad vnitatem, vt per vniuerſas prouincias Africæ Concilia celebrarentur, & vniuerſæ Prouinciæ Africæ hodierno die Concilij gratia ad Carthaginem venirent.* Quibus verbis nullatenus ſignificatur, in pluribus Prouincijs ciuilibus vnam dumtaxat Eccleſiaſticam fuiſſe, ſed potiùs innuitur, tot Eccleſiaſticas, quot ciuiles in Africa extitiſſe. Quid enim aliud ſignificant, *Concilia per vniuerſas prouincias Africæ celebrata*, quàm Epiſcopos in ſingulis Prouincijs habuiſſe Primates, quibuſcum Concilia Prouincialia celebrabant? Epiſcopi itaque Africani in ſingulis Prouincijs ciuilibus conſtituti prouinciam Eccleſiaſticam formabant, in qua Concilia Prouincialia

lia cum Primatibus ſuis celebrabant, vt facilè colligitur ex prædicto Carthaginenſis Concilij loco, quo prouinciæ ciuiles, & Eccleſiaſticæ promiſcuè ſumuntur, nullaque inter eas diſtinctione facta ex omnibus prouincijs Nationale Concilium Carthagine celebratum fuiſſe dicitur.

5. Plura ſunt antiquorum teſtimonia, quibus comprobari poteſt, à Grati temporibus non Carthaginenſem modò in Proconſulari Prouincia, ſed in reliquis quinque Prouincijs alios Primates fuiſſe inſtitutos. Quæ antequàm proferamus, inquirendum eſt, quandonam plures in Africa Primates eſſe cœperint: ſi enim Vſſerio fidem adhibeamus, vſque ad tempora Diui Cypriani tantùm vnus in tota Africa Metropolitanus Epiſcopus fuit, Primatumque inſtitutio ætatem ipſius ſubſecuta eſt, ſcribente ipſo Cypriano epiſtola 45. ad Cornelium Papam: *Quoniam latiùs fuſa eſt noſtra Prouincia, habet etiam Numidiam, & Mauritanias duas ſibi cohærentes*. Verùm locus Cypriani, quem Vſſerius pro vna prouincia Eccleſiaſtica adducit, non incommodè de tribus Eccleſiaſticis Prouincijs interpretari poteſt: præter Prouinciam enim proconſularem, quam ſuam vocat Cyprianus, dicit alias duas in Africa fuiſſe, Numidiam, & Mauritaniam, quæ Prouinciæ proconſulari cohærebant quidem, *non tamen vnam cum illa Eccleſiaſticam prouinciam conſtituebant*. Vnde vniuerſale totius Africanæ Diœceſeos Concilium anno 258. ſub Diuo Cypriano habitum dicitur conueniſſe Kalendis Septembris, *ex Prouincia Africa, Numidia, & Mauritania*. Quibus verbis tres prouinciæ deſignantur, Proconſularis nimirum, quæ Africana vocatur, *Prouincia Numidiæ, & Prouincia Mauritaniæ*. Quòd autem hoc modò interpretanda ſint prædicti Concilij verba, ex Actis ipſis comprobari poteſt, ita enim habent: *Cum in vnum Carthagini conueniſſent Kalendis Septembris Epiſcopi plurimi ex Prouincia Africa, Numidia, Mauritania, cum presbyteris, & diaconibus, & lectæ eſſent litteræ Iubaiani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Iubaianum*. Ioannes Zonaras loco *Iubaiani* legit *Iouiniani*, qui fuit Epiſcopus Prouinciæ Numidiæ, & adfert reſcriptum Cypriani πρὸς τὸν Ἰοβιανὸν καὶ τοὺς συνεπισκόπους *ad Iouinianum, eiuſque Coëpiſcopos*. Vnde Pamelius rectè collegit, hunc Iouinianum, quem ipſe Ianuarium vocat, fuiſſe Numidiæ Primatem. Ad quid enim eius Coëpiſcopi à cæteris Africæ Epiſcopis diſtinguerentur, niſi Iouinianus vel Ianuarius cum Epiſcopis Numidiæ corpus aliquod à cæteris Epiſcoporum Collegijs diſtinctum confeciſſent? Et ad quid Iouinianus litteras nomine ſuo ad Cyprianum ſcripſiſſet, & à Cypria-

priano reſponſum accepiſſet, niſi ipſe inter Coëpiſcopos Numidas Primas fuiſſet?

6. Fuit itaque à Cypriani temporibus Prouincia Numidia, ſicut in diſtributione Imperij, ita & in diſtributione Eccleſiæ à Proconſulari diuerſa, ſcribente Cypriano epiſtola 73. ad Iubaianum, quòd in vnum conuenerint *tam Prouinciæ Africæ, quàm Numidiæ Epiſcopi numero ſeptuaginta & vnus*. Vbi S. Cyprianus Epiſcopos Prouinciæ Numidiæ ab Epiſcopis Prouinciæ Africæ clariſſimè diſtinguit; cumque Iubaianus, vt vidimus, Numidiæ Primas Concilio non interfuiſſet, de ijs, quæ in Concilio Carthaginenſi ſtatuta erant, ipſum certiorem reddit. Huic porrò Numidiæ Primati alios etiam ante Conſtantini Magni Imperium ſucceſſiſſe, ex Secundo Tigiſitano patet, qui in perſecutione Diocletiana Numidiæ primatum tenuit, & tanquam Primas Concilio Cirtenſi in Numidia celebrato præſedit. Apertè id ſignificat S. Optatus, qui ſexaginta annis poſt Concilium in Numidia ſcripſit, & libro 1. contra Parmenianum affirmat ipſo interrogante cæteros Epiſcopos reſpondiſſe, ac iubente ſediſſe. Apertiùs autem Primatum Secundo Tigiſitano vindicat Diuus Auguſtinus lib. 1. contra Parmenianum, vbi traditores Epiſcopos ad Concilium Cirtenſe cum Primate Numidiæ veniſſe affirmat: *Venientes*, inquit, *cum Primate ſuo tunc Secundo Tigiſitano*. Et ne quiſquam de huius rei veritate ambigat, refert Auguſtinus libro 3. contra Creſconium cap. 27. Cirtenſis Synodi Acta, quæ ita incipiunt: *Diocletiano octies, & Maximo ſepties Conſulibus, quarto nonas Martij Cirthæ, cum Secundus Tigiſitanus primæ Cathedræ conſediſſet in domo Vrbani, Donatique, idem dixit: Probemus nos primò, & ſic poterimus hîc ordinare Epiſcopum*. Vbi diſertis verbis Secundus primæ Cathedræ Epiſcopus nominatur, & Cirthenſis Epiſcopi ordinatio ad ipſum ſpectare dicitur; quod certum eſt Prouinciæ Numidiæ à Proconſulari diſtinctæ indicium; vnde & hoc Concilium à Sancto Optato libro 7. *Concilium Numidiæ* vocatur.

7. Hæc cum clara ſint, & perſpicua, vnum dumtaxat inquirendum reſtat, quid in cauſa ſit, quòd Secundus Tigiſitanus, cum Numidiæ Primas fuerit, Cirthæ Concilium pro ordinatione Cirthenſis Epiſcopi celebrarit, cum potiùs Cirtha Metropolis Numidiæ extiterit, vt patet ex canone 86. Codicis Africani, adeòque eius Epiſcopus Numidiæ Metropolitanus eſſe debuerit. Hunc nodum vt diſſoluamus, memoria repetenda ſunt, quæ alibi ſcripſimus, quòd in Africa non Metropolitani in Metropolibus ciuilibus, ſed ſeniores Epiſcopi Primates conſtituti fuerint, illique ſe-

ſedem ſuam habuerit in quacumque Prouinciæ ciuitate reperiebantur. Secundus ergo Tigiſitanus Epiſcopus, quia ratione temporis, quo ordinatus erat, ſenior inter Epiſcopos Numidas euaſerat, Primatum illius Prouinciæ obtinuerat, & ad ipſum tamquam Primatem ordinatio Cirthenſis Epiſcopi ſpectabat. Quanam verò ratione factum ſit, quòd non in Metropoli ciuili, vt in cæteris Romani Imperij regionibus conſueuit, Africa Primates ſuos habuerit; aliam adferre non poſſum, quàm quòd Carthaginenſis Epiſcopus, antequàm Prouinciæ Eccleſiaſticæ inſtitutæ fuerunt, vices ſuas ſenioribus Epiſcopis tribuerit, metropolitana authoritate ſibi ſeruata in Proconſulari Prouincia, quia ipſa tanquam fœcunda mater cæteras Africæ Eccleſias Chriſto pepererat. Vt enim ſuprà vidimus, Carthago fidem, quam à Sede Apoſtolica accepit, primùm ad Proconſularem Prouinciam, poſteà ad Numidiam, demùm ad Mauritaniam tranſmiſit, manente vſque ad Tertulliani tempora Metropolis dignitate penes Carthaginenſem Eccleſiam, quæ ita alios Primates inſtitui curauit, vt à Carthaginenſi quodammodò penderent. Et ne temporis ſucceſſu primatialem totius Africæ dignitatem quæcumque Metropolitana Eccleſia contra Carthaginenſem erigeret, placuit Metropolitanam auctoritatem non certę alicui ſedi in Prouincijs annexam eſſe, ſed pro ætate ſeniorum Epiſcoporum nunc ad hanc, nunc ad illam tranſmigrare.

8. Fuerunt itaque in Africa, vt in cæteris Orbis Catholici Prouincijs Epiſcopi, qui primum inter fratres locum obtinebant, idque ante Cypriani tempora etiam in Numidia, & Mauritania obtinuit, ſenioribus Epiſcopis quacumque in ciuitate conſtitutis, Prouinciarum illarum curam agentibus. Cum autem à Conſtantino Magno Africa in ſex Prouincias diuiſa fuerit, à Proconſulari nimirum auulſa Byzacena, & à Numidia diſtracta Mauritania Sitifenſi, quibus quatuor Prouincijs ſi addas & Mauritaniam Cęſareenſem, & Prouinciam Tripolitanam, habebis ſex Prouincias, quas Sextus Rufus in Africa fuiſſe commemorat: *Per omnem Africam*, inquiens, *ſex Prouinciæ factæ; ipſa, vbi Carthago eſt, proconſularis; Numidiæ; Byzacium, Tripolis, & duę Mauritaniæ, hoc eſt Sitifenſis, & Cæſareenſis*. Quas ſex Prouincias Eccleſia quoquè agnouit, prępoſitis ſingulis earum Primatibus iuxta canonem Nicæni Concilij, quem Cæcilianus Carthaginenſis Epiſcopus ſecum in Africam detulerat, cautum enim erat canone 4. Nicæno, *vt firmitas eorum, quæ geruntur per vnamquamque Prouinciam, Metropolitano tribuatur Epiſcopo*. Iuxta quem canonem ſex Prouinciæ à Con-

ſtantino in Africa inſtitutæ Primates ſuos acceperunt, non quidem vno, eodemque tempore, ſed vel citiùs, vel tardiùs, prout ferebat Prouinciarum ſtatus, qui in quibuſdam locis nimiùm diù Donatiſtarum ſchiſmate, & Circumcellionum furore turbatus fuit. Vnde Mauritania Sitifenſis tantummodò poſt Concilium Carthaginenſe tertium Primatum obtinuit, ſtatuente canone 17. Codicis Africani: *Placuit, vt Mauritania Sitifenſis, vt poſtulauit Primatem Prouinciæ Numidiæ, ex cuius cœtu ſeparabatur, vt ſuum habeat Primatem, quem conſentientibus omnibus Primatibus Prouinciarum Africanarum, vel omnibus Epiſcopis propter longinquitatem habere permiſſa eſt*. Quòd verò hic canon vſu receptus fuerit, patet ex Concilio Mileuitano primo, cui anno 402. cum cæteris interfuit *Nicetius Epiſcopus primæ ſedis Mauritaniæ Sitifenſis*. Et ex ſecundo Mil. can. 27. *Itē placuit, vt diutiùs vniuerſi Epiſcopi, qui ad Concilium congregati ſunt, teneretur, ab vniuerſo Concilio ternos iudices de ſingulis prouincijs eligi. Et electi ſunt de Prouincia Carthaginenſi Vincentius, Fortunatianus, & Clarus: de Prouincia Numidiæ Alypius, Auguſtinus, & Reſtitutus: de Prouincia Byzacena, cum ſancto ſene Donatiano Primate Creſconius, Iocundus, & Aemilianus: de Mauritania Sitifenſi, Seuerianus, Aſiaticus, & Donatus: de Prouincia Tripolitana, Plautius, qui ex more legatus vnus eſt miſſus*. Ex quo canone videre licet, non modò Mauritaniam Sitifenſem, ſed cæteras quoquè Africæ Prouincias ſuos Primates habuiſſe, omneſque, vna Mauritania Cæſareenſi excepta, quæ etiam à Concilio Carthaginenſi ſeptimo agnoſcitur, ibidem nominari.

# CAPVT SEPTIMVM.

## *De inſtitutis in Hiſpania Diœceſi Eccleſijs, & Metropolitanis Epiſcopis.*

1. *Euangelium ab Apoſtolo Paulo in Hiſpanias prædicatum fuiſſe, ex ipſo Paulo, D. Hieronymo, Theodoreto, Gregorio Magno, & Iſidoro Hiſpalenſi probatur.*

2. *Epiſcopos à D. Petro in Hiſpaniam miſſos fuiſſe, vndenam habeatur, & quinam primi Epiſcopi cenſeantur?*

3. *Diœceſis Hiſpaniæ antiquior diuiſio in tres Prouincias, recentior in ſex; Tarraconenſi ex vna in tres diſtracta, quibus adiuncta fuit Transfretana, & tempore Honorij acceſſit quoquè Prouincia Inſularum Balearium.*

4. *Eccleſiam Hiſpaniæ in ſex Prouincias, Tarraconenſem, Bæticam, Luſitaniam, Carthaginenſem, Galleciam, & Narbonenſem ſub totidem Metropolitanis à Conſtantino Magno diuiſam fuiſſe, indicat Garſias Loaiſa, qui id ex duabus manuſcriptis Notitijs Toletana, & Ouetenſi deſumpſit.*

5. In

*5. In Notitijs illis quadam ſunt; quæ nec ciuili, nec Eccleſiaſticæ Hiſpanicarum Prouinciarum diſtributioni conueniunt, oſtenditurque in ſolido Hiſpaniarum tractu à tempore Hadriani quinque Prouincias fuiſſe, in quibus ſub Conſtantino Magno totidem Metropolitani inſtituti ſunt.*

*6. Tempore Sueuorum Regum quinque Metropolitanis acceſſit ſextus Lucenſis, & loco Eccleſiæ Carthaginenſis inſtituta eſt Toletana, quæ aliquandiù Carpetanæ Prouinciæ Metropolis fuerat.*

*7. De Prouincijs Hiſpaniæ contributis, ſed extra eius tractum ſitis; nimirum Tingitana in Africa, Inſularum Balearium in mari mediterraneo, & Narbonenſi in Gallia, pauca referuntur: & quando, ac quanto tempore Prouincia Narbonenſis Hiſpaniæ contributa fuerit, ex ſubſcriptionibus Conciliorum indicatur.*

1. Hiſpaniarum Eccleſijs videremur iniurij, ſi Catholicæ doctrinæ, quam adeò religiosè cuſtodiunt, hauſtos illis à Paulo Apoſtolo fontes inficiaremur. Doctorem enim Gentium Euangelium in Hiſpanijs prædicaſſe, ex varijs antiquorum teſtimonijs probatur, quibus ipſe Paulus facem præferre videtur, dum epiſtola ad Romanos capite 15. ſcripſit: *Per vos proficiſcar in Hiſpaniam.* Diuus Hieronymus in cap. 5. Amos Prophetæ, Paulum vbique prædicaſſe Euangelium, & vſque ad Hiſpanias perueniſſe ſignificat: *Vt*, inquit, *vſque ad Hiſpanias tenderet, & à mari rubro, imò ab Oceano vſque ad Oceanum curreret, imitans Dominum ſuum ſolem iuſtitiæ, de quo legimus: A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, vt ante eum terra deficeret, quàm ſtudium prædicandi.* Paulus itaque, ſecundùm quod promiſerat, in Hiſpaniam profectus eſt, quod Theodoretus in caput primum epiſtolæ ad Philippenſes tradit his verbis: *Duobus primùm annis Romæ egit per ſe habitans in ſuo conducto. Cum autem illinc profectus eſſet in Hiſpaniam, & illis etiam diuinum Euangelium tradidiſſet, reuerſus eſt, & tunc fuit truncatus capite.* Et poſt Theodoretum Gregorius Magnus libro 31. Moralium, cap. 22. vbi affirmat: *Paulus, cum nunc Iudæam, nunc Corinthum, nunc Epheſum, nunc Romam; nunc Hiſpanias peteret, vt in peccati morte iacentibus æternæ vitæ gratiam nunciaret, quid ſe aliud, quàm eſſe aquilam demonſtrabat?* Et cum Gregorio Magno S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus libro de ortu, & obortu Sanctorum Patrum: *Incipiens enim*, inquit de Paulo, *ab Hieroſolymis vſque ad Illyricum, & Italiam, Hiſpaniamque proceſſit.*

2. Ex his Patrum teſtimonijs abundè, ni fallor, conſtat, Paulum Doctorem Gentium ad Hiſpanias perueniſſe, & Euangelium in illa regione prædicaſſe. Quo poſito quæritur, an ab ipſis Apoſtolorum temporibus Epiſcopi in Hiſpanijs conſtituti fuerint? Affirmant, qui Eugenium primum Toletanum Epiſcopum à Petro Apoſtolorum Principe ad Hiſpanias miſſum fuiſſe volunt, & inter illa, quæ in Notitia Concilio-

Nn 2

liorum Hiſpanię promittit Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre, primum ferè locum obtinet *Vita ſeptem primorum Epiſcoporum, qui ab Apoſtolis Petro, & Paulo ſunt miſſi in Hiſpaniam circa annum Chriſti 65. nunc eruta ex inſigni M. S. magnæ Eccleſiæ Toletanæ.* Quinam hi Epiſcopi ſint, colligi poteſt ex Lucij Marinei Siculi Hiſtoria de rebus Hiſpaniæ: libro enim quinto agens de Iacobi Apoſtoli prædicatione in Gallœcia ſcribit: *In Hiſpania Diuus Iacobus è Gallœcia Prouincia nouem diſcipulos elegit, quorum ſeptem, duobus alijs in Gallœcia prædicandi cauſa remanentibus, cum eo Hieroſolymas perrexerunt, qui corpus eius poſt paſſionem per mare in Gallœciam deportarunt. Ex quibus, vt Calixtus Romanus Pontifex, & beatus Hieronymus ſcripſerunt, nonnulli cum beati Iacobi corpus in Gallœcia ſepeliſſent, & Romam ſe contulerunt, & ab Apoſtolis Petro, & Paulo coronis Epiſcopalibus ornati, ad prædicandum Dei verbum in Hiſpaniam adhuc errore gentilitatis implicatam miſſi fuere, qui ſua prædicatione innumerabilem Hiſpanorum multitudinem ad Chriſti cultum conuerterunt: Torquatus apud Gaditanos, quos tunc Accios vocabant: Teſiphon ad Alderenſes, quos tunc Vergos, & nunc eorum patriam Almeriam dicunt: Secundus ad Abulenſes, quorum ciuitas adhuc antiquum nomen retinet: Indaletius ad Vrſios, quorum ciuitas Vnga, vel Verga vocabatur: Cæcilius ad Iliberos, ideſt Granatenſes: Heſichius ad Carthęſos, ideſt Ventoſanos: Eufraſius ad Illiturgitanos. Qui omnes Idibus Maij in pace quieuerunt.* Hæc de primis Epiſcopis Hiſpaniæ Lucius Marineus, quos cum ſeptem enumeret, illos eoſdem eſſe ſuſpicor, de quibus ex inſigni manuſcripto Codice Eccleſiæ Toletanæ hiſtoriam promiſit Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre, cuius ab eruditione ſpectatiſſima præſtat operiri diligentem iſtarum rerum indaginem. Nos quidem, qui in ſacræ vetuſtatis receſſu, impetu quodam animi trahimur, imponenda hìc duximus cupiditati fręna, obiter tamen aſſerimus, veriſimillimum id à me iudicari, quod à pluribus narratur, miſſos nempè in Hiſpanias à Petro Apoſtolorum Principe aliquot Epiſcopos; cum Innocentius Primus epiſtola ad Decentium Eugubinum teſtetur, omnes Occidentis Epiſcopos à Petro, vel Petri ſucceſſoribus primùm fuiſſe inſtitutos; nullumque dubium eſſe poſſit, quin poſt prædicatum à Paulo in Hiſpanijs Euangelium multi fideles in regione illa remanſerint, qui Paſtoribus, & Epiſcopis indigebant.

3. Cum itaque ab Apoſtolorum temporibus Epiſcopi in Hiſpania fuerint, vlteriùs inquirendum eſt, quænam primo Eccle-

ſiæ ſæculo Prouinciarum diſtributio ibidem obtinuerit; & quot tunc, vel poſteà Metropolitani ſupra Epiſcopos conſtituti ſint? Notat Ioannes Gerundenſis Epiſcopus Paralipomenon Hiſpaniæ libro 1. Hiſpaniam omnem fuiſſe primum in tres diſtinctam Prouincias, Tarraconenſem, Bæticam, & Luſitaniam, idque clariſſimè teſtatur Iulius Solinus in Polyhiſtore cap. 26. vbi ſcribit: *Hiſpania diuidua eſt prouincijs tribus.* Quod idem patet ex Pomponio Mela, cæteriſque antiquioribus Geographis, addente Brietio in parallelis Geographiæ veteris & nouæ, ab Hadriano diuiſam fuiſſe in ſex partes, ſiquidem Tarraconenſis, vtpote amplior diſtracta fuit in Tarraconenſem, Gallœciam, & Carthaginenſem, quibus adiuncta fuit Transfretana, dicta etiam Tingitana. Hoc idem Onuphrius Panuinius habet in Notitia Hadriani Imperatoris, quam ex Sexto Rufo deſumpſit, qui in Epitome, ſeu Breuiario ſcribit*: *Per omnes Hiſpanias ſex nunc ſunt Prouinciæ; Tarraconenſis, Carthaginenſis, Luſitania, Gallicia, Bætica: trans fretum etiam in ſolo terræ Africanæ Prouincia Hiſpaniarum eſt, quæ Tingitana Mauritania cognominatur.* Hactenus Sextus Rufus de Prouincijs Hiſpaniæ, cuius tamen verba notanda ſunt: *Sex nunc ſunt Prouinciæ.* His enim ſignificat, paulò ante ſua tempora ſex prouincias fuiſſe inſtitutas in Hiſpanijs. Vnde conijcio id factum tempore non quidem Hadriani, ſed Conſtantini Magni, qui tres Prouincias in quinque diuiſit, addita Tingitana, quibus Notitia Imperij Arcadij & Honorij temporibus conſcripta adiungit ſeptimam Prouinciam Balearium Inſularum. Refert enim ſub Diœceſi Hiſpaniæ prædictorum Imperatorum temporibus fuiſſe Prouincias ſeptem, Bęticam, Luſitaniam, Gallœciam, Tarraconenſem, Carthaginenſem, Tingitanam, Balearem. Atque hæc quidem de Hiſpaniæ Prouincijs habentur in antiquis Notitijs. Nunc videndum eſt, an Eccleſiarum diuiſio eadem fuerit, & quænam Metropoles à primis Eccleſiæ temporibus vſque ad ſeptimum ſæculum in Hiſpania obtinuerint?

*Sex. Ruf ex edit. Goltzij & Vvechelianâ Sylburgij.

4. De Eccleſijs autem Hiſpaniæ eſt Garſiæ Loaiſæ ſententia in Notis ad Decretum Regis Gundemari æra 648. quòd ſub Romanorum Imperio à Nerone ,, vſque ad Conſtantinum Magnum Eccleſiæ amplificatio, ,, perſecutione feruente, nequiſſimi temporis calamitate oppreſſa radices potiùs egerit, quàm trunco, ramis, & folijs in altum dilatata in hominum conſpectu creuerit ,,. *At*, inquit, *poſt diuinæ memoriæ Magni Conſtantini baptiſmum, poſtquàm veritatis lux menti eius infulſit, & propulſatis tenebris lumen clariſſimum doctrinæ, &* ce-

*cæleſtis conſilij mundo vniuerſo refragante gentibus luxit, officia Primatus, quæ parum anteà ſplendoris dederant vſque ad Gothicæ gentis in Hiſpaniam aduentum magnum nitoris, ac dignitatis ornamentum Chriſtianis hominibus attulerunt.* Quæ Loaiſa hoc loco refert de Metropolitanis, ſeu Primatibus tempore Conſtantini Magni ad magnum nitoris, ac dignitatis ornamentum promotis, deſumpta videntur ex duabus Hiſpanicarum Prouinciarum Notitijs, in quibus aſſeritur, à Conſtantino ſex Metropolitas in totidem Hiſpaniæ Prouincijs fuiſſe conſtitutos. Refert has Notitias ipſe Loaiſa in notis ad Concilium apud Lucum celebratum, inter quas prima deſumpta eſt ex Proceſſu quorundam actuum Eccleſiæ Valentinæ, cuius verba ex m. ſ. Codice Bibliothecæ Toletanæ ſunt ſequentia: *Cæſar Conſtantinus Imperij ſui quarto anno, cum eſſet in Hiſpania, conuocatis eius Epiſcopis, totam Prouinciam in ſex Archiepiſcopatus partitus eſt, decreuitque omnes peculiaribus diœceſibus, & finibus contineri. Prima ſedes eſt Narbo, ſecunda Tarraco, tertia Bracara, quarta eſt Spalis, quinta Emerita, ſexta Toletum.* Altera Notitia, quæ deſumpta eſt ex ſimili m. ſ. codice eiuſdem Eccleſiæ, aut Eccleſiæ Ouetenſis, ſic habet: *Diuiſio Prouinciarum ſecundum Imperatorem hoc modo: Cæſar Conſtantinus anno quarto Imperij ſui ſex Archiepiſcopos, vt diuiderent Hiſpaniam in ſex partes, ſeu prouincias iuſſit, ita quòd vnuſquiſque haberet terminos ſuos, quos nullo modo quis excedere attentaret.*

*Narbonæ ſubſint Piteus, Toloſa, Cazlora, Albi, Magalona, Nemis, Carcaſona.*

*Bracaræ ſubſint Dumia, Portucal, Tude, Auria, Iria, Luco, Britona, Aſtorica.*

*Tarraconæ Barcinona, Egara, Gerunda, Empuriæ, Auſona, Irita, Ictoſa, Tortoſa, Cæſarauguſta, Oſca, Pampilona, Calaſorra, Tyraſona, Auca.*

*Toleto ſubſint Secobia, Arcabrica, Segoncia, Valentia, Vrgi, Bagaſtri, Diania, Segorue, Complutum, Oxoma, Valeria, Oretum, Satiua, Beacia, Illici, Menteſa, Acci, Baſta, Palencia.*

*Meridæ ſubſint Pace, Oxonoba, Oliſipona, Egitania, Caliabria, Lamego, Viſeo, Salmantica, Coria, Elbora, Abela, Numantia.*

*Spali ſubſint Italica, Aſidona, Elepa, Malaga, Elberris, Aſtigi, Corduba, Egabro, Tucci.*

5. Ex his itaque Notitijs, in quibus dicitur diuiſio ſex Prouinciarum facta à Conſtantino, deſumpſit, ni fallor, Garſias Loaiſa, quod de Primatuum officijs Conſtantini tempore inſtitutis tradidit. Verùm nonnulla ſunt in his Notitiarum verbis, quæ ad tru-

trutinam reuocari merentur. Vt enim ab ijs incipiam, quæ de Conſtantino Magno traduntur, dicitur is quarto Imperij anno Hiſpaniæ Prouincias diſtribuiſſe, & Epiſcoporum ope ſex Archiepiſcopos inſtituiſſe, cum tamen certum ſit ex hiſtorijs, eum quarto Imperij anno nondum Chriſto nomen dediſſe. Dicitur quoquè Narbonenſem inter ſex Archiepiſcopatus reputaſſe, cum tamen conſtet, Prouinciam Narbonenſem Conſtantini temporibus ad Galliam ſpectaſſe, & vſque ad Gothorũ Regnum Narbonenſem Metropolitam inter Galliarum Metropolitanos recenſitum fuiſſe, ac Arelatenſi Primati paruiſſe, vt patet ex Zoſimi, & Leonis Magni epiſtolis. Deinde ex Notitia Imperij habetur, quòd Prouincia Tingitana, quæ hìc omittitur, vſque ad Arcadij, & Honorij tempora, ideſt ſeptuaginta annis poſt Conſtantini obitum ad Hiſpaniam pertinuerit. Ex quibus patet, aliquid in his Notitijs reperiri, quod non modò Eccleſiaſticæ, ſed ne ciuili quidem Prouinciarum Hiſpaniæ diſtributioni conuenit. Sunt igitur, qui putant, primis Eccleſiæ temporibus, Hiſpaniam habuiſſe pauciores Metropolitanos Epiſcopos, & ſicut ſub Hadriano Imperatore Hiſpania præter Tingitanam in quinque Prouincias ciuiles diſtributa erat, ita ſub Conſtantino Magno poſt Concilium Nicænum Hiſpaniarum Eccleſias quinque Metropolitanis eſſe commiſſas, indeq; in Bętica Prouincia Hiſpalenſem, in Gallœcia Bracarenſem, in Luſitania Emeritenſem, in Tarraconenſi Tarraconenſem, in Carthaginenſi Carthaginenſem, pro Metropolitanis habitos fuiſſe. Extat de his Prouincijs Eccleſiaſticis perantiquum monimentum poſt acta Concilij Toletani Primi, quod Garſias Loaiſa his verbis exhibet: *Incipit regula fidei Catholicæ contra omnes hæreſes, & quammaximè contra Priſcillianos, quam Epiſcopi Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitani, & Bætici fecerunt, & cum præcepto Papæ Vrbis Romæ Leonis ad Balconium Epiſcopum Galliciæ tranſmiſerunt.* Quamuis enim hoc monimentum non ſit Concilij Toletani Primi, vt rectè annotauit Eminentiſſimus Cardinalis d'Aguirre, ſed Synodi generalis Hiſpaniæ anno 447. tempore Leonis Primi celebratæ; tamen perantiquum eſt, & quinque Prouinciarum Eccleſiaſticarum, quæ intra Hiſpaniæ limites erant, clariſſimè meminit, ſingularumque Epiſcopos ſub Metropolitanis ſuis conſtitutos fuiſſe indicat. Quin etiam Balconium non alia ratione Galliciæ Epiſcopum vocat, quàm quia Bracarenſis, ideſt totius Galliciæ Metropolitanus erat.

6. His quinque Metropolitanis alij poſtmodùm acceſſ re. Prouincia enim Gallœcia in duas diuiſa eſt temporibus Sueuorum.

Qua

Qua de re egregius locus extat in actis Concilij Lucenſis, quæ ita habent: *Tempore Sueuorum ſub era ſexcenteſima ſeptima die Kalendarum Ianuarij Theodomirus Princeps idem Sueuorum Concilium in Ciuitate Luco fieri præcepit.* Et poſteà ex epiſtola eiuſdem Principis ad Synodi Epiſcopos: *Cupio ſanctiſſimi Patres, vt prouida vtilitate decernatis in Prouincia regni noſtri, quia in tota Gallœciæ regione ſpatioſæ ſatis Diœceſes à paucis Epiſcopis tenentur, ita vt aliquantæ Eccleſiæ præter ſingulos annos vix poſſint à ſuis Epiſcopis viſitari: inſuper tantæ Prouinciæ vnus tantummodò Metropolitanus Epiſcopus eſt, & de extremis quibuſque Parochijs longum eſt ſingulis annis ad Concilium conuenire. Dum hanc epiſtolam Epiſcopi legerunt, elegerunt in Synodo, vt ſedes Lucenſis eſſet Metropolitana, ſicut & Bracara.* Aperta ſunt huius Concilij verba, neque vlla interpretatione noſtra indigent, cum ex ijs pateat, anno 569. inſtitutam fuiſſe ſecundam Gallœciæ Metropolim, cui diœceſes, & parochiæ aſſignatæ fuerunt, diuiſa Gallœciæ Prouincia ciuili in duas Eccleſiaſticas. Simile quidpiam contigit cum Prouincia Carthaginenſi, in qua præter Carthaginem Toletum Metropolis Eccleſiaſtica euaſit, attributa illi Prouincia ſub nomine Carpetaniæ: vnde in Concilij Toletani Tertij ſubſcriptionibus legitur: *Euphemius in Chriſti nomine Eccleſiæ Catholicæ Toletanæ Metropolitanus Epiſcopus Prouinciæ Carpetaniæ, bis conſtitutionibus, quibus in Vrbe Toletana interfui, annuens ſubſcripſi.* Poſſunt hæc ipſa dilucidari ex Concilio Toletano ſub Gundemaro Rege, in quo decernitur, quòd Toletanæ Eccleſiæ Sedes Metropolitani nominis habeat authoritatem, & ex decreto Gundemari Regis, in quo ſtatuitur: *Illud autem, quod iampridem in generali Synodo Concilij Toletani à venerabili Euphimio Epiſcopo, manus ſubſcriptione notatum eſt, Carpetaniæ Prouinciæ Toletanam eſſe ſedem Metropolim, nos eiuſdem ignorantiæ ſententiam corrigimus: ſcientes proculdubio Carpetaniæ regionem non eſſe Prouinciam, ſed partem Carthaginenſis Prouinciæ, iuxta quod & antiqua rerum geſtarum monumenta declarant. Ob hoc, quia vna, eademque Prouincia eſt, decernimus, vt ſicut Bætica, Luſitania, vel Tarraconenſis Prouincia, vel reliquæ ad regni noſtri regimina pertinentes, ſecundùm antiqua Patrum decreta, ſingulos noſcuntur habere Metropolitanos; ita & Carthaginenſis Prouincia vnum, eumdemque, quem priſca Synodalis declarat autoritas, & veneretur Primatem, & inter omnes Comprouinciales ſummum honoret Antiſtitem.* Hæc Gundemarus Rex anno 600. quibus poſt deletam à

Go-

Gothis Carthaginem, Toletana Ciuitas, quæ primò Carpetaniæ regionis Metropolis erat, totius Carthaginenſis Prouinciæ Metropolis firmata eſt.

7. Hæc ſufficiant de Metropolitanis Epiſcopis, qui per ſex priora ſæcula in Hiſpanijs instituti fuerunt. Supereſt, vt paucis agamus de ijs Prouincijs, quę Hiſpaniæ quidem contributæ fuerunt, non tamen in ipſo Hiſpaniarum tractu continentur, ſed vel in Africa, vt Tingitana, ſeu Transfretana; vel in mari Mediterraneo, vt Inſulæ Baleares; vel in Gallia, vt Narbonenſis Prouincia, ſitæ ſunt. Quoad Tingitanam quidem Prouinciam, cum exiguo tractu temporis ſub Diœceſi Hiſpaniæ fuerit, nullaque fermè monimenta Eccleſiaſtica de eius Epiſcopatibus reperiantur, nihil eſt, quod notatu dignum occurrat, præterquàm quòd à ſcriptoribus Eccleſiaſticis traditum ſit, hanc Prouinciam, quia in Africa ſita eſt, cæterarum Africę Prouinciarum more pro Metropolitano habuiſſe ſeniorem Epiſcopum. De Prouincia Inſularum Balearium, Maioricæ nimirum, Minoricæ, & adiacentium, vix quoquè aliquid notatu dignum occurrit: licèt enim tres iſtarum Inſularum vrbes notæ ſint, & inter eas Palma Metropolis ciuilis fuiſſe credatur; nihil tamen ſpeciale in monumentis Eccleſiæ à me repertum eſt, quo iſtius vrbis Eccleſiæ dignitatem Metropolitanam vindicem. De Narbonenſi autem Prouincia in Gallijs ſita, plura ſunt antiquitatis monimenta, quibus docemur, eam poſt Gothorum in Hiſpania Principatum à Diœceſi Galliarum auulſam, & Hiſpaniæ contributam fuiſſe, indeque Metropolitanos Narbonenſes Concilijs Hiſpanicis ſubſcripſiſſe; Toletano namque Tertio æra 627. ſubſcripſit inter cæteros Hiſpaniæ Epiſcopos *Migetius Narbonenſis Metropolitanus Epiſcopos Galliæ Prouinciæ.* Idem ſubſcripſit Concilio Toletano ſub Reccaredo era 635. Et decreto Gundemari Regis ſuperiùs citato ſubſcripſit *Sergius Narbonenſis Eccleſiæ Epiſcopus.* Et Concilio Toletano 4. æra 671. *Salua Eccleſiæ Narbonenſis Metropolitanus Epiſcopus* ſubſcripſit, Idemque Concilio Toletano 6. æra 676. ſubſcripſit primo loco ante Iulianum Bracarenſem, Eugenium Toletanum, & Honoratum Hiſpalenſem Metropolitas. Concilio Toletano 13. quod era 721. celebratum eſt, ſubſcripſit primo loco inter Vicarios Epiſcoporum *Pacatus Abbas agens vice Suniefredi Epiſcopi Narbonenſis.* Et Concilio Toletano 14. æra 722 celebrato ſubſcripſere Ioannes Abbas, & Valdemarus Diaconus vicem agentes Suniefredi Narbonenſis ſuprà citati. Et Concilio Toletano 15. era 726. ipſe Suniefredus Narbonenſis Metropolitanus Epiſcopus ſubſcripſit. Ex quibus omnibus patet, quòd vſq;ad

finem ſeptimi ſæculi Prouincia Narbonenſis à Gallijs auulſa Hiſpaniæ contributa fuerit.

# CAPVT OCTAVVM.

## *Quandonam fides in Gallijs prædicari cœperit, ibidemque Prouinciarum diſtributio, ac Metropolium erectio facta ſit?*

*1. Quòd Dionyſius Areopagita in Gallia Euangelium prædicauerit, confirmat Natalis Alexuder, teſtimonijs Vſbij, Hilduini, Bedæ, Methodij, & Anaſtaſij Bibliothecarij.*

*2. Negat Ioannes Launoius, eiuſque ſententia vtitur teſtimonijs Sulpitij Seueri, & Gregorij Turonenſis, ex quibus poſt Sirmondum probare conatur, fidem tertio ſæculo in Gallijs prædicari cœpiſſe, & Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum ab Areopagita diuerſum eſſe.*

*3. Quòd fides à ſecundo ſæculo in Gallijs prædicata ſit, ex teſtimonijs Diui Irenæi, Tertulliani, & Diui Cypriani oſtenditur.*

*4. Temporibus Cypriani obtinuit Galliarum diſtributio in quatuor Prouincias ab Auguſto facta; in Belgicam ſub Metropoli Teuirenſi; in Celticam, ſiue Lugdunenſem, ſub Metropoli Lugduno; in Aquitanicam ſub Metropoli Biturico, & in Narbonenſem ſub Metropoli Arelate.*

*5. Ante Conſtantini tempora quatuor eædem Prouinciæ, & Metropoles fuerunt in Eccleſia, vt probatur in primis de Eccleſia Lugdunenſi, cuius Metropolitani fuerunt Irenæus, & Fauſtinus, vt ex Euſebio, & D. Cypriano oſtenditur.*

*6. De Arelatenſi Metropolitano in Prouincia Narbonenſi patet ex eodem D. Cypriano, & alijs Eccleſiæ monimentis.*

*7. De Metropolitano Treuirenſi in Prouincia Belgica ex ſubſcriptionibus Concilij Agrippinenſis, & Theodoreti teſtimonio probatur.*

*8. De Metropolitano Bituricenſi in Prouincia Aquitanica oſtenditur ex Sidonio Apollinari, & Othonis Friſingenſis teſtimonio, quo conſtat Bituricenſem Epiſcopum ratione Metropolis ius Primatis obtinuiſſe in Aquitaniam ſecundam, & Prouinciam Nouempopulanam.*

*9. Tempoie Conſtantini Magni in plures Prouincias ciuiles diuiſa fuit Galliarum Diœceſis. Caroli à S. Paulo ſententia de 17. Prouincijs, quæ tamen ex Sexto Rufo explicatur, vt primùm quindecim fuerint, poſteà tempore Honorij Imperatoris numero creuerint.*

*10. Plures quoquè Metropolitanos, quàm quatuor poſt Concilium Nicænum inſtitutos in Gallijs fuiſſe ex Hilari Papæ epiſtola, Agathenſis, & Aurelianenſis Primi Conciliorum ſubſcriptionibus probatur.*

*11. In nonnullis Prouincijs Galliæ tardiùs inſtitutos fuiſſe Metropolitanos probare conatur Abbas Fulienſis, cuius præcipua fundamenta adferuntur.*

1. GRauis quæſtio in huius capitis limine nos excipit, an ſcilicet à primis Eccleſiæ temporibus fides Catholica in Gallijs annunciata ſit, ibidemque Epiſcopi & Metropolitæ inſtituti fuerint. Quæſtionis anſam præbent opiniones variæ, quæ de Dionyſio Areopagita circumferuntur. Plerique ſcriptores Galli à B. Clemente Apoſtolorum Principis diſcipulo, & ſucceſſore in Gallias miſſum fuiſſe, & primum Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopum pro fide occubuiſſe, ex antiqua traditione plurimis veterum teſtimonijs firmata probare conantur. Natalis Alexander noſtrorum temporum ſcriptor id probat in primis ex actis Sancti Dionyſij à Vi-

Viſbio teſte illius martyrij oculato conſcriptis, quæ vetuſtate penè abſumpta Hilduinus Abbas Sandionyſianus ab interitu vindicauit, & in Areopagiticis ſuis Ludouico Pio Galliarum Regi obtulit: in quibus narratur, Dionyſium Areopagitam à Sancto Paulo Apoſtolo Chriſtianam fidem edoctum, à S. Clemente cum alijs ſocijs miſſum in Gallias, & Pariſienſem Eccleſiam fundauiſſe. Quibus conſona tradit Venerabilis Beda in Martyrologio ad 7. Idus Octobris, vbi: *Apud Pariſium natale ſanctorum Martyrum Dionysij Epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici diaconi. Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Clemente Romano in Gallias directus, vt prædicationis operam populis à fide Chriſti alienis exhiberet, tandemque ad Pariſiorum ciuitatem deuenit, & per annos aliquot ſanctum opus fideliter, & ardenter executus, à Præfecto Feſcennino Siſinio comprehenſus eſt, & cum eo ſanctus presbyter Eleutherius, & Ruſticus diaconus gladio animaduerſi martyrium compleuerunt.* Idem omninò in vita Sancti Dionyſij teſtatur Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus, quam ad inſtantiam Caroli Calui Anaſtaſius Bibliothecarius Romæ græco idiomate repertam latinè vertit, ſubiungens: *Ceſſet ergo iam quorumdam opinio perhibentium, non eſſe Areopagitam Dionyſium eum, qui propè Pariſium corpore, ac virtutibus redolet.*

2. Ex his Anaſtaſij verbis facilè colligere licet, non eſſe recentem controuerſiam, ſed ab ipſius Caroli Calui temporibus cœpiſſe, quæ de Epiſcopatu Pariſienſi Dionyſij Areopgaitæ, mouetur; de quo ſcriptis nonnullis opuſculis mentem ſuam aperuit Ioannes Launoius Theologus Pariſienſis, qui Dionyſium Areopagitam nunquam in Gallias veniſſe autumat. Duobus potiſſimùm teſtimonijs nititur eius ſententia, quæ ante ipſum in Diſſertatione de duobus Dionyſijs adduxerat Iacobus Sirmondus in antiquitate verſatiſſimus. Primum eſt Seueri Sulpitij, qui ad initium quinti ſæculi ſcripſit, & in Chronico affirmat: *Sub Aurelio Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tum primùm intra Gallias Martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Secundum eſt Gregorij Turonenſis, qui lib. 1. hiſtoriæ Francorum c. 30. agens de Decio Imperatore ſic ſcribit: *Huius tempore ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis ſancti Martyris Saturnini denarrat.* Et paucis interiectis: *Hi ergò miſſi ſunt Turonicis Gratianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Aruernis Stremonius Epiſcopus, Lemouicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus.*

*pus*. Ex his enim teſtimonijs concludit Sirmondus, quòd cum nulli Martyres ante Decium in Gallia extiterint, ſeriùſque trans Alpes Religio Chriſtiana recepta fuerit, Dionyſius Areopagita neque in Gallijs fidem prædicauerit, neque ibidem ſub Clemente Primo, qui Decij tempora centum quinquaginta annis præceſſit, martyrium ſubierit: Dionyſius proindè, quem Gallia vt Apoſtolum & Martyrem colit, diuerſum omnino eſſe oportere ab Areopagita, illumque eſſe, cuius Gregorius Turonenſis meminit, qui Decij temporibus Pariſios miſſus fuit.

3. Opinionibus adeò diſcrepantibus vtrinque ſectatores accedunt, & varia argumentorum ope ſuffulti inter ſe digladiantur: minùs validis tamen videntur ad litem decernendam momentis vti. Quapropter ijs omnibus omiſſis, vt expediamus id, quod eſt noſtri inſtituti, conſtanter aſſerimus, certum videri, quòd ſiue Dionyſius Areopagita in Gallijs fidem prædicauerit, & ab ipſius Hadriani temporibus perſecutio in Gallijs cœperit; ſiue non prædicauerit, & ſeriùs martyria trans Alpes viſa ſint: fides tamen Catholica in Gallijs à primis Eccleſiæ temporibus prædicata ſit, multique Chriſtiani eandem amplexi illuſtres Eccleſias ibidem conſtituerint. Plura nobis ſuffragantur teſtimonia antiquorum, ex quibus Diuus Irenæus, qui poſt Photini Lugdunenſis Epiſcopi martyrium ſecundo ſæculo ex Gallijs Romam miſſus fuit, & Lugdunenſis poſteà Epiſcopus creatus eſt, libro 1. aduersùs hæreſes cap. 3. affirmat, quòd *virtus traditionis vna*, eademque ſit: *Neque enim*, inquit, *hæ, quæ in Germania fundatæ ſunt Eccleſiæ, aliter credunt, neque hæ, quæ in Iberis ſunt, neque hæ, quæ in Celtis*. Celtarum enim nomine Gallos intelligit Irenæus, apud quos ante ſua tempora Eccleſias fundatas fuiſſe teſtatur. Idem poſt Irenæum ad finem ſecundi ſæculi habet Tertullianus, qui libro aduersùs Iudęos capite 7. religionem in diuerſis mundi regionibus ſuſceptam ſignificat, *inter illas Galliarum diuerſas nationes* enumerans. Et poſt Tertullianum D. Cyprianus, qui epiſtola 67. ad Stephanum Papam anno 258. Fauſtinum Lugduni, & Marcianum Arelatæ Epiſcopos fuiſſe, multoſque Coëpiſcopos in Prouincia Lugdunenſi extitiſſe dicit: *Fauſtinus Collega noſter Lugduni conſiſtens ſemel, atque iterùm mihi ſcripſit, ſignificans ea, quæ etiam vobis ſcio vtique nunciata, tam ab eo, quàm à cæteris Coëpiſcopis noſtris in eadem Prouincia conſtitutis, quòd Marcianus Arelate conſiſtens Nouatiano ſe coniunxerit*. Omitto reliqua teſtimonia, nam ex his ſatis, ſuperque conſtat, ſecundo, & tertio ſæculo florentiſſimas in Gallijs Eccleſias extitiſ-

tiſſe, quas non fungorum inſtar de terra repentè natas, ſed longè ab ipſis Apoſtolorum temporibus inſtitui cœpiſſe, ex rebus ipſis clarum eſſe arbitror.

4. Iam verò cum à Diuo Cypriano tam apertè Prouincialium Epiſcoporum mentio fiat, doctrinæ ordo poſtulat, vt inueſtigemus, quænam tunc Prouinciæ in Gallijs fuerint, & quænam Galliarum Metropoles extiterint: & perſpecta diſtributione ciuili, gradu veluti facto, ad Eccleſiaſticas Sedes inueſtigandas ſecuriùs procedamus. Illud in primis ex Dione Caſſio patet, ab Auguſto omnem Galliam in quatuor Prouincias fuiſſe diuiſam. *Tum omnis Gallia*, inquit, *& Narbonenſis, & Lugdunenſis, Aquitanicaque, & Celtica, cum ijs Populis, qui eorum Coloni eſſent.* Concinit Ammianus Marcellinus, qui tempore Valentis Imperatoris ſcripſit, & lib. 15. affirmat, *Gallias omnes poteſtate in partes diuiſas fuiſſe quatuor, quarum Narbonenſis vna Viennenſem intra ſe continebat, & Lugdunenſem; altera Aquitanis præerat vniuerſis: ſuperiorem, & inferiorem Germaniam, Belgaſque duæ Iuriſdictiones ijſdem rexere temporibus.* Hæc Ammianus Marcellinus ſcriptor Græcus, qui dum quatuor Galliæ partes, ſeu Prouincias fuiſſe aſſerit, tamen eas haud ſatis clarè diſtinxit. Quarè audiendi ſunt ſcriptores Galli recentiores quidem, ſed antiquitatis monimenta citantes. Inter eos eſt Iacobus Sponius libro de antiquitatibus Vrbis Lugdunenſis, qui pagina 128. affirmat, tres dumtaxat Prouincias Galliarum à Cæſare inſtitutas fuiſſe, earumque diuiſionem obtinuiſſe vſque ad tempora Conſtantini Magni, idque patere ex antiquis inſcriptionibus, quas ibidem exhibet.

Prima inſcriptio eſt.

L. BESIO SVPERIORI VIRO MAND..... TRES PROVINC. GALLIAR.

Secunda.

Q. IVLIO SEVERINO SEQVANO ..... INQVISITORI GALLIARVM TRES PROVINC. GALL.

Tertia.

TIBER. POMPEIO ..... IVDICI ARCAE GALLIARVM III. PROVINC. GALL.

Quarta.

SERVILIO MARTIANO ARVERNO C. SERVILI DOMITI FILIO SACERDOTI AD TEMPLVM ROMAE, ET AVGVSTORVM TRES PROVINCIAE GALLIAE.

His inſcriptionibus addit ſequens Numiſma Galbæ Imperatoris.



Habet hoc Numiſma, inquit Spo-

Sponius, tria capita, quibus exhibentur tres Galliæ, ſicut ex ipſa inſcriptione patet: TRES GALLIAE. Spicæ ſignificant earum vbertatem. Ab alia verò parte exhibetur Galba Imperator equo inſidens cum hac inſcriptione, SERVIVS GALBA IMPERATOR. Quibus alijſque monimentis Sponius opinionem confirmat, quòd tantùm tres Galliarum Prouinciæ vſque ad tempora Conſtantini Magni fuerint: fatetur tamen, à Geographis additã quartam, nimirum Belgicam, vt videre eſt apud Hugonem Floriacenſem affirmantem, prꝧter Narbonenſem tractum vniuerſam Galliam Prouincijs tribus terminatam antiquitùs fuiſſe, quarum altera Belgica, altera Aquitana, tertia verò Lugdunenſis nominabatur; de quibus Robertus Monachus Antiſiodorenſis ſcribit in Chronico: *Sciendum ſanè, vniuerſam Galliam in quatuor Prouincias à veteribus fuiſſe diuiſam; hoc eſt Belgicam, Lugdunenſem, Narbonenſem, Aquitanicam. Belgica Prouincia habet ab oriente limitem fluminis Rheni, & Germaniam, ab euro Alpes Appenninas, à meridie Prouinciam Narbonenſem, ab occaſu Lugdunenſem, à circio Oceanum Britannicum. Lugdunenſis Prouincia ducta per longum, & per anguſtum inflexa, Aquitanicam Prouinciam ſemicingit; hæc ab oriente habet Belgicam, à meridie partem Prouinciæ Narbonenſis, qua Arelas Ciuitas ſita eſt. Narbonenſis Prouincia habet ab orientis parte Alpes Cottias, ab occidente Hiſpanicam, à circio Aquitaniam, à ſeptemtrione Prouinciam Lugdunenſem, ab aquilone Galliam Belgicam, à meridie mare Gallicum, quod eſt inter Sardiniam, & Inſulas Baleares. Aquitanica Prouincia obliquo curſu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius eſt, in orbem cingitur, & à Varumna flumine ad Pyreneos montes extenditur. Hęc à circio Oceanum, qui Aquitanicus ſinus dicitur, ab occaſu Hiſpanias habet, à ſeptemtrione, & oriente Lugdunenſem, ab euro, & meridie Narbonenſem Prouinciam contingit. Hæc quidem ſecundum antiquos.* Hactenus Robertus Monachus, qui ſingulos Prouinciarum terminos enumerat, quibus adiungi poteſt recentiorum Geographorum accurata deſcriptio, iuxta quam Prouincia Belgica duas Belgicas, & duas Germanicas comprehendebat, ſub Metropoli Auguſtę Treuirorum: Celtica, ſiue Lugdunenſis, quæ quatuor Lugdunenſes, & quintam, ſeu Maximam, Sequanorum complectebatur, ſub Metropoli Lugduni: Aquitania, quæ duas Aquitanias, & Aquitaniam tertiam, ſiue Nouempopulanam continebat, ſub Metropoli Biturici: Narbonenſis, quæ etiam Viennenſis dicta eſt, & Viennenſes tres, ac Alpes Cottias,

tias,

tias, & maritimas, ac Alpes Graias, ſiue Appenninas comprehendebat, ſub Metropoli Arelate.

5. Cum ex præfatis Notitijs conſtet non ſolùm de numero Prouinciarum, ſed etiam de Metropolibus earum, quæ primis Eccleſiæ ſeculis in Gallijs fuerunt; haud difficile erit, ex ijſdem colligere Prouincias Eccleſiaſticas, earumque Metropoles, quas adinſtar ciuilium obtinuiſſe, centenis antiquorum teſtimonijs conſtat. Fuerunt itaque ante Conſtantini Magni tempora quatuor Prouinciæ Eccleſiaſticæ in Gallijs, fueruntque totidem Metropolitani Epiſcopi, Lugdunenſis in Prouincia Lugdunenſi, Arelatenſis in Narbonenſi, Bituricenſis in Aquitania, & Treuirenſis in Belgica. Vtque hæc omnia rerum documentis comprobemus, incipiemus à Lugdunenſi ciuitate, quam Euſebius Cæſarienſis lib. 5. hiſtoriæ cap. 1. vocat præ cæteris Galliæ ciuitatibus *inſignem, præſtantemque Vrbium matrem*, vel prout in Græco habetur, Μητρόπολιν. Martyres quoquè Lugdunenſes, ac Viennenſes in epiſtola, quam ad fratres per Aſiam, & Phrygiam conſtitutos ſcripſerunt, teſtantur, Photinum nonagenario maiorem, *qui Epiſcopatum Lugdunenſis Eccleſiæ adminiſtrabat, ſub Vero Imperatore martyrium conſummaſſe*. Addit autem Euſebius libro 5. cap. 5. *Igitur cum Photinus anno ætatis nonageſimo vnà cum Gallicanis martyribus cæſus eſſet, Epiſcopatum Lugdunenſis Eccleſiæ poſt eum ſuſcepit Irenæus*. Hunc autem Irenæum in Metropoli Lugdunenſi conſtitutum habuiſſe ſuffraganeos Epiſcopos, adeòque fuiſſe verum Metropolitanum, euidentiùs probari non poteſt, quàm ex loco Euſebij, qui reperitur eodem libro 5. cap. 24. vbi commemoratur epiſtola Irenæi, quam ſcripſit nomine fratrum, quibus præerat in Gallia. Per fratres enim eo loco intelligit Epiſcopos, qui ob controuerſiam Paſchatis, ex tota Lugdunenſi Prouincia conuenerant, & Concilium celebrarant, cuius mentionem facit auctor Libelli Synodici, affirmans eidem Concilio *Irenæum præſediſſe*. Hæc autem, quæ de Metropoli Lugdunenſi, eiuſque Metropolitano Epiſcopo hucuſque dicta ſunt, egregiè confirmantur ex epiſtola D. Cypriani, quam ad Stephanum Primum de Marciano Arelatenſi ſcripſit, quæque ſic incipit: *Fauſtinus Collega noſter Lugduni conſiſtens ſemel atque iterum mibi ſcripſit, ſignificans ea, quæ etiam vobis ſcio vtique nuntiata tam ab eo, quàm à cæteris Coëpiſcopis noſtris in eadem Prouincia conſtitutis, quòd Marcianus Arelate conſiſtens Nouatiano ſe coniunxerit &c.* Quibus verbis ſignificat, Fauſtinum Lugdunenſem Epiſcopum habuiſſe Coëpiſcopos, qui in vna, eademque Prouincia ſub ipſo conſtituti erant, quod non de alia, quàm

Lug-

Lugdunenſi Prouincia intelligendum eſt.

6. Agit ibidem Cyprianus de Marciano Arelatenſi, cuius cauſam tam ab Epiſcopis Prouinciæ Lugdunenſis, quàm à Fauſtino, ideò ad Stephanum Primum relatam fuiſſe ſcribit, quia Marcianus extra Lugdunenſis Prouinciæ terminos Arelate, quæ alterius Prouinciæ, Narbonenſis nimirum Metropolis erat, ſedem ſuam habebat, vnique Metropolitano in alterum nullum ius competebat. Vnde addit Cyprianus: *Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te litteræ, quibus abſtento Marciano, alius in locum eius ſubſtituatur*. Vbi notanda ſunt illa verba: *In Prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem*, quibus exprimitur Prouincia Narbonenſis, cuius ciuitas Metropolitana erat Arelate; vnde cum Metropolitani electio petente plebe, & ad Comprouinciales Epiſcopos ſpectaret, & plebem Arelatenſem, & Prouinciæ Epiſcopos de Marciani depoſitione, alteriuſque ſubſtitutione monendos eſſe ſcribit Cyprianus. Arelatenſis itaque Epiſcopus Metropolitanus erat: quamobrem inter tres IudicesGallos à Conſtantino in cauſa Donatiſtarum datos Marinus Arelatenſis comparet, ſub quo Primum Arelatenſe Concilium fuit, conuenientibus ex tota Gallia, aliiſque regionibus ad illud Epiſcopis; quod occaſionē præbuit Concilio Arelatenſi Secundo declarandi canone 18. *Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam vrbem ex omnibus mundi partibus præcipuè Gallicanis ſub ſancti Marini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium, atque Conuentum*. Celebrata fuit Synodus Arelatenſis ſecunda anno 452. quo Epiſcopi Arelatenſes diſtracta in plures ipſorum Prouincia, ordinationis iura in omnes obtinebant. Qua de re Zoſimus Papa epiſtola 5. ad Epiſcopos Galliæ: *Iuſſimus, præcipuam, ſicuti ſemper habuit, Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſis ciuitatis in ordinandis Sacerdotibus teneat authoritatem; Viennenſem, Narbonenſem primam, & Narbonenſem ſecundam Prouincias ad Pontificium ſuum reuocet*. Et libellus Epiſcoporum Prouinciæ Arelatenſis ad Leonem Primum, *quòd non ſolùm Prouinciæ Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium Prouinciarum, Arelatenſis Eccleſiæ Sacerdos ad ſolicitudinem ſemper ſuam, curamque reuocarit*.

7. De Belgis habet Pomponius Mela lib. 3. cap. 2. *quòd clariſſimi Belgarum ſint Treueri, Vrbſque opulentiſſima in Treueris Auguſta*. Auguſta Treuerorum itaque fuit præcipua Belgarum ciuitas, de qua Notitia græca, ætate Conſtantij Imperatoris conſcripta: *Ciuitatem maximam habere dicitur Gallia, quæ*

vo-

*vocatur Treueris, vbi etiam Imperator morari dicitur*. Porrò quod de Imperatore affirmat Notitia, confirmant D. Athanaſius Apologia 2. & Socrates libro 2. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 22. vbi Conſtantini Magni filius hìc primò manſiſſe traditur. Ex Codice Theodoſiano quoquè habetur, Conſtantem alterum Conſtantini filium ibidem poſteà degiſſe; & adiungit Sigebertus ad annum 386. Maximum Imperatorem apud Treuerim ſedem ſui Imperij ſtatuiſſe. Sed nimis longè abducimur; neque enim ſedes Imperatoria, vt rectè obſeruat Gelaſius Papa in epiſtola ad Dardaniæ Epiſcopos, *quidquam dignitatis Eccleſiaſticæ adiecit ſupra menſuram ſibi antiquitùs deputatam*. Dignitatem Metropolitanam Treuirenſis Epiſcopus ſupra Belgicam Prouinciam obtinuit à primis Eccleſię temporibus. Vnde in Concilio Agrippinenſi, quod anno 336. habitum eſt occaſione Euphratæ Coloniæ Agrippinenſis Epiſcopi, inter Belgicæ & totius Galliæ Epiſcopos primus ſententiam protulit *Maximus Treuirorum, deinde Valentinus ab Arelato*. Quod ideò factum exiſtimo, quia Metropolita Treuirenſis tunc inter Epiſcopos Galliæ primum locum obtinebat. Hinc Theodoretus libro 2. cap. 15. Paulinum Treuirorum Epiſcopum vocat, *Metropolitam Galliarum*, quaſi præcipuus totius Galliæ Epiſcopus exiſteret. Dum enim enumerat Epiſcopos Occidentis, qui cum Liberio in exilium miſſi ſunt à Conſtantio Imperatore; inter iſtos ab eo recenſetur Παυλῖνος ὁ τῆς Μητροπόλεως τῶν Γαλλιῶν Paulinus Metropolis Galliarum.

8. A Belgica in Aquitanicam Prouinciam procedentes de more Metropolim inquiramus: Bituricis eam conſtitutam fuiſſe defendimus; qua de re cum pauca antiquitatis monimenta reperiantur, nos breuiter expediemus. Commemorat quidem Titus Liuius libro 5. quòd *Priſco Tarquinio Romæ regnante Celtarum, quæ pars Galliarum tertia eſt, penès Biturices ſumma imperij fuerit, ijque Regem Celtico darent*. Verùm cum hæc eræ Chriſtianæ ſæcula præceſſerint, & de imperio, ac ciuili adminiſtratione intelligenda ſint, audiendus eſt Sidonius Apollinaris lib. 7. epiſt. 9. vbi ſcribit de Simplicio à ſe conſecrato: *Simplicius eſt, quem Prouinciæ noſtræ Metropolitanum ciuitati veſtræ ſummum ſacerdotem fieri debere pronuntio*. Et Tetradius in Agathenſi Concilio ſubſcribit: *Tetradius Epiſcopus de Biturica Metropoli ſubſcripſi*. Adiungit autem Otto Friſingenſis lib. 6. cap. 39. tres in Gallia fuiſſe Primates, dum præter Narbonenſem in tres Prouincias diuiſa erat; & ſicut Belgicæ Primas erat Treuirenſis, & Celticæ Lugdunenſis, ſic etiam fuiſſe Bituricenſem Aquitaniæ Primatem. Audienda ſunt eius verba:

*Tribus bis Gallijs tres Primates præeſſe volunt, Belgicæ Treuirenſem, Aquitaniæ Bituricenſem, tertiæ* nimirùm Celticæ *Lugdunenſem*. Quæ verba Ottonis benè notanda ſunt, quia ex illis firmatur, quod ſuprà indicauimus, Metropolitanum, quando eius Prouincia in plures diuidebatur, ius primatus in eas retinuiſſe, eoque iure ad ipſum ordinationes Epiſcoporum ſpectaſſe, prout clarè patet ex teſtimonio Zoſimi Papæ ſuperiùs num. 6. allata. Hinc autem factum eſt, quòd Metropolita Bituricenſis quędam Primatis iura in duas Aquitanias, & Prouinciam Nouempopulanam exercuerit, vt videre eſt in Gallia Chriſtiana à fratribus Sammarthanis anno 1666. Pariſijs edita. Attigimus vetuſtiſſimam Galliæ diſtributionem in ſuas Prouincias, quantum eam licuit in obſcura temporum illorum hiſtoria rimari; certiora nos excipiunt indicia nouæ diſtributionis, quæ anſam dedit partitioni Diœceſis Galliarum in plures, quàm quatuor Metropolitanos. Expedienda res eſt eodem, quo inſtituimus, ordine; facto nempe initio ab adminiſtratione ciuili.

9. Quod verò ad hanc pertinet, liquidò conſtat plures, quàm quatuor Prouincias ante Conſtantini tempora in Gallijs fuiſſe. Qua de re Carolus à Sancto Paulo lib. 5. Geographiæ ſacræ numero 111. *Poſt Auguſtum, ſed ante Conſtantinum, ex his quatuor Prouincijs tres aliæ ortæ ſunt, ſcilicet Alpina, Viennenſis, & Germanica; Alpina quidem, & Viennenſis ex Narbonenſi; & Germanica ex Belgica: adeò vt ex hoc tempore ſeptem in Gallia numerari cœperint, Narbonenſis, Alpina, Viennenſis, Aquitanica, Lugdunenſis, Belgica, & Germanica. Hinc fit, vt in Notitia Imperij Romani Gallia, & ſeptem Prouinciæ ſæpiùs veluti ſynonymicè vſurpari ſoleant. Sic in enumeratione Prouinciarum, quæ à Galliarum Vicario regebantur, hæc habet:* Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Vicarij ſeptem Prouinciarum: *Sic Vicarios referens Præfectis Pretorio Italiæ, & Pretorio Galliarum ſubiectos, hæc ait:* Vicarij ſex, Vrbis Romæ, Italię, Africæ, Hiſpaniarum, ſeptem Prouinciarum, Britanniarum. *Sic tandem Diœceſes Præfecto Pretorio Galliarum aſſignatos numerans, hæc, vt iam diximus, effert:* Sub diſpoſitione viri illuſtris Præfecti Prætorio Galliarum Diœceſes infraſcriptæ: Hiſpaniæ, ſeptem Prouinciæ, Britanniæ. *His nil clariùs, vt probemus Gallias in ſeptem Prouincias diuiſas fuiſſe, antequàm in plures.* Poſt quæ verba addit: *Denique ſeptem illæ in ſeptemdecim excreuerunt.* Quod tamen ita intelligendum, vt non ſtatim in tantum numerum creuerint. Sextus Rufus enim, qui Notitiam Imperij ante Arcadij tempora exhibuit, in Gallia-

liarũ Diœceſi quatuordecim Prouincias enumerat. *Sunt* (inquit) *Galliæ cum Aquitania & Britannijs Prouinciæ decem & octo*. Et omiſſis quatnor Britanniarum Prouincijs, Aquitaniæ & Galliæ Prouincias ſequentes recenſet, *Alpes maritimas*, *Viennenſem*, *Narbonenſem*, *Nouempopulanã*, *Aquitanias duas*, *Alpes Graias*, *Maximam Sequanorum*, *Germanias duas*, *Belgicas duas*, *Lugdunenſes duas*. Quibus Prouincijs in Notitia Imperij, quæ Honorij tempore prodijt, aliæ tres adiunguntur *Narbonenſis ſecunda*, & *Lugdunenſis* 3. & 4. adeò vt ſub Honorio ſeptemdecim Prouinciæ numerarentur in Gallijs. An verò in iſtis totidem ſederint Metropolitæ poſt eum canonem Nicæni Concilij, quo dicitur inſtituendum eſſe in ſingulis Prouincijs Metropolitanum Epiſcopum; quærendum hoc loco videtur, eo enim conſilio ciuilem inquirimus partitionem, vt Eccleſiaſticam aſſequamur.

10. Ex antiquis profectò auctoribus apertum fit, præter quatuor Metropolitanos ab initio conſtitutos, alios etiam nouos fuiſſe creatos in pluribus Prouincijs ex earum numero, quas antè retulimus. Patet id inprimis, ex Viennenſi Metropolitano, quocum tamdiù de Primatu certauit Arelatenſis Epiſcopus, & quorum litem diremit Leo Magnus epiſtola 109. quæ inter editas à Sirmondo eſt ordine quinta. Narbonenſis Prouinciæ ordinationes ad Narbonenſem Epiſcopum iure Metropolitano ſpectaſſe colligitur ex Hilari Papæ epiſtola octaua, quam ſic inſcripſit: *Dilectiſſimis fratribus Epiſcopis Prouinciæ Viennenſis*, *Lugdunenſis*, *Narbonenſis primæ*, & *ſecundæ*, & *Alpium Penninarum*, *Hilarus Epiſcopus*. Data eſt 3. *Nonas Decembris GL.P. Seuero Auguſto Conſule*, ideſt anno 462. His enim verbis ſignificat Hilarus omnes prædictas Prouincias tunc etiam fuiſſe Eccleſiaſticas. Quod item patet ex epiſtola 10. eiuſdem Pontificis, vbi etiam Prouincias præfatas nominat, & Metropolitas in ijs conſtitutos fuiſſe innuit. Idem firmatur ex ſubſcriptionibus Concilij Agathenſis, quod anno 506. ſub Cæſario Arelatenſi celebratum fuit; nam poſt Cæſarium ita ſubſcribunt reliqui Metropolitani: *Cyprianus Epiſcopus de Burdigala Metropoli ſubſcripſi. Clarus Epiſcopus de Ciuitate Eluſa Metropoli ſubſcripſi. Tetardius Epiſcopus de Biturica Metropoli ſubſcripſi*. Et ex ſubſcriptionibus Concilij Aurelianenſis primi anno 511. celebrati, in quo poſt Cyprianum Burdegalenſem, & Tetradium Bituricenſem Metropolitas, ſequuntur: *Licinius Epiſcopus Eccleſiæ Turonicę Metropolis ſubſcripſi. Leontius Epiſcopus Eccleſiæ Eluſanæ Metropolis ſubſcripſi. Gildaredus Epiſcopus Eccleſiæ Rothomagenſis Me-*

*tropolis ſubſcripſi*. Alias ſubſcriptiones, in quibus primo loco Epiſcopi tacito Metropolium nomine exhibentur, omittendas cenſeo, ſolùmque adiungo, Senonenſem Epiſcopum Metropolitanum fuiſſe Prouinciæ Lugdunenſis quartæ, vtpote cuius Epiſcopum Agrecium Sidonius Apollinaris lib. 7. epiſt. 5. *caput Senoniæ vocat*; Remenſem verò Belgicæ primæ Metropolitanum fuiſſe conſtat ex Remigij epiſtola ad Falconem Tungrenſem Epiſcopum, Hincmari operibus, & Flodoardi hiſtoria.

11. Quæſtionem à nobis inſtitutam vix hoc capite abſolueremus, ſi inquirere vellemus, num præter nominatas Prouincias, cæteris quoquè Metropolitani preſederint. Agit de ijs Carolus à S. Paulo Abbas Fulienſis, dicitque, Epiſcopum Ciuitatis Veſuntionenſis, quæ erat Metropolis ciuilis Maximæ Sequanorum, ſex primis ſæculis inter meros Epiſcopos ſubſcriptos reperiri in actis Conciliorum. Aquenſis ciuilis Metropolis Prouinciæ Nouempopulanæ Epiſcopum ſub Arelatenſi Metropolita conſtitutum fuiſſe, ex Symmachi Papæ epiſtola 11. ad Cæſarium probat, vbi legitur: *Si tam Eccleſiæ Aquenſis Antiſtes, vel alius quilibet Metropolitano Pontifici iuxta canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit, noueris ſubdendum ſe, quod non optamus, Eccleſiaſticæ diſciplinæ*. Additque, Aquenſes Præſules inter eos, qui mera dignitate Epiſcopali potiebantur, ſubſcripſiſſe in Aurelianenſi quarto, & quinto, & Aruernenſi ſecundo. *Vnde*, inquit, *ciuitatem hanc Eccleſiaſticam Metropolim per ſex priora ſæcula fuiſſe, vix poteſt exiſtimari*. Ebrodunum Alpium Maritimarum Metropolim ciuilem non habuiſſe Metropolitanum Epiſcopum, oſtendere conatur ex Concilio Regenſi ſub Cæleſtino Papa, vbi Armentarij Ebredunenſis Epiſcopi electionem irritam eſſe decernunt, quia facta eſt *Metropolitani quoquè voluntate neglectâ*. Demum neque Moguntiam fuiſſe Metropolim Eccleſiaſticam in Germania prima, neque Coloniam Agrippinenſem in Germania ſecunda, ante tempora Zachariæ Papæ, probat ex eo, quòd Zacharias Moguntiacam Eccleſiam in Metropolim erexerit, & eidem Colonienſem ſubiecerit.

CA-

# CAPVT NONVM.

## *De Illyrico, eiuſque Prouincijs, & Metropolitanis Epiſcopis.*

*1. In Illyrico fuerunt olim tres Diœceſes; prima Illyrici Occidentalis, quæ parebat Præfecto Prætorio Italiæ: ſecunda Daciæ: & tertia Macedoniæ: quæ Præfecto Prætorio Illyrici ſubdita erant. Singularum Prouinciæ adferuntur ex Notitia Imperij.*

*2. Diœceſis Illyrici Occidentalis caput præcipuum fuit Sirmium, quo per Attilam deſtructo eius Prouinciæ vel proprijs Metropolitis, vel vicinis ſunt contributæ, vnde Aquileienſi Metropolitæ conciliatum Patriarchæ nomen.*

*3. Diœceſis Daciæ præcipua Metropolis fuit Sardica, quæ vtrique Daciæ, & Mœſiæ primæ in rebus Eccleſiaſticis præerat. De aliarum Daciæ Prouinciarum Metropolibus quædam adduntur.*

*4. Diœceſis Macedoniæ, quæ cum antiqua Græcia coincidit, olim in duas Prouincias Achaiam & Macedoniam diuiſa fuit.*

*5. Eadem Prouinciarum diſtributio ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia obtinuit, & Achaia vſque ad Gregorij Magni tempora vltra Peloponeſum comprehendebat Atticam, & Eubœam, ac Corinthi Metropolitano parebat.*

*6. Macedonia, quæ à Thracia vſque ad Dyrrachium extendebatur, Metropolitæ Theſſalonicenſi ſubdita erat.*

*7. Quarto ſæculo Theſſalonicam ex alijs Prouincijs pro cauſis Eccleſiaſticis accurrebant Sacerdotes. Ex quo patet, Epiſcopum Theſſalonicenſem illis Prouincijs præfuiſſe, in quas Macedonia diuiſa fuit poſt Apoſtolorum ætatem.*

*8. Ius quoddam Primatiale Theſſalonicenſi Epiſcopo competijſſe in vtramque Epirum & Theſſaliam, indeque Sedem Apoſtolicam ſuas vices eidem in plures Prouincias detuliſſe, oſtenditur ex litteris Innocentij Primi.*

*9. Prouinciæ duarum Diœceſium Macedoniæ & Daciæ paruerunt Theſſalonicenſi Epiſcopo tanquàm Sedis Apoſtolicæ Vicario, indeque primus poſt Patriarchas locus ei in Concilijs Generalibus tributus.*

*10. Quænam, & quandonam Prouinciæ Eccleſiaſticæ à Theſſalonicenſi auulſæ, & alijs Metropolitis ſubiectæ ſint?*

1. HAbet *Illyricus decem & ſeptem Prouincias*, inquit Sextus Rufus in Breuiario, *Noricorum ſcilicet duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Sauiam, Dalmatiam, Mœſiam, Daciarum duas: & in Diœceſi Macedoniæ Prouinciæ ſunt ſeptem, Macedonia, Theſſalia, Achaia, Epiri duæ, Pręualis, Creta.* Aliter Illyricum exhibet antiqua Imperij Notitia, quæ Occidentale ab Orientali, & ab vtroque Daciam diſtinguit, adeo vt ex ſeptemdecim prouincijs à Sexto Rufo nominatis, tres Diœceſes conficiat. Quarum altera eſt *Daciæ*, quæ quinque Prouincijs conſtabat, Dacia Mediterranea, Dacia Ripenſi, Mœſia prima, Dardania, Præualitana, & parte Macedoniæ Salutaris. Altera eſt *Illyrici Occidentalis*, quę ſex Prouincias complectebatur, Pannoniam ſecundam, Sauiam, Dalmatiam, Pannoniam primam, & Norica duo, Mediterraneum, ac Ripenſe. Tertia demum *Macedoniæ*, quæ & *Illyricum Orientale* vocatur, ac ſex Prouincias comprehendebat Achaiam, Macedoniam, Cretam, Theſſaliam, Epi-

Epirum veterem,& Epirum nouã, cum parte Macedoniæ ſalutaris. Hæc eſt Diœceſium diuiſio iuxta antiquam Imperij Notitiam, quę Macedoniam, & Daciam ſub Prę-ſecto Prętorio Illyrici, Illyricum Occidentale ſubPręſecto Prętorio Italiæ collocat. Porrò ex tribus his Diœceſibus pauca dicenda ſunt de Illyrico Occidentali, & Dacia: plura de Macedonia, ſiue Illyrico Orientali. Vnde primùm de duabus prioribus pauca prælibabimus, tum deinde de vltima fuſiùs agemus.

2. Vt igitur de Occidentalis Illyrici Diœceſi incipiamus, habuit hæc ciuitatem præcipuam Sirmium, quę ab AmmianoMarcellino libro 21. vocatur *ciuitatum mater*, & ab Herodiano in Maximino inter ciuitates iſtius regionis *omnium primaria* recenſetur. Quarè Amenius Sirmienſis Epiſcopus in Concilio Aquileienſi anno 381. *Caput Illyrici nonniſi ciuitas eſt Sirmienſis*. Et Iuſtinianus Nouella 11. *Cum in antiquis temporibus Firmi* (ſic Sirmium vocat) *Præfectura fuerit conſtituta, ibique omne fuerit Illyrici faſtigium tam in ciuilibus, quàm in Epiſcopalibus cauſis*. Dicit Iuſtinianus *antiquis temporibus*, ſua namque ætate Sirmium deſtructum erat, & vt obſeruat Carolus à S. Paulo in Geoghaphia ſacra, Sirmio Attilæ temporibus deleto, authoritas Metropolitana partim Laureaco, partim Achridæ, & partim Salonæ contributa fuit. Conijciunt alij,partem diœceſis Illyrici Occidentalis Aquileienſi Metropolitæ ceſſiſſe; cum enim ſolius Dalmatiæ Metropolis fuerit Salona, vt ex varijs Gregorij Magni epiſtolis colligitur, & Noricum Ripenſe Laureacenſi Metropolitæ ſubiectum fuerit, vt teſtatur Symmachus Papa in epiſtola per Carolum à S. Paulo edita, & ex cæteris Illyrici occidentalis Prouincijs; pars ſecundæ Pannoniæ ſubiecta fuerit Achridæ, vt ex Nouella 11. Iuſtiniani eſt colligere: reſtant Pannonia prima, Noricum mediterraneum, & Sauia, quæ Prouincię nulli alteri Metropolitano contributæ videntur, quàm Aquileienſi. Vnde Concilio Gradenſi, quod celebratum fuit ab Elia temporibus Pelagij II. interfuerunt Leonianus Tiburnienſis Prouinciæ Norici mediterranei, & Virgilius Scarauaſienſis Prouinciæ Pannoniæ, qui Epiſcopi à Pelagio Papa vocantur Eliæ ſuffraganei: *Conſentientibus in eis ſuffraganeis tibi Epiſcopis*. Cum autem ex hoc teſtimonio colligi videatur, Aquileienſi Metropolitæ tributas fuiſſe Prouincias Illyrici Occidentalis, quas nulli alteri Metropolitæ ſubiectas fuiſſe comperimus, ex tanta Prouinciæ Aquileienſis amplitudine factum nonnulli exiſtimant, quòd Aquileienſis Metropolita Patriarchæ nomen promeruit: quam rem, quia ſolùm de nomine controuerſia eſt, alijs diſcutiendam relinquimus.

3. Se-

3. Secunda Illyrici Diœceſis, de qua hoc capite agere debemus, eſt Dacia, cuius quinque Prouincias Notitia Imperij enumerat, duas nimirùm Dacias, Mœſiam primam, Dardaniam, & Præualitanam, quarum tres priores in antiqua Mœſia, quæ à Macedonia ad Danubium pertingebat conſtitutas fuiſſe, ex Sexto Rufo intelligimus affirmante, quòd per Aurelianum *duæ Daciæ in regionibus Mœſiæ factæ ſint*. Ex eo autem, quòd vſque ad Aureliani tempora omnis ille tractus, qui inter Macedoniam, & Danubium interiacet, vnam Prouinciam conſtituerit, cuius Metropolis erat Sardica, factum eſt, quòd Eccleſia Sardicenſis in tribus illis Prouincijs Metropolitanam authoritatem obtinuerit, teſtante Theodoreto lib. 2. cap. 4. quòd ſub Conſtantio Orientis, atque Occidentis Epiſcopi Sardicam conuenerint. *Eſt autem*, inquit, *Sardica Vrbs Illyrici Metropolis Prouinciæ Daciæ*. Vnde inter Metropolitas, ad quos litteras miſit Leo Imperator reperitur Zozimus Sardicæ: & vt rectè obſeruat Carolus à S. Paulo in Geographia ſacra, ciuitatem hanc non tantùm Daciæ vtriuſque, ſed etiam Mœſiæ primæ Metropolim Eccleſiaſticam fuiſſe, ex eo conijcitur, quòd nulla nec in Concilijs, nec apud authores antiquos hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, alia Metropolis Eccleſiaſtica recenſeatur iſtius Prouinciæ. Recenſetur tamen in Prouincia Dardaniæ Scupi Metropolis, cuius Epiſcopus Vrſilius inter Metropolitanos à Leone Auguſto nominatur, quique in epiſtola Synodica ad eundem Leonem ſe Epiſcopum Dardaniæ vocat, adeò vt Prouinciam ipſam iure Metropolitano ſibi ſubiectam eſſe ſignificet. Atque hæc de Prouincijs Daciæ, quarum vna Prẹualitana ſupereſt, de cuius antiqua Metropoli Eccleſiaſtica vſque ad tempora Iuſtiniani ambigunt eruditi: à tempore verò eiuſdem Imperatoris nullum dubium ſupereſſe poteſt, cum extet eius Nouella conſtitutio 131. in qua cap. 3. legitur: *Per tempus autem beatiſſimum Primæ Iuſtinianæ noſtræ patriæ Archiepiſcopum habere ſemper ſub ſua iuriſdictione Epiſcopos Prouinciarum Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripenſis, Prẹualis, & Dardaniæ, & Myſiæ ſuperioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari; ipſum verò à proprio ordinari Concilio, & in ſubiectis ſibi Prouincijs locum obtinere eum Sedis Apoſtolicæ Romæ, ſecundùm ea, quæ definita ſunt à ſanctiſſimo Papa Vigilio*. Quibus verbis ſignificat Imperator, Achridam ciuitatem ſuam à Vigilio Papa Diœceſis Daciæ Vicariatum obtinuiſſe, nec vltrà Metropolitanum Prouinciæ Prẹualitanæ, ſed etiam Archiepiſcopum, ſeu Primatem plurimarum Prouinciarum creatum fuiſſe.

4. Reſtat nunc tertia Illyrici

ci Diœceſis nimirum Macedoniæ, quę cum antiqua Græcia coincidit, & Doctoris Gentium Pauli quaſi ſtadium fuit, in quo pro fide ſtrenuè decertauit. Illam primis ærę Chriſtianæ temporibus, non in ſex Prouincias, vt habet Notitia, neque in ſeptem, vt habet Rufus, ſed in duas dumtaxat diuiſam fuiſſe, teſtantur plerique ſcriptores antiqui, confirmantque vetera hiſtoriæ Romanæ monimenta. Vt enim habet Tacitus libro 1. annalium cap. 80 ad annum ab Vrbe condita 768. *prorogata fuit Poppæo Sabino Prouincia Mœſia, additis Achaia & Macedonia.* Et Dio Caſſius libro 58. *Poppæus porrò Sabinus, qui ad id vſque temporis per omnem ferè Tiberij Principatum, Myſiæ vtrique, & Macedoniæ præfuerat, gratiſſimum habuit nec ſibi vltrò conſcita iudicia omnia euitare. Ei in præfectura Regulus ſucceſſit, nam Macedonia &, ſi quibuſdam credimus, Achaia extra ſortem Prouinciæ dabantur.* Ex quibus teſtimonijs clarè, ni fallor, colligitur, Macedoniam, & Achaiam ſibi inuicem fuiſſe contiguas, quę vni Præfecto committebantur, adeòque ſub ipſo Tiberij Principatu, nullas alias Prouincias medias fuiſſe, vt apertè teſtatur Coſmographia Ethico tributa, quæ tantùm duas Illyricanæ illius partis Prouincias enumerat, Macedoniam ſcilicet, & Achaiam.

5. Porrò has Prouincias Apoſtolorum temporibus eoſdem omninò terminos habuiſſe in diſtributione Eccleſiæ, quas habuerunt in diſtributione Imperij, facilè colligitur ex Gentium Doctore Paulo, qui Actorum 19. dicitur ſibi propoſuiſſe, *tranſita Macedonia, & Achaia ire Hieroſolymam*: ibi enim Achaia Macedoniæ iungitur, adeò vt Paulus ſignificet, ſe per Macedoniam, Achaiam intraturum, & ex quodam Achaiæ portu iter maritimum Hieroſolymam verſùs arrepturum. Contigua igitur erat Achaia Macedoniæ, nullaque inter illas Prouincias media fuit, licèt nonnulli Theſſaliam, & Helladem medias olim fuiſſe exiſtiment, cum tamen Theſſalia Apoſtolorum temporibus Macedoniæ, & Hellas Achaiæ contributæ fuerint. Eſt namque Hellas illa Gręcię pars, quæ Attica vocatur, in qua Thebarum, & Athenarum ciuitates ſitæ ſunt, quarum Epiſcopos ſub Corinthi Metropolitano conſtitutos fuiſſe, patet ex epiſtola Petri Corinthij, quam anno 451. ad Leonem Imperatorem miſit cum hac inſcriptione: *Piiſſimo, & inuictiſſimo Domino totius terrarum orbis, & Chriſtianiſſimo Imperatori Leoni, Petrus Epiſcopus Metropolis Corinthi, & reliqui Epiſcopi reuerendiſſimi ſub me conſtituti, Athanaſius, Rufinus, Alexander, Candidus, Agatherus, Alexander, Architimus, Cyriacus, Thales, Domitius, Ho-*

*Hoſius*, *Conſtantinus*, *Iſicius*, *Ioannes*, *Athanaſius*, *Timotheus*, *Aphobius*, *Zoilus*, *Plutarchus*, *Gerontius*, *in Domino ſalutem*. Enimuerò primus Epiſcopus, qui ibidem citatur tanquam Corinthiaci Metropolitæ ſuffraganeus, eſt Athanaſius Athenienſis; ſeptimus Architimus eſt Thebarum, vt conſtat ex ſubſcriptionibus huius epiſtolæ: *Petrus Epiſco. Metropolis Corinthi &c.* *Athanaſius Epiſcopus Athenienſis ſimiliter*. *Rufinus Epiſcopus Theſpinenſis ſimiliter*. *Alexander Epiſcopus Patrenus ſimiliter*. *Candidus Epiſc... ſimiliter*. *Agatherus Epiſcopus Megarenſis ſimiliter*. *Alexander Epiſcopus Elateæ ſimiliter*. *Architimus Epiſcopus Thebarum ſimiliter*. *Cyriacus Epiſcopus Caryſtenus ſimiliter*. *Thales Epiſcopus Argi ſimiliter*. *Domitius Epiſc... ſimiliter*. *Hoſius Epiſcopus Lacedæmonis ſimiliter*. *Conſtantinus Epiſcopus Chalcidis ſimiliter*. *Iſicius Epiſcopus Tanagrenſis ſimiliter*. *Ioannes Epiſc. Meſſenæ ſimiliter*. *Athanaſius Epiſcopus Proponti ſimiliter*. *Timotheus Epiſcopus Megalopoleos ſimiliter*. *Aphobius Epiſcopus Coronæ ſimiliter*. *Zoilus Epiſcopus Carſiæ ſimiliter*. *Plutarchus Epiſcopus Platæenſis ſimiliter*. *Gerontius Epiſcopus... ſimiliter*. Ex his quippe ſubſcriptionibus clariſſimè patet, non modò Peloponneſum, ſed & totam Atticam, & Inſulam Eubœam fuiſſe in Prouincia Achaiæ ſub Metropoli Corinthi, proindeque rectè ſcripſiſſe Gregorium Magnum libro 4. epiſt. 56. *Vniuerſis Epiſcopis per Helladem Prouinciam conſtitutis ... Pallium Ioanni fratri noſtro Corinthiorum Epiſcopo nos tranſmiſiſſe cognoſcite; cui vos magnoperè conuenit obedire, præſertim dum hoc ſibi, & antiquæ conſuetudinis ordo defendat, & bona eius, quibus ipſi teſtimonium perhibetis, inuitent*. Per Helladem enim ſignificat Gregorius Græciam, quæ Achaiæ Prouincia continebatur, cui illis temporibus Corinthi Epiſcopus tanquam Metropolitanus præerat; Athenis, Patris, alijſque Metropolibus, quæ in Notitia Leonis Sapientis à Romana Sede auulſæ & Conſtantinopolitano Epiſcopo ſubditæ erant, poſt Gregorij tempora inſtitutis.

Post Conc. Chalced. ep. 56.

6. Exhibitis Achaię Prouinciæ terminis, facile erit Macedoniæ limites inueſtigare. Cum enim nulla inter Achaiam, & Macedoniam Prouincia media fuerit, & in Diœceſi Macedoniæ preter Achaiam nulla alia, quàm eiuſdem nominis Prouincia, primis Eccleſiæ temporibus extiterit, conſequens eſt, Prouinciam Macedoniæ in diſtributione Eccleſiaſtica omnem illam regionem comprehendiſſe, quæ à Thracia Dyrrhachium vſque pertingit, vnicaque in ea Metropolis fuit Theſſalonica, ad quam Paulus binas epiſtolas miſit, & cui ciuitatem Philippos ſubiectam fuiſſe, non

Qq ob-

obſcurè in epiſtola ad Philippenſes innuit. *Scitis autem, & vos Philippenſes*, inquit c. 4. *quòd in principio Euangelij, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicauit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli; quia & Theſſalonicam ſemel & bis in vſum mihi miſiſtis*. Vbi Paulus Philippos Macedoniæ contributam fuiſſe indicat, eiuſdemque ciuitatis Eccleſiam reſpexiſſe Theſſalonicenſem, in qua tanquam totius Macedoniæ Metropoli Paulus morabatur, ſidemque, & Euangelium prædicabat. Vnde poſt Apoſtolorum tempora Theſſalonicenſis Eccleſia inter præcipuas tranſmarinarum Prouinciarum Metropoles enumeratur à Tertulliano libro de præſcriptionibus Hæreticorum: *Proxima eſt tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes*. Et Concilium Nicænum inter præcipuos Epiſcopos, quibus acta ſua per omnes orbis Catholici Eccleſias diſtribuenda commiſit, elegit quoquè Alexandrum Theſſalonicenſem: ita enim in Catalogo prædictorum Epiſcoporum legitur apud Gelaſium Cyzicenum lib. 2. cap. 35. *Alexander Theſſalonicæ per eos, qui ſub ipſo cenſentur, Eccleſijs in Macedonia prima, & ſecunda cum ijs, quæ in Græcia, & Europa tota, in vtraque Scythia, & omnibus denique in Illyrico, Theſſaliæ, & Achaia:*

7. Quamuis autem non exiſtimem, Epiſcopum Theſſalonicenſem tempore Nicæni Concilij iuriſdictionem habuiſſe in omnes illas Prouincias, quas Gelaſius Cyzicenus enumerat; ſpeciali tamen obſeruatione dignum eſt, quod de Eccleſia Theſſalonicenſi paulò poſt Aëtius Epiſcopus in Concilio Sardicenſi can. 16. tradidit, Patres his verbis alloquens: *Non ignoratis, qualis, quantaque ſit Theſſalonicenſium Metropolis. Sæpè itaque ad eam ex Prouincijs presbyteri, & diaconi accedunt, & breuis temporis mora non contenti permanent, & omne tempus illic agentes tranſigunt, vel vix tandem poſt plurimum tempus in ſuas Eccleſias reuerti coguntur*. Ita ex græco Gentianus Heruetus, in cuius verſione duo notanda ſunt. Ac primum quidem, quòd Theſſalonica non vulgaris, ſed conſpicua, & inter cæteras maxima Metropolis fuerit. Secundum quòd ad eam ex alijs Prouincijs presbyteri, & diaconi acceſſerint, multumque temporis tranſigere in illa conſueuerint ætate Iulij Primi, qui anno 347. Concilium Sardicenſe celebrauit. Adiungit autem Carolus à S. Paulo Abbas Fulienſis: *Quòd ſi in eam ex alijs prouincijs confluebant presbyteri, & diaconi, ſanè non tantùm Metropolis fuit vnius Prouinciæ, ſed integræ Diœceſis ex multis Prouincijs conſtitutæ*. Verùm ſi Diœ-

Diœceſis nomen hìc ſumatur pro vna ex maioribus Romani Imperij Diœceſibus, corrigenda videtur authoris illius ſententia, cum Diœceſis alia eſſe non poſſit, quàm Macedoniæ, quæ, vt ſuprà vidimus, Achaiam quoquè comprehendebat, quæ ad Theſſalonicenſem Epiſcopum iure Metropolitano numquam pertinuit, ſed Metropolitanum ſuum habuit, Corinthi nimirum in Achaię Metropoli conſtitutum.

8. Cum igitur Achaia ſpecialem Metropolitanum habuerit, inueſtigandum eſt, de quibus Prouincijs in Sardicenſi Concilio locutus ſit Aëtius Epiſcopus, dum presbyteros, & diaconos ex illis Theſſalonicam accedere conſueuiſſe teſtatur. Porrò lumen aliquod pro hac difficultate ſoluenda ſuppeditat Notitia Imperij, quæ Macedoniæ Prouinciam, ante Arcadij, Honorijque tempora in plures diuiſam fuiſſe innuit: Cum enim ſex Prouincias in Diœceſi Macedoniæ enumeret, inter quas Achaia comparet, neceſſe eſt, quòd antiqua Macedoniæ Prouincia in plures diſtracta, ab ea ſeparatæ fuerint vtraque Epirus, noua, & vetus, ac Theſſalia, quæ intra antiquæ Macedoniæ terminos continebantur. In has itaque Prouincias ius aliquod Primatiale. Theſſalonicenſis Epiſcopus adinſtar Carthaginenſis in Africa retinuit. Vnde ex Theſſalia, & vtraque Epiro presbyteri, & diaconi ob cauſas Eccleſiaſticas Theſſalonicæ verſari conſueuerant, omneque tempus tranſigebant, vt vix tandem in ſuas Eccleſias reuerterentur. Ex hoc autem iure Primatiali factum exiſtimem, quòd vices Sedis Apoſtolicæ, quæ ob locorum diſtantiam alicui ex Illyrici Epiſcopis deferendæ erant, à Damaſo, alijſque Iulij I. ſucceſſoribus delatæ fuerint Theſſalonicenſi Metropolitæ, vt teſtantur eorundem epiſtolæ ad Acholium, Anyſium, & Rufum, Theſſalonicenſes Epiſcopos apud Lucam Holſtenium in Romana hiſtoria bipartita, ex qua fragmentum epiſtolæ Innocentij Primi referre ſufficiet: *Ita longis interuallis*, inquit ad Rufum, *diſterminatis à me Eccleſijs diſcat, conſulendum, vt prudentiæ, grauitatique tuæ committendam curam, cauſaſque, ſi quæ exoriantur, per Achaiæ, Theſſaliæ, Epiri veteris, Epiri nouæ, & Cretæ, Daciæ mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Mœſiæ, Dardaniæ, & Prçualis Eccleſias Chriſto Domino annuente cenſeam. Verè enim eius ſacratiſſimis monitis lectiſſimæ ſinceritatis tuæ prouidentiæ, ac virtuti hanc iniungimus ſolicitudinem: non primitùs hæc ita ſtatuentes, ſed prçdeceſſores noſtros Apoſtolicos imitati, qui beatiſſimis Acholio, & Anyſio iniungi pro eorum meritis iſta voluerunt.*

9. Præclarum eſt hoc Innocentij Primi teſtimonium, ex quo di-

diſcimus, Theſſalonicenſem Metropolitam vices Apoſtolicæ Sedis egiſſe, non modò ſuper tres Prouincias à ſua auulſas, ſed etiam ſuper duas Illyrici Orientalis Diœceſes, Daciam nimirum, & Macedoniam, quibus ſingulis quinque Prouincias attribuit Innocentius, oſtendens totidem Eccleſiaſticas Prouincias in Illyrico fuiſſe ſuis temporibus, quot ciuiles enumerat Notitia Imperij. Notitia namque ſub Dacię Diœceſi collocat vtramque Daciam, Mœſiam, Dardaniam, & Præualim, quas Innocentius quoquè citat; ſub Macedonia verò reliquas quinque ſtatuit. Quibus Prouincia Macedoniæ, quę Theſſalonicenſis propria eſt, adiungi debet: ſicque omnes Prouinciæ à Notitia ſub Diœceſi Macedoniæ collocatæ Theſſalonicenſi Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ Vicario tribuuntur. Vnde ipſi primus poſt Patriarchas in Concilijs Generalibus locus, vt videre eſt ex ſubſcriptionibus Synodi Epheſinæ generalis Tertię, in quibus actione 1. poſt Cyrillum Alexandriæ, & Iuuenalem Hieroſolymorum ante Epheſinum, Cæſareenſem, & Heracleenſem Exarchos legitur: *Flauius Philippenſium Epiſcopus vnà cũ Sancta Synodo decernens ſubſcripſi*. Vt enim notat Labbeus in margine, *hic Flauianus Rufi Theſſalonicenſis vices gerebat*. Idque acta ipſa Concilij Epheſini teſtantur initio actionis primæ, ybi *Flauianus Philippenſium, qui Rufi quoquè Reuerendiſſimi Theſſalonicenſium Epiſcopi locum gerebat*. Ea igitur ratione Exarchis ipſis prælatus eſt Flauianus Philippenſium Epiſcopus; quia locum & vices Theſſalonicenſis Metropolitani ſui, & Sedis Apoſtolicæ per Illyricum Vicarij, gerebat. Qua etiam ratione Concilio Chalcedonenſi act. 6. poſt Patriarchas ante Epheſinum, & Cæſareenſem Cappadocię Exarchos ſubſcripſit *Quintillus Epiſcopus Heracleæ tenens locum Anaſtaſij ſanctiſſimi Epiſcopi Theſſalonicenſium*. Et Concilio Generali Quinto ante eoſdem Exarchos: *Benignus miſericordia Dei Epiſcopus Heracleotanæ Ciuitatis, quæ eſt primæ Macedoniæ, agens vicem Heliæ ſanctiſſimi Archiepiſcopi Theſſalonicenſium ciuitatis*.

10. Vidimus hucuſque, quibus gradibus Sedes Theſſalonicenſis ad Sedis Apoſtolicæ Vicariam authoritatem peruenit. Nunc breuiter videndum reſtat de Prouincijs Eccleſiaſticis vel à Sede illa auulſis, vel Diœceſi Illyricanæ contributis. Ac primò quidem nullum dubium eſſe videtur, quin Romani Macedoniæ Prouinciam in plures diuiſerint à Seueri Imperatoris ætate, qua facta eſt ſequens inſcriptio, quam Cyriacus Anconitanus ante 250. annos Corinthi reperit: THEO PREPEN. AVG. LIB. PROC. DOMINI N. M. AVRELII SE-

VE-

VERI ALEXANDRI PROVINCIAE ACHAIAE, ET EPYRI, ET THESSALIAE. Hic enim à Macedonia auulſæ ſignificantur Epiri, & Theſſaliæ Prouinciæ, quod Hadriani temporibus factum exiſtimem, teſtante Sexto Rufo loco ſuperiùs citato, quòd in Diœceſi Macedoniæ per Achaiam, & Macedoniam fuerint Prouinciæ Theſſalia, & vtraque Epirus vetus, & noua, quibus ſi Cretæ inſulam adiungas, habes ſex prouincias à Notitia Diœceſi Macedoniæ contributas. Quibus ſingulis à tempore Nicæni Concilij Metropolitanos præfectos fuiſſe, facilè colligitur ex antiquis Eccleſiæ monimentis. Ac omiſſis quidem ijs, quę de Cretæ Metropoli Gortyna iam indè à Pauli temporibus inſtituta diximus ſuprà, Theſſaliæ Lariſſenum, Epiri veteris Nicopolitanum, & Epiri nouæ Dirrhachenum Metropolitanos fuiſſe conſtat ex catalogo Metropolitanorum, ad quos Leo Imperator poſt Concilium Chalcedonenſe ſcripſit. Inter eos namque epiſtolę conſcriptæ traduntur *Vigilantio Epiſcopo Lariſſeno*, *Eugenio Epiſcopo Nicopolitano*, & *Lucæ Epiſcopo Dyrrhacheno*. Idem probatur ex reſponſorijs Epiſcoporum Epiri nouæ, & veteris ad Leonem Imperatorem litteris, parte 3. Chalcedonenſis Concilij editis. Et de Metropolitano Theſſaliæ Stephano Lariſſeno fidem faciunt acta Concilij Romani ſub Bonifacio Secundo anno 531. vbi ſeſſione 1. Theodoſius Theſſaliæ Prouinciæ Echinenſis Ciuitatis Epiſcopus per interpretem dixit: *Stephanus ſanctiſſimus, & beatiſſimus Lariſſæ ciuitatis Epiſcopus, quæ ciuitas Metropolis eſt Theſſaliæ, libellum per humilitatem meam ter venerandæ Beatitudini veſtræ tranſmiſiſſe cognoſcitur.*

DIS-

# DISSERTATIO QVINTA.

## *De Inſtitutione Exarchorum, & Patriarcharum in quinque Orientis Diœceſibus.*

*1. Orientis in quinque Diœceſes diſtributionem Conſtantino Magno antiquiorem non eſſe, primus docuit Morinus ex canone 6. Nicæno, vbi præter Alexandrinum, & Antiochenum Patriarchas nullum Exarchum in reliquis Diœceſibus memorari contendit.*

*2. Ioannes Launoius ex eodem canone probare conatus eſt, ne quidem Patriarchas ſuper Diœceſes conſtitutos fuiſſe, ſed Nicænum Concilium ſolummodò de Metropolitanorum limitibus agere, hocque modo retundi poſſe hæreticorum conatus, quibus poteſtatem Romani Pontificis intra limites ſuburbicariorum locorum coarctant.*

*3. Launoij cauillationes, quibus Patriarcharum inſtitutionem Concilij Nicæni tempus adæquare negat, placuerunt Beueregio ſchiſmatico Anglo, qui hoc fundamento vſus nullam auctoritatem ſupra Metropolitanam tribus primis ſæculis fuiſſe affirmat.*

*4. Hanc rationem tuendi ſchiſma Beueregium ex Launoio ſumpſiſſe, monſtratur, ipſumque Launoium hanc protuliſſe doctrinam.*

*5. Eam tamen poſt obitum Launoij refricauit auctor libri de Diſciplina Eccleſiæ, vt Patriarchatum Occidentis Romano Pontifici antiquitùs non competiiſſe tueretur.*

1. ORIENS prout diſtinguitur ab Occidente, quinque Diœceſes complectitur, vt apertè demonſtrat Notitia Imperij, Arcadij & Honorij Imperatorum ætate conſcripta, quæ antiquiorum temporum diſtributionem non nouiter inſtitutam exhibet, vt alibi oſtendimus. Porrò diſplicet nonnullis antiqua illa partitio, quam proptereà in æuum Conſtantini Magni refundunt, affirmantque, Exarchorum Orientalium dignitatem iſtius Imperatoris diſtributionem ſubſecutam eſſe, & ſæculo quarto dumtaxat cœpiſſe. Quam ſententiam primò Morinus tenuit lib. 1. exercit. 19. vbi docet quinque Orientis Diœceſibus præfectos fuiſſe à Conſtantino Vicarios, qui integrè Diœceſis curam, & ſolicitudinem gererent. *Ante Conſtantinum Imperato-*

*ratorem*, inquit Morinus, *huius Vicariorum Imperij iuriſdictionis Diœceſium limitationis, & definitionis nulla ſunt teſtimonia, nulla veſtigia. Sic Primatum, Exarchorum, Diœceſium, vt à nobis hæc explicata ſunt, apud auctores Eccleſiaſticos ante Conſtantini tempora nulla nota, nulla mentio. Acta omnia hiſtorica, Concilia, ipſum Concilium Nicænum præter Romanum Pontificem, Alexandrinum, & Antiochenum, & Hieroſolymitanum nudo dumtaxat honoris conſeſſu, ſupra Metropolitas nullos agnouerunt Epiſcopos, ſupra Prouincias nullas Diœceſes, ſupra Concilia Prouincialia nulla Diœceſana. Statim verò poſt Vicariorum inſtitutionem, & Diœceſum à Prouincijs diſtinctionem, Exarchorum, Primatum, Diœceſum, & Conciliorum Diœceſanorum apud auctores Eccleſiaſticos mentio fuit frequentiſſima.* Hucuſq; Morinus, cuius verba in aliũ ſenſum trahentes nuperi quidam ſcriptores, ipſam Patriarchaliũ Sedium inſtitutionem ab Apoſtolis factam conuellere tentarunt.

2. Noſtro ſiquidem ſæculo repertus eſt Ioannes Launoius, qui Diſſertationem, quam de canone 6. Nicæno rectè intelligendo anno 1640. primùm ediderat, anno 1662. iterum typis mandauit, adiuncta præfatione, qua ſecundæ editionis rationem reddit. Exorta erat illis temporibus controuerſia de recto ſenſu canonis ſexti Nicęni, quo ſtatuitur, vt Epiſcopus Alexandrinus totius Aegypti, Lybiæ, & Pentapolis poteſtatem obtineat, *quia Epiſcopo Romano parilis mos erat*. Canonis verba ita interpretatur Ruffinus, quòd *velut Romanus ſuburbicariarum, ſic Alexandrinus Epiſcopus Aegyptiacarum curam gerat*. Hinc orta eſt controuerſia, hęreticis quidem per ſuburbicarias Eccleſias intelligentibus illas, quæ intra centeſimum ab Vrbe lapidem conſtitutæ erant, Catholicis verò eas, quæ per totum Occidentem reperiebantur, quę quia Epiſcopo Vrbis ſubiectę erant, ſuburbicariæ dictę ſunt. Hanc materiã tractans Launoius ſcripſit, canonem ſextũ Nicænum nequaquam de Patriarchali, aut Pontificia auctoritate intelligendum eſſe, ſed de ſola poteſtate Metropolitana in ordinandis Epiſcopis. Vnde gloriatur in epiſtola dedicatoria, hanc canonis interpretationem à ſe excogitatam eſſe, *vt extincto diſſidio*, hæreticorum in primis vel ignorantiam, vel malitiam proderet, cum illi per *canonis ſexti Nicæni latus*, vt loquitur, Apoſtolicæ Sedis auctoritatem peterent, & Patriarchalem Romani Epiſcopi poteſtatem intra centeſimum ab Vrbe lapidem coarctarent. Hæc ibi Launoius ſpecioſis quidem verbis, ſed quę venenum erroris occultare ſtatim detexit ſcriptor in Gallijs celeberrimus Henricus Valeſius, qui clariſſimè oſtendit, canonem ſextum Nicæ-

cæ-

cænum de Patriarchis intelligendum eſſe, & nequaquam de ſolis Metropolitanis explicari poſſe, niſi quis vellet, Romanum Epiſcopum tempore Nicæni Concilij non quidem Patriarcham, ſed Metropolitanum dumtaxat fuiſſe.

3. Diſplicuit hæc viri doctiſſimi diſputatio Ioanni Launoio, qui anno 1671. nouam Diſſertationis ſuæ propugnationem edidit, in qua mentis ſuæ arcanum prodit, & inuitus licèt, rationibus tamen Valeſij coactus ius Patriarchicum poſt Concilij Nicęni tempora cœpiſſe affirmauit. Iuuat Launoium ipſum loquentem audire pag. 48. *Ante Nicænam Synodum, vt nec in vſu Patriarchæ nomen fuit, ita nec ius Patriarchicum à Metropolitico diſtinctum emicuit. Conſtabat tunc ius Metropoliticum, cui poſt Nicænam Synodum ius Patriarchicum, opitulante Nicæno canone 6. inædificatum eſt.* Et infrà pag. 87. *Quòd nec ante Nicænum Concilium, nec tempore Concilij, nec poſt annos à Concilio plus minùs centum veri nominis Patriarcha nullus audierit.* Hæc ibi Launoius, quibus ſatis, ſuperque indicat, ſe prędictis Diſſertationibus nullatenus Sedis Apoſtolicæ auctoritatem contra hæreticos tueri voluiſſe, vt in prioris Diſſertationis epiſtola dedicatoria præ ſe tulerat, ſed Patriarchalem Romani Epiſcopi auctoritatem impetere, dum eius inſtitutionem centum annis Concilio Nicæno poſteriorem fecit. Agit de Launoij verſutia Hadrianus Valeſius in vita fratris ſui, aitque ob cauillationes, quibus vſus erat, Henricum Valeſium libellum Launoij ſibi legi noluiſſe. Hunc demum exitum habuit gloriabunda Launoij defenſio ſatis fortaſſe improbata, ſi Catholici tantum obeli cenſura claruiſſet. Verùm à ſtylo ſchiſmatici authoris peiorem cenſura propugnationem obtinuit. Guilielmus enim Beueregius ſcriptor Anglus Tomo 2. Pandectar. canonum, in annotationibus ad canonem 6. Nicænum Launoij libellum contra Valeſium defendit. Vnde Valeſij argumentis ſatisfacere conatus num. 5. ſententiam ſuam his verbis expreſſit: *Ex eo autem quòd iura propriè Patriarchica, ſiue quibus Patriarchæ à Metropolitanis diſtinguuntur, poſt hoc Concilium Nicænum inſtituta ſunt, neceſſariò conficitur, Patriarchas propriè ſic dictos hoc canone ſexto non conſtitutos eſſe, tametſi occaſio ijs conſtituendis ab eo præbita fuit.* Hæc Beueregius, qui ſtatim num. 6. adiungit: *Huic noſtræ ſententiæ Ioannes Launoius Diſſertatione de recta ſexti Nicæni canonis intelligentia ſuffragatur, hæc corollario decimo quinto dicens: His igitur ſincerè, & ſine fuco peractis, præ me fero antiquas illas Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ Eccleſiæ conſuetudines, quas Concilium Nicænum aſſerit,*

*rit, & confirmat, nihil quidquam obijcere, quod Patriarchis κυρίως & propriè conueniat.*

4. Mirari quis poſſet, quid in cauſa fuerit, quod cum inter Catholicos nullus repertus ſit, qui Launoij ſententiam editis ſcriptis propugnarit, illa Beueregio adeò placuerit, vt viuente adhuc Launoio illam contra Valeſium tuendam ſuſceperit. Mirari tamen deſinet, dum Anglicanę Eccleſię ſchiſma perſpectum habebit; illud enim fundatum eſt in errore circa Hierarchiam Eccleſiaſticam, quo Primatus in primis, tum Patriarchatus Romani Epiſcopi abnegatur. Siquidem Anglicanæ Eccleſiæ Miniſtri ſolam Epiſcoporum, & Metropolitanorum auctoritatem agnoſcunt, omnemque dignitatem ſuperiorem auerſantur, & reſpuunt. Vbi itaque Anglicana Eccleſia ſeſe à Sedis Apoſtolicæ communione ſeparauit, Patriarchalem quoquè Romani Epiſcopi poteſtatem excutiendam cenſuit. Cum vero in cinere iuxta prouerbium ſcriberet, nulla ſolida authoritate conciliante his erroribus præſcriptionem, in æneas tabulas inferre ſibi viſa eſt, quidquid aliquo ex noſtris pereunte recitaret. Occaſionem itaque tuendi ſchiſmatis ex Launoij libello arripuit Beueregius, qui in Anglia natus, & in ſchiſmate Anglicano enutritus, ſolis Launoij rationibus fucum ſuæ ſectæ hominibus fieri poſſe aduertit. Schiſmatis igitur Anglicani cauſa interpretationem ſexti canonis Nicęni Launoianam ſequitur Beueregius, qui palàm docet, inſtitutionem Sedium Patriarchalium Nicęno Concilio poſteriorem eſſe, adeòque Eccleſiam Anglicanam, dum Romani Patriarchatus poteſtatem hoc tempore excuſſit, cum primęua trium ſæculorum Eccleſia conuenire, quæ, vt putat, Patriarchatum Occidentis non agnouit.

5. Patrocinium ſuum Launoij ſententiæ commodauit Beueregius, quo compendium ſuę cauſæ faceret, inuito forſan Launoio, & erubeſcente: numquam enim poſt Beueregij ſcripta in lucem emiſſa quidquam hac de re typis edidiſſe reperitur. Repertus tamen eſt hoc tempore Launoij diſcipulus, qui libro De diſciplina Eccleſiæ Diſſertatione prima palàm affirmare auſus eſt, Romanum Pontificem non modò ante tempora Nicæni Concilij Patriarchatu Occidentis caruiſſe, ſed etiamnum quoquè in pleraſque Occidentis Prouincias nequaquam legitimè obtinere. Negat Africam, Illyricum, Hiſpaniam, Gallias, Germaniam, Angliam, & magnam Italiæ partem, quæ Vicario Italiæ parebat, olim fuiſſe Iuris Patriarchici Romani: in eas ſiquam modò auctoritatem Patriarchalem Pontifex obtinet, illegitimè vſurpare contendit, non veritus antiquiſſimos, ac ſanctiſſimos Romanos Pontifices, quorum teſtimonia ſibi aduerſa-

ri perſpexit, vſurpatæ contra canones iuriſdictionis accuſare, vt manifeſtum fit ex ijs, quæ Diſſertatione prima §. 12. de Innocentio Primo annotauit. Scripſerat ſanctiſſimus ille Pontifex epiſtola 18. ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum, vt *ſicut Metropolitanos auctoritate ordinabat ſingulari, ſic & cæteros Diœceſis ſuæ Epiſcopos, non ſine permiſſu, conſcientiaque ſua ſineret Epiſcopos procreari*. Quæ verba commentatur auctor noſter: *Hanc vindicabat in Prouincias ſibi ſubditas Innocentius, eandemque ab Antiocheno vſurpari arbitratur, & ex ſe de alijs iudicat*. Ita pro ſingulari ſua modeſtia ſcribit nuperus ille auctor de Innocentio Primo, quem magnus Auguſtinus cum Concilijs Africæ ante mille ducentos quinquaginta annos tanquam ſanctiſſimum, & auitæ diſciplinæ, ac religionis amantem Pontificem prędicarunt; cuius epiſtolis vniuerſa demùm Eccleſia non calculum modò, ſed obſequium quoquè offert ſuffragij, & perpetua tot ſæculorum conſenſione ſe addicit. Omitto quæ idem auctor contra alios Patres, & Pontifices protulit: neque memoria repetam, quæ hac de re obſeruaui in præfatione ad Diſſertationem de Metropolitica, & Patriarchali dignitate, quam anno milleſimo ſexcenteſimo, octuageſimo ſeptimo Romæ contra Decanum Londinenſem edidi. Hìc tantùm adducam, quæ ibidem aut ſtudio omiſſa fuerunt, aut non ſatis, & perſpicuè tractata ſunt. Vt igitur grauiſſimam de Patriarchatu Romano materiam clariori modo, quo fieri poterit, illuſtremus, primùm de alijs Patriarchatibus agemus. Cum enim Patres Nicæni canone 6. declararint, horum poteſtatem parilem eſſe cum Romano; facilè quiſque perſpiciet, illud Romano Patriarchæ negari non poſſe, quod cæteris Patriarchis competiſſe conſtabit.

# CAPVT PRIMVM.

## *De tribus maioribus Imperij Romani Ciuitatibus, & inſtituta ibidem à Beato Petro maiori dignitate Patriarchali.*

1. *Tres fuerunt præcipuæ Ciuitates Imperij Romani, Roma, Alexandria, & Antiochia, de quibus præclarum teſtimonium apud Herodianum.*

2. *In tribus illis Ciuitatibus inſtitutæ tres Sedes Patriarchales, vt canone 6. Nicæno, Leonis Magni, & Gelaſij teſtimonijs firmatur.*

3. *Idem probatur teſtimonijs Gregorij Magni, & Nicolai Primi, quibus conſtat, tres illas Sedes ex Apoſtolico inſtituto ad Patriarchatus gradum fuiſſe euectas.*

4. *Adfertur quoquè Hincmari Rhemenſis teſtimonium, contra quod, aliaque ſupra-* cita-

*citata nuperus auctor probare conatur; Sedes Patriarchales non eſſe inſtituti Apoſtolici.*

5. *Satisfit auctoris illius rationibus & oſtenditur falſum eſſe, nullam inter Eccleſiam, & Epiſcopos prælationem ab Apoſtolis propriè inſtitutam fuiſſe.*

6. *Aliud Eccleſia Apoſtolica, aliud Patriarchalis, neque omnis Apoſtolica Patriarchalis euaſit; & licèt Hieroſolymitana nunc Patriarchalis habeatur, olim tamen non fuit.*

7. *Primo Eccleſiæ ſæculo non ſederunt D. Petrus, cæterique Apoſtoli Hieroſolymis, ſed ex Apoſtolis ſolus Iacobus Hieroſolymorum Epiſcopus fuit; & poſt deſolationem Ciuitatis Cæſareenſi tanquam Metropolitanæ Eccleſia Hieroſolymitana paruit.*

1. EMinentiſſimus Cardinalis Perronius cap. 30. Operis ſui contra Angliæ Regem oſtenſurus, quòd Eccleſiaſticum regimen inſtitutum ſit ad formam Imperij, ipſius originem detegit, orbemque Romanum ex tribus potiſſimùm Regnis coaluiſſe affirmat: ex Regno Aſiæ, quod obtinuerant ſucceſſores Seleuci: ex Regno Aegypti, quod adminiſtrauerant ſucceſſores Ptolomæi Lagi filij: & ex Regno Occidentis, quod iam dudum poſſederant Imperatores Romani: adeò vt tres potiſſimùm partes extiterint orbis Romani, in quibus erant tres antiquorum Imperiorum Metropoles. Aſiani quidem Imperij Antiochia, quam Ioſephus de bello Iudaico lib. 3. cap. 3. nominat tertiam ciuitatem orbis Romani: Τρίτον ἀδηρίτως ἐπὶ τῆς ὑπὸ Ῥωμαίοις οἰκουμένης ἔχουσα τόπον. Euſebius orat. de laudibus Conſtantini *Metropolim Orientis vocat*. Et Sanctus Ioannes Chryſoſtomus homilia 5. ad populum Antiochenum caput, & matrem Orientis: *Ciuitatum enim*, inquit, *ſub Oriente poſitarum caput, & mater eſt Ciuitas noſtra*. Aegyptiaci Regni Alexandria, quam Dio Chryſoſtomus oratione 32. vocat *ſecundam Ciuitatem ſub Sole* Δευτέρα τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον, vtpote quæ erat Aegyptiaci regni princeps. Occidentalis verò Imperij Roma; vnde & antiquiores Hebræi Romam appellare conſueuerant *Imperium Edom*, & Titum ſubnominabant *Idumæum*, quòd Roma reſpectu Iudææ eſſet in Occidente poſita. Præclarum horum omnium teſtimonium à Perronio omiſſum præbet Herodianus in hiſtoria ſui temporis lib. 4. vbi Antonini Caracallæ, & Getæ de Imperio diuidendo conſilia explicat; ait namque, Europam cum Africa Antonino, Aſiam verò & Aegyptum Getæ adiudicata fuiſſe, tumque adiungit: Τῇ τε βασιλείᾳ τῇ αὐτοῦ ἀνταρκῆ ἔσεσθαι ὑποδοχὴν ὁ Γέτας ἔλεγεν ἢ τὴν Ἀντιόχειαν, ἢ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, οὐ πολύ τι τῆς Ῥώμης, ὡς ᾤετο, μεγέθει ἀπολειπούσας. *Sedem Imperij ſui Geta deſtinabat Antiochiam, vel Alexandriam, Vrbes magnitudine haud longè (vt quidem exiſtimabat) infra Romam*. Ex quibus verbis facilè apparet, quòd ſicut Roma erat præcipua Ciuitas in Occidente, ſic in Oriente Antiochia, & in Aegypto Alexandria, quæ cum Romana Vrbe de magnitudine certabant.

Vnde rectè Perronius: *Tres fuerunt præcipuæ Ciuitates Metropolitanæ Imperij; duæ ſubordinatæ, Alexandria nimirum, quæ caput erat Imperij Meridionalis, ideſt Aegypti; & Antiochia, quæ caput erat Imperij Orientalis, ideſt Aſiæ: & vna ſuperemineus nimirum Roma, quæ non modò ſpeciale Imperij Occidentalis caput, ſed prætereà ſuper capita duorum aliorum Imperiorum conſtituta erat.*

2. Quod in tribus illis Imperij Romani Ciuitatibus inſtitutæ fuerint tres præcipuæ dignitates Eccleſiæ, & Sedes Patriarchicæ, veterum auctoritate clariùs ſtabilitur, & apertiùs Orientalium, & Occidentalium teſtimonijs firmatum eſt, quàm vt ea de re quiſquam ambigat. Sacroſanctum namque Nicænum Concilium, *quod de omni Apoſtolica Eccleſiarum conſtitutione*, teſte Gelaſio Cyziceno, *tractatum habuit*, antiquam conſuetudinem ab Apoſtolis ortam ſeruari mandauit canone 6. *Antiqua* (inquiens) *conſuetudo ſeruetur per Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Vrbis Romæ parilis mos eſt; ſimiliter & apud Antiochiam.* En trium Sedium Patriarchalium in præcipuis Imperij Vrbibus auctoritatem canone ſacroſancti Concilij Nicæni firmatam, quam Leo Primus epiſtola 53. ad Anatolium inſtituto Apoſtolorum Principis Petri manifeſtè adſcribit, & ſtabilem permanere præcepit. *Nihil* (inquit) *Alexandrinæ ſedi eius, quam per Sanctum Marcum Euangeliſtam Beati Petri diſcipulum meruit, pereat dignitatis. Antiochena quoquè Eccleſia, in qua primùm prædicante Apoſtolo Petro, Chriſtianum nomen exortum eſt, in paternę conſtitutionis ordine perſeueret, & in gradu tertio collocata numquam fiat inferior.* Antiochenam dicit S. Leo ordine tertiam, quòd Alexandrina ſecundum, & Romana Sedes primum obtinerent locum. De quibus S. Gelaſius Papa anno 494. cum ſeptuaginta Epiſcopis in Synodo Romana: *Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes Romana Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid huiuſmodi. Secunda autem Sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco eius & diſcipulo, & Euangeliſta conſecrata eſt, ipſeque à Petro Apoſtolo in Aegyptum directus, verbum veritatis prædicauit, & glorioſum conſummauit martyrium. Tertia verò Sedes apud Antiochiam eiuſdem beatiſſimi Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis; eò quòd illic, priuſquàm Romam veniſſet, habitauit, & illic primùm nomen Chriſtianorum nouellæ gentis exortum eſt.*

3. Non minùs clarè id ipſum confirmauit S. Gregorius Magnus libro 6. epiſt. 37. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum: *Quis enim*

*enim neſciat*, inquit, *ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit ex nomine, vt Petrus à petra vocaretur? Cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum. Cui rurſùs dicitur: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Iterumque: Simon Ioannis amas me? Paſce oues meas. Itaque cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum principis Sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius eſt. Ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decorauit ſedem, in qua Euangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis, quamuis diſceſſurus, ſedit.* Præter Sedis Apoſtolicæ principatum, quem à Chriſto acceptum Petrus ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus reliquit, tres potiſſimùm Patriarchatus inſtituit, de quibus olim S. Leo epiſtola 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem: *Quidam in maioribus Vrbibus conſtituti, vt ſolicitudinem reciperent ampliorem.* Et hos ita inſtitutos ſubdit magnus ille Pontifex Leo, vt per illos *ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret.* Quod Sanctus Gregorius nuſquam negat, quinimò ſpeciali ſibi honore tributum agnoſcit epiſtola citata. Affirmat namque, ſolicitudinem illam ampliorem in auctoritate conualuiſſe pro ſolius S. Petri inſtituentis auctoritate, quòd nimirùm nec aliorum Apoſtolorum Eccleſiæ, quantumuis ambientium Epiſcoporum conatibus adiutæ, ad tantam auctoritatem multis ſæculis erigi potuerint. Vnde cum Epiſcopus Conſtantinopolitanus nouæ Romæ ſplendoribus elatus, ſibi ſecundum Patriarchalem locum vſurpaſſet, dubitantibus Bulgaris reſpondit Nicolaus Papa Primus num. 92. *Deſideratis noſſe, quot ſint veraciter Patriarchæ? Veraciter illi habendi ſunt Patriarchæ, qui Sedes Apoſtolicas per ſucceſſiones Pontificum obtinent, ideſt qui illis præſunt Eccleſijs, quas Apoſtoli inſtituiſſe probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam, & Antiochenam: Romanam, quam ſanctorum principes Apoſtolorum Petrus ac Paulus & prædicatione ſua inſtituerunt, & pro Chriſti amore fuſo proprio ſanguine ſacrauerunt: Alexandrinam, quam Euangeliſta Marcus diſcipulus, & de baptiſmate Petri filius à Petro miſſus inſtituit, & Domino Chriſti cruore dicauit: Antiochenam, in qua conuentu magno ſanctorum facto, primùm fideles dicti ſunt Chriſtiani, & quem Beatus Petrus priuſquàm Romam veniret, per annos aliquot gubernauit.* Loquitur Nicolaus Primus de quinque Patriarchalibus ſedibus, quarum tres ab Apoſtolorum Principe inſtitutas docet veraci ſe-

ſedis Patriarchalis nomine & ornamento gaudere.

4. Conſtat igitur præclaris antiquorum teſtimonijs, tres omninò Sedes, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam ab Apoſtolorum Principe Petro fuiſſe inſtitutas. Cui veritati adſtipulatur Hincmarus Rhemenſis opuſc. 155. capitum cap. 16. *Alexandrina, & Antiochena Sedes, ſicut & Romana, Beati Petri ſunt Sedes.* Quia verò Sedes Principis Apoſtolorum fuerunt, Patriarchales omninò euaſerunt, contra quod viſum eſt nupero ſcriptori, qui Diſſertatione prima de antiqua Eccleſiæ diſciplina §. 7. ſcribit: *Nullam inter Eccleſias, & Epiſcopos prælationem, nullam Patriarchicam, aut Metropoliticam dignitatem ab Apoſtolis propriè inſtitutam fuiſſe, iam demonſtrauimus.* Demonſtrationem autem, cuius hic meminit, legere eſt §. antecedenti, vbi cum refellere conatus eſſet illos, qui Metropoliticam auctoritatem ab Apoſtolis inſtitutam volunt, ſic ſcribit de Patriarchatuum inſtitutione: *Nec magis probabilem Patriarchatuum inſtitutionem aſſerunt ij, qui volunt eas Sedes eſſe Patriarchicas, quas Petrus fundarat, atque hac de cauſa Romanæ, Antiochenæ, & Alexandrinæ Eccleſijs iura Patriarchica conceſſa eſſe volunt. Nam ſi inde repetenda eſſet Patriarchatuum dignitas, innumeræ forent Patriarchales ſedes, quia innumeras Petrus fundauit, & rexit Eccleſias. Latum ergo diſcrimen eſt, inter Apoſtolicam Sedem, & Patriarchalem: multæ etenim Eccleſiæ, quas Apoſtoli inſtituerunt & rexerunt, dici poſſunt, & olim dictæ ſunt Apoſtolicæ, Patriarchicæ non item. Sic Tertullianus in lib. de præſcriptionibus: Percurre, inquit, Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur. Inter eas nominat Corinthum, Philippos, Theſſalonicam, Epheſum, quæ Sedes Patriarchales nec ſunt, nec vnquam fuerunt. Quin etiam Hieroſolymitana, in qua Chriſtus tamdiù habitauit, in qua non modò Petrus, ſed & cæteri Apoſtoli primis Eccleſiæ ſæculis ſederunt, Patriarchalis non fuit. Hanc tamen Aug. cont. litt. Pet. lib. 2. cap. 5. Apoſtolicam facere, & cum Romana comparare non veretur. Alexandrina verò, quam Marcus Petri diſcipulus fundauit, & rexit, ſecundum habuit inter Patriarchales ſedes locum, quem deinceps Conſtantinopolitana obtinuit. Ergo Patriarchalis dignitas non repetitur à dignitate eorum, qui Eccleſiam fundauerunt, & primi rexerunt.*

5. Hæc eſt ratio, quam nuperus ille auctor demonſtrationem vocat, cum ne quidem punctum difficultatis, quam ſoluendam ſuſceperat, attingat. Quis enim hic locus diſcrimini inter Apoſtolicam, & Patriarchalem Eccleſiam?

Quo-

Quorſum de Eccleſijs Apoſtolicis mentio? Non ideò ſedes Antiochena, Alexandrina, & Romana ius Patriarchale obtinuerunt, quia ab Apoſtolis promiſcuè inſtitutæ, ſed quia ab Apoſtolorum Principe cum ea iuris amplitudine fundatæ ſunt, vt ſicuti Ciuitates præcipuæ orbis erant Romani, ita cathedræ in ijs conſtitutæ primi eſſent in Eccleſia ſubſellij. Hac de cauſa Antiochiæ, & Romæ Petrus ſedere voluit, & Alexandriam, qui ſederet, Marcum diſcipulum ſuum miſit. In alijs Eccleſijs, quas Petrus inſtituit, ſediſſe non legitur, ſed Epiſcopos, qui Metropolitanis ſubeſſent, vel Metropolitanos, qui Exarcho, aut Patriarchæ parerent, conſtituit. Sic Corinthi conſtitutus eſt ab Apoſtolis Epiſcopus, vt Achaiæ Prouinciæ Metropolitanus eſſet. Sic Philippis, ſic Theſſalonicæ ordinati ſunt Antiſtites, vt ibi tanquam in Metropoli conſtituti Macedoniæ Prouinciæ Metropolitani eſſent. Sic Paulus in epiſtola ad Titum cap. 1. verſ. 5. teſtatur, ſe eum conſtituiſſe totius Cretæ, ſiue Candiæ Metropolitanum, cui reliqui Inſulæ Epiſcopi parerent: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per Ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Epiſcoporum itaque, & Metropolitanorum inſtitutio ex diſpoſitione Apoſtolica ortum habet, & à vero alienum eſt, nullam inter Eccleſias, & Epiſcopos prælationem ab Apoſtolis propriè inſtitutam eſſe.

6. A vero quoquè aberrat, nullam Patriarchicam dignitatem ab Apoſtolis propriè conſtitutam eſſe: nec quidquam ad id probandum facit Apoſtolicarum, & Patriarchalium ſedium differentia. Vltrò enim admittimus, aliud eſſe ſedem Apoſtolicam, aliud Exarchalem, & Patriarchicam. Ad hoc vt Eccleſia quædam Apoſtolica dicatur, ſufficit eam ab Apoſtolis inſtitutam, & per epiſtolas, vel ſermones eorum edoctam fuiſſe. Sic omnes illæ Eccleſiæ, ad quas Paulus Apoſtolus epiſtolas miſit, Romana, Corinthiaca, Epheſina, Philippenſis, Coloſſenſis, & Theſſalonicenſis, vocari poſſunt Apoſtolicæ, vt patet ex Tertulliano, qui loco ſuperiùs allato plures earum inter Apoſtolicas enumerauit. Apoſtolica quoquè Eccleſia fuit Hieroſolymitana, quæ non modò Apoſtolorum ſermonibus edocta fuit, ſed Iacobum Apoſtolum pro primo Epiſcopo habere meruit, teſtantibus D. Hieronymo libro de ſcriptoribus in Iacobo, & Euſebio libro 2. Hiſtoriæ cap. 1. quòd *Iacobus poſt paſſionem Domini ſtatim ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus ſit.* Refert autem Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, eum à Petro, altero Iacobo, & Ioanne conſtitutum fuiſſe: *Petrus, Iacobus, & Ioannes poſt Seruatoris aſcenſum Iacobum cognomine Iuſtum Hieroſo-*

*roſolymorum Epiſcopum elegerunt*. Quòd ſi ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem ipſe Petrus Iacobum Hieroſolymorum Epiſcopum conſecrarit, qua ratione nuperus auctor aſſeruit, in Hieroſolymitana Eccleſia Petrum ſediſſe? Si Iacobus in ea ſedit tanquam Epiſcopus, Petrus Hieroſolymorum Epiſcopus eſſe non potuit, adeòque ibidem non ſedit eo tempore, quo Iacobus Hieroſolymis præfuit.

7. Porrò correctione indiget, quod auctor noſter ait, in Eccleſia Hieroſolymitana Petrum, & cæteros Apoſtolos primis Eccleſiæ ſæculis ſediſſe; quaſi non ſolùm primo æræ Chriſtianæ ſæculo, ſed ſecundo quoquè, & tertio Apoſtoli cathedram Hieroſolymitanam tenuiſſent, cum conſtet, Iacobum Hieroſolymis triginta annis ſediſſe, nullumque Apoſtolorum poſt ipſum præfuiſſe Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, quę anno 12. poſt Iacobi obitum ſub Veſpaſiano, & Tito à Romanis deuaſtata fuit iuxta illud Saluatoris vaticinium Lucæ 19. *Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ*. Dum hæc Chriſtus Lucæ 19. prædixit de Hieroſolymitana, aderant Apoſtoli, qui minimè ignorare potuerunt deſolationem ciuitatis, quam apud Flauium Ioſephum auctorem contemporaneum, & teſtem oculatum vnuſquiſque legere poteſt. Ex eo ſanè narrat Euſebius, deſtructam fuiſſe Hieroſolymam ſub Tito & Veſpaſiano, anno poſt Chriſti mortem 42. additque, ſub ruinis ſuis ſepultam iacuiſſe vſque ad Hadriani tempora, quibus rurſus ædificari cœpit, ſic tamen, vt Cæſareæ tanquam Metropoli contributa fuerit. Vnde Hieroſolymitanus Epiſcopus primis Eccleſiæ ſæculis Cæſareenſi tanquam Metropolitano paruit, quod regulis Nicænis confirmatum fuiſſe, D. Hieronymus teſtatur in ea epiſtola, quam ad Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum ſcripſit, vt alibi videbimus. Hieroſolymitana itaque Eccleſia Apoſtolica eſſe potuit, at primis Eccleſiæ ſæculis Patriarchalis nequaquam fuit: nihilque ad rem facit diſtinctio inter Patriarchales, & Apoſtolicas Eccleſias, quam proindè nuperus auctor noſter omittere poterat. Meliùs pro præſentis quęſtionis elucidatione diſtinxiſſet inter ipſas Eccleſias Apoſtolicas: cum enim Apoſtoli Eccleſias iuxta diſtributionem Imperij inſtituerint, aliæ inter eas reperiuntur, in minoribus ciuitatibus erectæ, aliæ in maioribus ciuitatibus conſtitutæ. In minoribus Epiſcopos ordinarunt, vel ſi Prouinciarum Metropoles erant, Metropolitanos crearunt, vt iam ſuprà monſtrauimus. In maioribus, ſi inte-

græ

græ Diœceſis Metropoles erãt, vel Exarchatum, vel Patriarchatum erexerunt, vt ſequentibus Capitibus oſtendemus.

# CAPVT SECVNDVM.

## *De Exarchorum inſtitutione in tribus Diœceſibus, Aſiana, Pontica, & Thracica.*

*1. Diſtributio Imperij in Diœceſes Arcadio & Honorio Imperatoribus antiquior eſt, eiuſque inſtitutio Hadriano adſcribenda videtur, quamquàm ſub Conſtantino Magno eam formam accepit, quæ à Sexto Rufo indicatur.*

1. Deriuauimus ab Apoſtolicis fontibus de ſolido Chriſti monte per Cephæ petram fluentibus maiorum fluminum ſcaturigines, quæ Patriarcharum irrigant ditiones. Deducendæ modò ſunt ab iiſdem venis origines Exarchorum per Aſianam, Ponticam, & Thracicam Diœceſes peruetuſta deriuatione manantium. Quod antequàm fiat, erit ipſa trium Diœceſium origo breuiter recolenda, & alueus quodammodò cognoſcendus, à quo nomen, & fines Eccleſiaſticis Exarchatibus impertitum eſſe cognoſcamus. Ad hæc itaque clariùs inueſtiganda, operæ pretium eſt in memoriam reuocare antiquiſſimam Orientis ab Occidente Imperij Romani diuiſionem; & in Oriente quidem vni Præfecto Prætorio quinque maiores Diœceſes commiſſas fuiſſe, vt ipſa Imperij Notitia Arcadij Honorijque temporibus deſcripta declarat. Hanc porrò Diœceſium diuiſionem iſtorum Imperatorum ętate antiquiorem eſſe, vel ex eo apparet, quòd Theodoſius ſenior in illa lege, quam de Epiſcopis Catholicis ſuę ſedi reſtituendis anno 381. tulit, quinque has Diœceſes enumeret, & Aſianæ ac Ponticæ Diœceſeon expreſſam mentionem faciat, prout eodem anno fecit Concilium Generale Secundum, quod Aſianæ, & Ponticæ etiam Thracicam Diœceſim adiungit. Et ante hæc tempora Conſtantinus, quem *Aſianæ, ac Ponticæ Diœceſeos* mentionem feciſſe refert Theodoretus libro 2. cap. 26. ipſeque Conſtantinus Magnus anno 325. in epiſtola ad Epiſcopos, qui Concilio Nicæno non interfuerant, Aſianam, & Ponticam Diœceſim commemorat, vt videre licet in Hiſtoria Nicæni Concilij apud Gelaſium Cyzicenum. Quamuis autem ſint, qui putent Conſtantinum Magnum Notitiæ illius authorem eſſe, quæ Orientem in Diœceſes diſtribuit, eiſque Præfectum Prætorio præpoſuit; hæc tamen Notitia, quæ Conſtantino adſcribitur, Hadriani Imperatoris diſtributionem in pleriſque exhi-

exhibet, vt facilè colligitur ex teſtimonio Aurelij Victoris, qui in ſua Epitome de Hadriano refert: *Officia ſanè publica, & Palatina, necnon militiæ in eam formam Hadrianus ſtatuit, quæ paucis per Conſtantinum mutatis hodie perſeuerat.* Eadem itaque officia publica conſtituta erant ſuper Diœceſes Conſtantini Magni ætate, quæ Hadrianus Imperator ducentis fermè annis ante Conſtantinum ſtatuerat, ipſumque Præfecti Prætorio officium Hadriani ætatem ſuperat, licèt in eo mutationem ſub Conſtantino ſubierit, quòd numerus Præfectorum Prætorio auctus ſit, & vnius, vel duorum loco quatuor inſtituti ſint, vt ſuprà monſtrauimus, vbi nihil de Diœceſium innouatione diximus, eò quòd putemus maiores Imperij Diœceſes ante Conſtantinum cœpiſſe, & iam inde ab Hadriani temporibus ex varijs Prouincijs in vnum corpus coaluiſſe, vt ſequentibus Articulis oſtendemus. pag. [illegible]

## ARTICVLVS PRIMVS.

### *De Diœceſi Aſiana, & Proconſularis Aſiæ Prouincia, & quomodo, ac quando Aſiana Eccleſia Exarcho ſubiecta fuerit?*

1. *Difficile eſt Prouinciarum Aſiæ notitiam habere, eò quòd antiquis Romanorum temporibus vni Præfecto plures Prouinciæ ſubiectæ erant.*

2. *Vſſerius Proconſularem Prouinciam Aſiæ ſub Veſpaſiano ab Aſia reliqua ſeparatam fuiſſe, & ex Lydia & Inſulari Prouincijs conflatam credidit. Aſiam tamen Proconſularem nunquam Lydiam comprehendiſſe exiſtimamus, ſed alias Prouincias, vt Vlpiani teſtimonio comprobamus.*

3. *Inter Prouincias Aſiæ Proconſulari contributas fuit Helleſpontus, vt in vita Antonini teſtatur Iulius Capitolinus, cuius locus adfertur.*

4. *Ante Alexandrum Seuerum ſingulæ Aſiæ Prouinciæ habebant ſuos Præfectos, teſte Dione, Proconſul tamen Aſiæ in omnes iuriſdictionem exercebat, ipſiuſque curæ Proconſularis Aſiæ Prouincia, Inſulæ, & Helleſpontus relictæ, ſicut reliquæ Vicario Aſianæ Diœceſis tributæ ſunt, vt ex Notitia Imperij conſtat, cuius verba Eunapij teſtimonio confirmantur.*

5. *Aſiæ nomen tribus Diœceſis Aſianæ partibus tributum; Aſiæ Prouinciæ, cuius ſpecialis metropolis Epheſus; Aſiæ Proconſularis, quæ Aſianam Prouinciam, Inſularem, & Helleſponticam complectebatur; & Aſiæ Diœceſis, quæ ex 11. Prouincijs conſtabat: hæcque Theodoſij iunioris conſtitutioni conciniunt.*

6. *Metropolium Aſiæ prima, & caput Epheſus, in qua & præcipua Diœceſis Aſiæ dignitas Eccleſiaſtica inſtituta eſt, vt pluribus veterum teſtimonijs probatur.*

7. *Hinc Exarchatus Aſiani iura Epheſino Epiſcopo contributa à Ioannis Apoſtoli temporibus, vt ex Apocalypſi probatur, & de Polycrate Euſebius oſtendit.*

8. *Idem affirmant acta Conciliorum Epheſini & Chalcedonenſis, quæ omnes Epiſcopos Epheſinos Epheſi ordinatos, nulli alteri Patriarchæ ſubiectos fuiſſe referunt.*

9. *Ius Exarchatus per Chalcedonenſem Synodum Epheſino Epiſcopo ablatum, eidem, teſte Euagrio, reſtituit Timotheus Conſtantinopolitanus: vnde in Sexta Synodo Theodorus Epheſinus ſe Aſianæ Diœceſis Exarchum nominat.*

1. SVnt qui putant, obſcuris initijs Aſianam Diœceſim, obſcurioribuſque Proconſularis Aſiæ Prouinciam diſtingui cœ-

cœpiſſe, Romanis, poſtquàm Aſia teſtamento, aut bello obtenta eſt, Prouinciarum terminos perſępè mutantibus. Colligunt id ex Strabone, qui Auguſti temporibus ſcripſit, & libro 13. Phrygiæ, Lydiæ, & Cariæ fines ſic coincidiſſe dicit, vt difficulter internoſcerentur. Cuius confuſionis rationem addit, eò quòd *Romani has partes non ad nationum formam diuiderent, ſed ſecundùm fora, & iuriſdictiones*. His finibus dignoſcendis, & Prouinciarum, ac Diœceſis Aſiæ terminis dilucidandis hoc potiſſimum Articulo inſudabimus. Pro qua re audiendus in primis Velleius Paterculus, qui ſub Tiberio floruit, & lib. 2. Aſiam Cæſaris temporibus à Proconſule, *qui & Bithyniæ præerat*, gubernatam fuiſſe ſcribit: ait namque, Cæſarem, cum de piratis in Aſia trucidandis ageret, *in Bithyniam perrexiſſe ad Proconſulem Iunium, qui & Aſiam obtinebat*. Idem dicendum videtur de L. Flacco, quem in Aſia *ius dixiſſe* Tullius oratione pro Flacco commemorat. Sub Aſia autem tunc Phrygia, Myſia, Caria, & Lydia comprehendebatur, ex quibus regionibus Romam euocati erant, qui Flaccum accuſabant. Vnde Cicero ad Iudices Romanos: *Non eſtis de Lydorum, aut Myſorum, aut Phrygum, qui huc compulſi, concitatique venerunt, ſed de veſtra Republica iudicaturi*. Et infrà ad accuſatores: *Namque, vt opinor, Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia*. Aſiam ex tot nationibus conflatam vni Iudici ſubiectam fuiſſe vbique affirmat Tullius, idque Senatum alloquens his verbis confirmat: *Cum aurum Iudæorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus veſtris Prouincijs Hieroſolymam exportari ſoleret, Flaccus ſanxit edicto, ne ex Aſia exportari liceret* ....... Et rurſus Flaccum defenſurus, *Opponemus*, inquit, *Aſiæ Prouinciæ; primùm magnam partem eiuſdem Prouinciæ, quæ pro huius periculis Legatos, laudatoreſque miſit*. Hæc Ciceronis verba clara ſunt, quibus confirmatur, quod aſſerit Dio Caſſius libro 53. antiquitus non ſingulis Prouincijs peculiares Præfectos, ſed binis, vel ternis ſingulos præfuiſſe. Quarè puto ab Onuphrio Panuinio nomen Diœceſis tributum pluribus illis Aſiæ Prouincijs, quas Auguſtus Senatui reliquerat. *Aſia*, inquit, *cis Halim, & montem Taurum, in qua Lydia, Ionia, Caria, Myſia, Phrygia, & Helleſpontus Proconſularis*.

2. Iacobus Vſſerius Archiepiſcopus Armachanus, hanc Proconſularem Prouinciam ſub Veſpaſiano in plures diuiſam fuiſſe exiſtimat. *Veſpaſiani tempore*, inquit in opuſculo de Aſia Lydiana, *Proconſularis Aſia ſeparata eſt ab Aſia illa reliqua, quæ vnà cum hac ipſa in vnam Conſularem Prouinciam erat antè*

*ab Auguſto Cæſare deſcripta*. *Nam cum Aſiæ Proconſul duas tantùm Prouincias ſub ſe haberet* (*donec à Theodoſio ſeniore Helleſpontica eſſet addita*) *continentes vnam, quam ipſe Inſularum, alteram, quam ſub eo Præſes regebat*. Putat itaque Vſſerius, à Veſpaſiano Aſiam Proconſularem à reliqua Aſia ſeparatam fuiſſe, eamque conſtitiſſe ex Lydia, & Inſulari Prouincia, quibus tempore Theodoſij Senioris Helleſpontica acceſſit. Verùm poſtquàm Proconſularis Prouincia à reliqua Aſia ſeparata fuit, ad eam Helleſpontum quidem, non tamen Lydiam ſpectaſſe credimus; neque Aſiam Proconſularem poſt Veſpaſiani tempora vmquam Lydianam vocatam fuiſſe, reperimus. Meminerunt ſanè quamplurimi Proconſularis muneris, & Prouinciæ, ſed ſemper Proconſularis Aſiæ, numquam Lydiæ, aut Lydianæ Prouinciæ mentionem faciunt, quod ſemel atque iterum ſcribit ad Antonianum Plinius lib. 9. epiſt. 3. *Conſul fuiſti, ſimilis antiquis, quòd Proconſul Aſiæ, qualis ante te, qualis poſt te vixit vnus, aut alter*. Hadrianus quoquè Imperator apud Euſebium lib. 4. cap. 8. & apud Iuſtinum Martyrem in Apologia pro Chriſtianis: *Minutio Fundano Aſiæ Proconſuli reſcripſit*. Et Vlpianus lib. 1. de officio Proconſulis l. *obſeruare autem*, *ff.* de off. Proconſ. lib. 1. tit. 16. lib. 4. *Imperator noſter Antoninus Auguſtus ad deſideria Aſianorum reſcripſit; Proconſuli neceſſitatem impoſitam per mare Aſiam applicare, & Metropolium Epheſum primam attingere*. Vbi quidem in margine notatur, quòd Alciatus loco *Metropolium* in genitiuo plurali, legat in accuſatiuo ſingulari *Metropolim*: ſed rectiùs Budeus primam lectionem ſeruat, eò quòd lex ipſa Vlpiani habeat in græco: καὶ τῶν Μητροπόλεων Ἔφεσον: in quibus non modò nomen Μητροπόλεων, ſed etiam articulus τῶν genitiuum plurale ſignificat, & plures in Proconſulari Aſia Metropoles fuiſſe indicat.

3. Notandum eſt hoc Vlpiani teſtimonium, ex quo Vſſerius vt de Lydiana ſua Prouincia intelligi poſſe oſtendat, plures in ea Metropoles fuiſſe affirmat, Laodiceam nimirum, Sardim, Smyrnam, Epheſum, & Pergamum. Verùm hanc eius interpretationem vix admittent viri eruditi, cum videant nonnullas ex his Vrbibus extra Lydianam Prouinciam ſitas eſſe. Laodicea namque in Phrygia ponitur, & Phrygiæ metropolis fuit, ſicut & Sardis Lydiæ, & Epheſus Prouinciæ Aſiæ propriè dictæ. Vnde ſi Proconſul Aſiæ in prædictas ciuitates iuriſdictionem tempore Antonini exercuit, plures ſub ſe Prouincias etiam poſt Veſpaſiani tempora habuiſſe neceſſe eſt: & lex Antonini non de Metropolibus tantùm Lydianæ Prouinciæ, ſed de

aliјs quoquè Aſiaticis Prouincijs intelligi debebit. Quod vt Iulij Capitolini teſtimonio comprobem, audiendus eſt in vita ipſius Antonini Pij, vbi ſcribit: *Proconſulatum Aſiæ ſic egit, vt ſolus auum vinceret, & in proconſulatu etiam ſic Imperij omen accepit. Nam quum Sacerdos fœmina Trallis ex more Proconſules ſemper hoc nomine ſalutaret, non dixit, Aue Proconſul, ſed Aue Imperator. Cyzici etiam de ſimulacro Dei ad ſtatuam eius corona translata eſt.* Hìc enim clariſſimè indicat Iulius Capitolinus, Antoninum ante adeptum Imperium Proconſulatum Aſiæ egiſſe, & non Trallenſem tantùm, ſed etiam Cyzici ciuitatem ad ipſius iuriſdictionem ſpectaſſe, cum tamen Cyzicus Helleſponti Metropolis fuerit, adeòque diù ante Theodoſij ſenioris ætatem ad Proconſulem Aſiæ ſpectarit, contra quam Vſſerius credidit.

4. In plures itaque Aſiæ Prouincias à Veſpaſiani temporibus vſque ad Antonini ætatem iuriſdictionem exercuit Aſiæ Proconſul, quamuis ſingulis Prouincijs peculiares Præfectos fuiſſe præpoſitos ante Alexandrum Seuerum, teſtis ſit Dio Caſſius lib. 53. *Quoniam*, inquiens, *nunc earum quæuis ſuum habet peculiarem Præfectum*. Prouincias has in Aſiæ Diœceſi decem enumerat Imperij Notitiá, quæ Conſtantino Magno adſcribitur: *Prouinciæ Diœceſis Aſianæ decem, Pamphylia, Helleſpontus, Lydia, Piſidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia Salutaris, Lycia, Caria, Inſulæ.* Quibus addenda eſt *Proconſularis*, in quam Proconſul ius peculiare retinuit, iuxta illud eiuſdem Notitiæ: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Proconſulis Aſiæ, Prouinciæ infraſcriptæ; Aſia, Inſulæ, Helleſpontus.* Ex quibus Notitiæ verbis colligitur, Proconſulem, etiam poſt Præſides, aut Præfectos peculiares ſingulis Prouincijs præpoſitos, retinuiſſe iuriſdictionem aliquam in plures Prouincias, diuiſis nimirùm inter Proconſulem & Vicarium Aſiæ cunctis Diœceſis Aſianæ Prouincijs. Quarè eadem Notitia: *Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Vicarij Diœceſis Aſianę Prouinciæ infraſcriptæ: Pamphylia, Lydia, Caria, Lycia, Lycaonia, Piſidia, Phrygia Pacatiana, Phrygia Salutaris.* Porrò ex his Notitiæ verbis lumen aliquod ſuppeditatur ad intelligendum Eunapium, qui in vita Maximi narrat de Clearcho, quòd à Valente Imperatore Præfectus fuerit Aſiæ. *Toti*, inquit, *tunc Aſiæ cum Imperio præfuit, quæ ab Helleſponto per Lydiæ ac Piſidiæ fines in Pamphyliam excurrit.* Et poſteà: *Rebus proſperè ſuccedentibus mirificè Clearchum complecti cœpit Valens, neque ſolùm non ademit, ſed maiorem inſuper ei præfecturam commiſit Aſiæ, quæ nunc peculiari nomine*

*ſic vocatur, Proconſulem creans. Ea à Pergamo vſque maritimam oram complexa in continentem Caria tenus deſinit, Tmolo monte fines eius Lydiam attingentes circumſcribente: eſtque Prouincia illuſtris, & locuples, neque ſubiecta Præfecti Prætorio imperio.* Hic enim Eunapius deſcribit duas Aſiæ præfecturas, earumque terminos. Prima per Lydiam, & Piſidiæ fines in Pamphyliam decurrit, eſtque Præfectura Vicario Aſiæ tributa, quæ ab Helleſponti finibus in Pamphyliam ſe extendit, & plures Prouincias complectitur in Notitia numeratas. Secunda eſt Præfectura Aſiæ, quæ non in Lydiam, vt Vſſerius putat, ſed à Pergamo vſque ad Cariam ſe extendit; eſtque particularis Aſiæ Prouincia, quę *Proconſularis* dicta eſt, quamuis Proconſuli etiam Inſularum, & Helleſponti prouinciæ in Notitia tribuantur. Hoc autem eſt, quod Eunapius ſignificat per Aſiam, *quæ tunc peculiari nomine ſic vocabatur*. Aſia enim hæc eſt prouincia Aſiæ vna ex vndecim prouincijs Diœceſis Aſianæ, adeò vt tempore Valentis, ſicut & Arcadij, & Honorij temporibus, Aſiæ nomen tribus Diœceſis Aſianæ partibus tribueretur.

5. Prima eſt Aſiæ Prouinciæ, quæ propriè Aſia vocabatur, & Epheſo adiacebat: vnde auctor de locis Actor. Apoſtol. rectè notat, *ſpecialiter vbi Epheſus ciuitas eſt, Aſiam vocari*. Secunda eſt Aſiæ Proconſularis, quæ Aſianam, Helleſponticam, & Inſularem Prouincias continebat, & Proconſuli in Notitia tribuitur. Tertia eſt Prouinciarum reliquarum Aſiæ, quæ Vicario parebant, & vnà cum Prouincijs proconſularibus totam Aſianam Diœceſim conſtituebant. Hæc autem diſtributio Aſiæ accuratior eſt, quàm illa Vſſerij, qui Prouinciam Proconſularem ex Aſiana & Lydiana conſtitiſſe exiſtimat, & Eunapium, vt ſententiæ ſuæ congruat, corrigere auſus fuit, loco Lydiæ, per quam Vicarij præfecturam decurrere dixit, Phrygiam ſubſtituens. Deinde eadem diuiſio apprimè conuenit conſtitutioni Theodoſij iunioris, quam ad Auxonium Aſiæ Proconſulem dedit, in qua Eccleſiæ adiudicantur illis Epiſcopis, qui cum Amphilochio Iconienſi communicant *in Aſia, necnon Proconſulari, atque Aſiana Diœceſi*. Extat hæc conſtitutio in Codice Theodoſiano lib. 16. tit. 1. §. 3. quam neſcio an quiſquam hucuſque rectè intellexerit. Putat ſanè Gothofredus in Commentarijs, *Aſiam Proconſularem & Aſianam Diœceſim hic coniungi*. Cum non modo illæ à ſe inuicem, ſed etiam ab Aſiæ Prouincia diſtinguantur, & à Theodoſio tres Aſiæ denominationes indicentur, *Aſiæ* nimirum *Prouinciæ*, Aſiæ *Proconſularis* quæ tres prouincias complectebatur, & Aſianæ *Diœceſis* quæ vndecim

Pro-

Prouincias comprehendebat.

6. Porrò notanda ſunt, quæ ex Vlpiano audiuimus ſuprà, & variorum numiſmatū inſcriptionibus concinunt, Aſiæ *Metropolium primam fuiſſe Epheſum*. Quæ ciuitas à Plinio *Aſiæ lumen*, ab Ariſtide oratione de concordia ad ciuitates Aſiaticas, *commune Aſiæ ærarium*, à Dione Nicæno lib. 51. *Vrbs Aſiæ clariſſima* vocatur; & non modo dignitatem Metropoliticam ciuilem, ſed etiam Eccleſiaſticam ab ipſis Apoſtolorum temporibus obtinuit. In ea ſanè à doctore Gentium Paulo inſtitutus eſt primus Epiſcopus Timotheus, ad quem duas epiſtolas miſit, vti & aliam ad Epheſios, in cuius argumento D. Ioannes Chryſoſtomus ait de Epheſo: Ἔφεσός ἐστι μὲν τῆς Ἀσίας Μητρόπολις, *Eſt quidem Epheſus Aſiæ Metropolis*. Theodoretus autem de Timotheo, quem Paulus rogauerat, *vt Epheſi maneret*, ſcribit in argumento primæ ad Timotheum epiſtolæ: Τούτῳ τῆς Ἀσίας τὴν ἐπιμέλειαν ἐνεχείρισεν ὁ θεῖος Παῦλος: *Huic Aſiæ curam commiſit Diuinus Paulus*. Quibus verbis ſignificat Theodoretus, eum non modò Epheſinis, ſed totius Aſiæ fidelibus præpoſitum fuiſſe; ſicut & curam ipſorum poſt Timotheum ſuſcepit Sanctus Ioannes Apoſtolus, de quo in Actis Timothei apud Surium: *Cum Nero fini martyrij principes Apoſtolorum, Petrum inquam & Paulum, ſubieciſſet, & qui cum ipſis erant, diſcipuli ſe aliò conuertiſſent; accidit, vt hic magnus Euangeliſta, & Theologus Epheſi conſiſteret, à tempeſtate, & naufragio eiectus*. Addit quidem auctor Actorum Timothei, Ioanne per Domitianum in Inſulam Patmon relegato: *Timotheus eius loco ſuſcepit Epiſcopatum Epheſiorum*. Et antea ab eodem Ioanne Epiſcopum Epheſinum ordinatum affirmat: quod tamen teſtimonio Theodoreti repugnat, vtpotè qui Timotheum à Paulo eidem Eccleſiæ præpoſitum fuiſſe ſcribit, quod etiam teſtatur Diuus Ioannes Chryſoſtomus id comprobans ipſius Pauli teſtimonio. Vnde D. Irenæus teſtis fide digniſſimus apud Euſebium lib. 3. cap. 23. *Epheſina Eccleſia, quæ à Paulo quidem fundata eſt, Ioannem verò vſque ad Traiani tempora habuit præſidentem*. Ac ſi diceret Timotheum à Paulo creatum fuiſſe Epheſinum Epiſcopum, & poſt eum ſucceſſiſſe Ioannem Apoſtolum, quod ante relegationem eius in Patmon inſulam, accidiſſe, putem, cum Ioannes ibidem relegatus Apocalypſim ſuam ſcripſerit, in qua ſeptem Epiſcopos paſtoralis ſuæ ſollicitudinis admonuit: memor nimirum & ipſe erat officij ſui, quod cum Epheſino Epiſcopatu ſuſceperat. Quamobrem teſte anonymo auctore apud Photium, *reuocatus ab exilio ſeſe ad Metropolim Epheſiorum contulit, & ſeptem Epiſcoporum præſentia adiutus*,

*iutus*, *Metropoleos Epheſiorum gubernationem ſuſcepit*. Et D. Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Ioanne ſcribit: *quòd totas Aſiæ fundauit, rexitque Eccleſias*. Et Euſebius lib. 3. cap. 17. ex Egeſippo Apoſtolicorum temporum ſcriptore: *Cum poſt obitum Tyranni ex Inſula Patmo Epheſum rediјſſet Ioannes quorundam rogatu ad finitimas gentes ſe contulit, partim vt Epiſcopos conſtitueret, partim vt Eccleſias integras diſponeret, ac formaret, partim etiam vt homines ſibi à diuino ſpiritu indicatos in clerum quendam ſeu ſortem Domini diſponeret*. Ex quo Egeſippi teſtimonio conſtat, Ioannem Apoſtolum finitimarum Aſię gentium regimen ſuſcepiſſe, ipſumque Exarchatus Eccleſiaſtici, qui per Diœceſim illam obtinuit, auctorem fuiſſe, formando Eccleſias, diuidendo Eccleſiarum terminos, inſtituendo Epiſcopos, ordinando presbyteros.

7. Quòd ſi quis velit accuratiùs inquirere, an ab Apoſtoli Ioannis temporibus tantummodò in Prouinciam Proconſularem, quę ab Helleſponto in Cariam pertingebat, an verò in cæteras quoquè Aſianę Diœceſis Prouincias Exarchatus iura Epheſino Epiſcopo tributa ſint: planum eſt ex Apocalypſi, præter Epheſinam Eccleſiam, ad D. Ioannis curam ſpectaſſe Laodicenam, Sardenſem, Smyrnæam, Pergamenam, Philadelphienſem, & Thyatiræam, inter quas Sardis Prouinciæ Lydiæ, & Laodicea Prouinciæ Phrygiæ Metropoles erant; Thyatira verò ad antiquam Myſiam ſpectaſſe videtur. Ex Egeſippo autem conſtat, Ioannem vicinas Aſiæ gentes, vel vt Valeſius vertit, Prouincias gubernaſſe. Ex Hieronymo verò patet, omnes Aſiæ Eccleſias ei ſubditas fuiſſe. Et idcircò de vno ex Ioannis ſucceſſoribus Polycrate Epheſino Epiſcopo tradit Euſebius lib. 5. hiſtoriæ capite 23. & 24. quòd omnibus Aſiæ Eccleſijs præerat. Notanda ſunt Euſebij verba cap. 23. *Omnes per Aſiam Eccleſiæ vetuſta quadam traditione nixæ quartadecima luna ſalutaris Paſchæ feſtum diem celebrandum eſſe cenſebant*. Et cap. 24. *Epiſcopis verò Aſiæ, qui morem ſibi à maioribus traditum retinendum eſſe acriter contendebant, Polycrates præerat*. Si enim omnes Aſiæ Eccleſiæ 14. luna feſtum Paſchatis celebrabant, & Polycrates præerat Aſiæ Epiſcopis, qui de illa ſentententia conueniebant; conſequens eſt, Polycratem omnibus Aſię Epiſcopis præfuiſſe. Vnde licet rationem reddere, cur Victor Papa pro illa quæſtione ſopienda Polycrati Epheſino curam celebrandi Concilium Aſiæ commiſerit, & ipſe Polycrates in reſponſo ad Victorem ſcripſerit, ſe hanc curam, quæ ex Apoſtolico inſtituto Sedi Epheſinæ competebat, ſuſcepiſſe. *Poſſem*, inquit, *etiam Epiſcoporum, qui mecum ſunt, facere*

*cere mentionem, quos petiſtis, vt conuocarem, ſicut & feci, quorum nomina ſi adſcripſero, ingens numerus videbitur.*

8. Illuſtre quoquè Exarchatus Epheſini teſtimonium habemus in actis Epheſini Concilij Generalis Tertij, quod an. 431. tempore Cœleſtini Primi celebratum eſt. Siquidem Sedes Epheſina ex maioribus thronis fuiſſe dicitur, & ſicut Proconſulem Aſiæ à iure præfecti Prætorio Orientis exemptum fuiſſe refert Eunapius in vita Maximi Philoſophi; ita thronum Epheſinũ à Iure Orientalis Patriarchæ exemptum ſtatuunt eiuſdem Concilij acta. In Concilio Generali IV. actione 11. lite inter Memnonem, & Baſſianum de Epheſina Sede exorta, cum Patres his duobus depoſitis alium Epheſinum Epiſcopum Chalcedone inſtituere, & ordinare vellent, obſtiterunt Aſiani Epiſcopi, dixitque Leontius Magneſiæ Epiſcopus, omnes Epiſcopos à Timotheo vſque ad illud tempus in Aſia electos, & Epheſi ordinatos fuiſſe: *A Sancto Timotheo vſque nunc viginti ſeptem Epiſcopi facti, omnes in Epheſo ſunt ordinati.* Hinc ſcripſit Chriſtianus Lupus in appendice ad Synodum Chalcedonenſem: *Autocephala erat Epheſinorum Eccleſia, adeòque eius Primas in ipſa ſua ciuitate, & ſede erat à propria Synodo eligendus, & conſecrandus.* Et infrà de antiqua Epheſinæ Eccleſię conſuetudine: *Hæc*, inquit, *à S. Timotheo, ideòque & à ſanctis Paulo, & Ioanne Apoſtolis ducebat originem; atque ita erat canon Apoſtolicus. Vti enim Apoſtolorum decreta, ita & geſta nobis agendi regulas adfirmat Sanctus Ioannes Chryſoſtomus in libris de cordis compunctione.* Lib. 1.

9. Hactenus de inſtituto ab Apoſtolis Aſiæ Exarchatu egimus; nunc ex reliquis Eccleſiæ monimentis breuiter oſtendendendum eſt, id Epiſcopis Epheſinis competiſſe, quod canone 2. Concilij Conſtantinopolitani, vt ſuprà vidimus, firmatur. Nam eo dilucidè ſtatuitur, vt Aſianæ Diœceſis Epiſcopi ea, quæ ſunt in Aſia, gubernent. Hoc autem ius à Concilio Chalcedonenſi canone 28. ablatum, poſteà Epheſino Exarcho in Aſiæ Diœceſim reſtituit Timotheus Elurus, prout ex Zacharia Rhetore narrat Euagrius libro 3. hiſtoriæ capite 3. vbi *Zacharias ait, Timotheum Conſtantinopoli digreſſũ in Epheſiorum Vrbem veniſſe, atque illic Paulum in Archiepiſcopali ſede collocaſſe, qui cum iam priùs ab Epiſcopis illius Prouincię iuxta antiquiorem conſuetudinem ordinatus fuiſſet, ſede ſua exciderat. Reddidit etiam Timotheus Epheſinæ Eccleſiæ ius Patriarchicum, quod illi ademptum fuerat à Chalcedonenſi Synodo.* Quod ius Euagrius Patriarchicum vocat, Theodorus Epheſinus Epiſcopus in Concilio Generali Sexto Exarchicum appellat; ita enim eius

Synodicæ ſubſcribit: *Theodorus miſericordia Dei Epiſcopus Epheſiorum Metropoleos, & Exarchus Aſianæ Diœceſeos pro me, & Synodo, quæ ſub me eſt, ſimiliter ſubſcripſi*. Atque hæc ſufficiant de Aſiæ Exarchatu, quem Epiſcopi Conſtantinopolitani ſæpiùs inuaſum, ſæpiùs dimiſſum, tandem abſorbuerunt, vt alibi docebimus.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *De Cæſareenſis Cappadociæ Epiſcopi Exarchatu ſuper Ponticæ Diœceſis Eccleſias.*

*1. Ponti Prouinciæ quibus temporibus factæ ſint, ex diuerſis auctoribus indicatur. Hæ Prouinciæ in vnam Diœceſim ſub Cæſareenſi Cappadociæ Metropoli coaluerunt ante Conſtantinum Magnum.*

*2. Cæſareenſem Epiſcopum totius Ponti, & Cappadociæ caput fuiſſe, Firmiliani teſtimonio per Euſebium adducto comprobatur.*

*3. Neocæſareenſis in Ponto Eccleſia à Thaumaturgi temporibus ad Cæſareenſem ſpectauit, vt D. Baſilij teſtimonio conſtat. Idem de Armenia patet ex Metaphraſte, & S. Nicone.*

*4. De Armenia Cæſareenſi Epiſcopo contributa adferuntur quoquè plura Baſilij teſtimonia, quibus ſibi Nicopolitanum Armeniæ Metropolitanum ſubiectum fuiſſe indicat.*

*5. Etiam totius Ponticæ Diœceſis curam geſſit Baſilius, vt oſtenditur ex eius epiſtola* 291. ad Ponticæ Diœceſis Epiſcopos *conſcripta.*

*6. Exarchatus Cæſareenſis in totam Ponti Diœceſim comprobatur lege Theodoſij, teſtimonijſque Sozomeni, & Concilij Generalis Sexti.*

1. DE Bithynia narrat Lucius Florus lib. 3. c. 5. quòd ſub Sylla Reipublicę Romanæ contributa ſit, & Sextus Rufus, quòd eam defuncti Nicomedis teſtamento aſſecuti ſint Romani. Bithyniæ autem acceſſit Pontus, cuius fines Strabo adſignat. *Cum hæc tota regio*, inquit, *diuidatur in mediterraneam, & in oram maritimam ab Haly vſque ad Bithyniam, maritimam vſque ad Heracleam Mithridates poſſedit; de mediterraneis etiam proximas partes, quarum nonnullæ vltra Halyn excurrerent. Atque eò vſque Romani Ponticam Prouinciam extenderunt. Pontus itaque*, teſte Sexto Rufo, *per Pompeum victo Mithridate Rege Pontico, formam prouinciæ accepit*. Eaque in vnam cum Bithynia coaluit. Vnde eam Dio in Notitia Prouinciarum Auguſti his verbis exhibet: *Bithynia cum Ponto finitima*. Ad hanc autem Plinius Proconſul miſſus ſignificauit epiſtolis 93. & 99. ſub Bithyniæ nomine Honoriadem, & ſub Ponto Paphlagoniam comprehendi, vltra quas Prouincias Mithridates ius Imperij protulerat vſque in Cappadociam, vt Sextus Rufus teſtatur, qui Ariobarzanem Cappa-

pa-

padocum Regem à Mithridate expulſum fuiſſe refert; addit tamen: *Romanorum armis reſtitutus eſt, ſemperque in auxilia noſtra fuerunt Cappadoces, & ita maieſtatem coluere Romanam, vt in honorem Auguſti Cæſaris Megara ciuitas Cappadociæ maxima Cæſarea nuncuparetur.* Poſtremò, *quum ſub Imperatore Claudio Cæſare Archelaus ex Cappadocia Romam veniſſet, ibique diù detentus occubuiſſet, in prouinciæ ſpeciem Cappadocia migrauit.* Sub Claudio itaque Cappadocia, vti ſub Nerone Pontus Polemoniacus, & ſub Traiano Armenia, Prouinciæ factæ ſunt, quæ in vnum corpus coaluerunt. Quod Conſtantinus Magnus in epiſtola ad Epiſcopos, qui Nicæno Concilio non adfuerant, Ponti Diœceſim vocat, & Notitia Arcadij Honorijque temporibus conſcripta inter Diœceſes Orientales refert: *Sub Præfecto Prætorio Orientis*, inquit, *Diœceſis Pontica habens Galatiam, Bithyniam, Honoriadem, Cappadociam 1. Cappadociam 2. Pontum Polemoniacum, Hellenopontum, Armeniam primam, Armeniam ſecundam, Galatiam ſalutarem.* Harum autem omnium primaria ciuitas Megara erat, in qua Reges Cappadocum lares fixerant, quam Romani eò libentiùs totius Ponti metropolim conſtituerunt, quò magis eius incolę maieſtatem Romanam coluerant, & in honorem Cæſaris Auguſti eam Cæſaream vocarant.

2. Proindè in hac ciuitate, quam Gregorius Nazianzenus cęterarum *matrem* appellat, Ponticæ Diœceſis Metropolitanam Eccleſiam erectam fuiſſe, facilè inprimis probatur ex authoritate, qua eius Epiſcopus vſus eſt iam inde à D. Cypriani temporibus. Cum enim quæſtio orta eſſet de rebaptizandis hæreticis, Firmilianum Cæſareenſem præcipuè conſuluit D. Cyprianus, & tanquam illuſtriorem Epiſcopum habuit Euſebius lib. 7. cap. 5. qui ei totam Cappadociam adiudicat: *Firmilianus*, inquit, *cum vniuerſa Cappadocia.* Et ipſe demum Firmilianus epiſtola ad Cyprianum regionum ſuarum mentionem faciens ait, terræ motus plurimos, & frequentes extitiſſe, *vt per Cappadociam, & per Pontum multa ſubruerent, quædam etiam ciuitates in profundum receptæ dirupti ſoli hiatu deuorarentur, vt ex hoc perſecutio quoquè grauis aduersùm nos Chriſtiani nominis fieret, quæ poſt longam retrò ætatis pacem repentè oborta, de inopinatò, & inſueto malo ad turbandum populum noſtrum terribilior effecta eſt. Serenianus tunc fuit in noſtra Prouincia præſes, acerbus, & dirus perſecutor.* Palàm adfirmat Firmilianus, populum ſuum per Cappadociam, & Pontum fuiſſe diſperſum, & ſuam Prouinciam tam latè ſeſe extendiſſe.

3. Neocęſareenſem autem in

Ponto Eccleſiam à Thaumaturgi tempore ſemper ſuſpexiſſe Cæſareenſem in Cappadocia cathedram, obſeruat Chriſtianus Lupus parte 4. ad canonem 2. Dictatus Gregorij VII. ex epiſtola D. Baſilij 75. in qua ad Neocæſareenſes ſcribit: *Sunt autem ijdem & nobis, & vobis doctores myſteriorum Dei, & ſpiritales patres, qui veſtram ab initio fundarunt Eccleſiam: Gregorium dico priſcum illum, & quotquot poſt ipſum Epiſcopalem apud vos ſedem ſuſceperunt, qui ordine ſuccedaneo inſtar aſtrorum exorti ijſdem ingreſſi ſunt veſtigijs: ita vt haud facile ſit volentibus conuerſationis ipſorum indicia deſerere.* Porrò ſiquis dubitet, an hæc Baſilij verba quidquam faciant ad probandam Exarchalem Cæſareenſis Epiſcopi in Neocæſareenſes poteſtatem, multa alia ſuperaddemus Baſilij teſtimonia, quibus de poteſtate illa in Ponti Eccleſias conſtabit. Oculos intereà conuertamus ad longiùs diſſitas Armeniæ Prouincias, de quarum primo Epiſcopo, & Martyre Gregorio, qui ante Conſtantini Magni ætatem, & ſub ipſo quoquè floruit, habet Metaphraſtes apud Surium ad diem 30. Septembris: Rex Armeniæ Teridates ſexdecim viros elegit, *quos in Cæſaream Cappadociæ cum Gregorio mittit, vt à Leontio* (is enim tunc in ea erat Pontifex) *acciperet donum Pontificatus.* Et infrà: *Leontius magnum Gregorium, & legatos accipit honorificè, & cum eum ſimul adhibitis alijs, qui aderant, Epiſcopis conſecraſſet, cum pari humanitate dimittit, & honore.* Hæc de Gregorij ordinatione Metaphraſtes. S. Nicon autem epiſtola ad Encliſtium, recentiores Armenos alloquens: *Deindè cum magnus Gregorius, qui fuit magnæ Armeniæ Epiſcopus, cauiſſet Armeniæ Epiſcopum à nullo alio eſſe ordinandum, quàm ab illius temporis Cæſareę Cappadocię Archiepiſcopo, vt ipſe fuerat ordinatus, & horrendæ execrationes, & anathema in eos ſit intentatum, qui aliter faciunt, hæc quidem illi tranſgrediuntur.* Hactenus Nicon tomo 1. Bibl. Patrum, cuius teſtimonium retulit Baronius tomo 3. Annalium, qui hæc à Gregorio ſtatuta putat ob Leontij famam, nominiſque eius celebritatem; cum potiùs ſtatuta ſint ob auctoritatem, quam tamquam Cæſareæ Cappadociæ Exarchus in Diœceſim Ponti obtinebat, cui Armenia attributa fuit, vt ex Notitia Imperij patet.

4. Nunc ad Baſilium Cæſareenſem in Cappadociæ Epiſcopum & re, & nomine magnum reuertamur, qui epiſtola 192. ad Nicopolitanos, intruſum Nicopolitanum in Armenia Metropolitam throno deijcit. *Non agnoſco*, inquit, *Epiſcopum, nec Chriſti illum ſacerdotibus adnumerarim.* Deinde Nicopolitanum Metropolitam à ſe conſtitutum

tum ſignificat epiſtola 290. ad Senatum, & 292. ad Clericos Colonienſes *in extremis Armeniæ angulis conſtitutos*, quos inſuper rogat, vt Euphronio Nicopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo obediant. *Nolite*, inquit epiſt. 292. *litigare cum Nicopolitana illa veſtrum Metropoli Eccleſia, neue duriùs in eos animati ſitis, qui veſtrarum animarum curam ſuſceperunt. Certè cum Nicopolitana res probè ordinatur, & veſtra etiam portio conſeruabitur. Quòd ſi illam tempeſtas apprehenderit, vtcumque ſexcentos, qui vos cuſtodient, obtineatis; tamen partem neceſſe eſt peſſumdari, & cum ſuo capite interire.* Et poſt pauca de Euphronio: *Suſcipiat proindè Nicopolis curam, & accedat ad illam ibi ſolicitudinem, & veſtræ quoquè res loco additamenti.* Et demum concludit: *Noſtram quoquè præſentiam expectate, qui, ſi Deus conceſſerit, aduenturi ſumus, & quæ non potuimus per litteras commonefacere, ea coram & præſentes pietati veſtræ ſuggeremus.* Ex quibus omnibus apertè patet, Baſilium tanquam Cæſarenſis Eccleſiæ Exarchum non modò Nicopolitani in Armenia Metropolitæ depoſitionem, & ordinationem ſibi vendicaſſe, ſed etiam cæterarum Armeniæ Cathedralium ſolicitudinem ſuſcepiſſe, ſeque, quod abſens per litteras non potuit, præſentem curaturum dicere.

5. Nec Armeniæ tantùm, ſed totius quoquè Ponticæ Diœceſis curam geſſit Diuus Baſilius, cuius epiſtola 291. Ἐπισκόποις τῆς Ποντικῆς διοικήσεως *Ponticæ Diœceſis Epiſcopis* inſcribitur, eoſque ad ſolemne Martyrum feſtum Cæſareæ celebrandum euocat. *Cum Eutychius*, inquit, *& Damas inter martyres emineant excellenter, & cæteri eorundem ſocij, quorum anniuerſariæ memoriæ in vrbe noſtra, & circumiacente quaquauerſum territorio celebrantur; reuocat vobis, qui communis quidam eſtis illius ornatus, in memoriam Eccleſia, & meæ vocis miniſterio commonefacit, vt quo ſolebatis more, antiquam renouetis viſitationis conſuetudinem.* Palàm ſcribit Baſilius, omnes Diœceſis Ponticæ Epiſcopos ad Eccleſiam Cæſareenſem Cappadociæ ſpectare, illiuſque communem eſſe ornatum, idcircò ad anniuerſarium Martyrum feſtum in eadem Eccleſia celebrandum inuitari: qua occaſione Synodum annuam celebratam fuiſſe viri eruditi conijciunt, inter quos Gothofredus in Com. ad Tom. 6. Cod. Theodoſiani tit. 1. lege 3. ſcripſit: *Baſilius expreſſè epiſtola 291. Ponticæ Diœceſis Epiſcopos Cæſaream ad Synodum de more conuocauit.*

6. Porrò Epiſcopum Cæſareenſem totius Ponticæ Diœceſeos Exarchum fuiſſe, patet ex Sozomeno, qui lib. 7. capite 9. Theo-

Theodoſij legem referens, qua Pontica Diœceſis, quæ Helladio Cæſareenſis Cappadociæ Epiſcopo tribuitur; *à Bithynia vſque ad Armenos extenditur*. Idem autem Sozomenus lib. 8. cap. 6. narrat, Gerontium Nicomedienſem in Bithynia Metropolitam ordinatum fuiſſe ab Helladio Diui Baſilij in Cathedra Cæſareenſi ſucceſſore. *Nec multò poſt*, inquit de Gerontio Sozomenus, *Nicomedienſis Eccleſiæ Epiſcopatum adeptus eſt. Ordinauit autem illum Helladius Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus, eò quòd ſuffragio ſplendidam in palatio militiam filio ipſius comparaſſet. Quæ cum didiciſſet Ambroſius, ſcripſit Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano, vt Gerontio ſacerdotium adimeret, nec ſe, & Eccleſiaſticam diſciplinam contumelia affici pateretur. Verùm quamuis omni ſtudio id perficere conatus, numquam tamen obtinere potuit, vniuerſis ſimul Nicomedienſibus ei fortiter reſiſtentibus*. Atque hæc ſunt initia inuaſæ à Conſtantinopolitano Epiſcopo auctoritatis in Ponticæ Diœceſis prouincias, quæ cum à D. Ambroſio delata fuiſſet Nectario, vicaria Sedis Apoſtolicæ vice hanc poteſtatem delegatam fuiſſe ſuſpicamur, qua cum poſt Nectarium Diuus Ioannes Chryſoſtomus vſus eſſet, & depoſito Gerontio Panſophium vxoris Arcadij pædagogum in locum eius ordinaſſet, Gerontius cum ſuis *Ioannem accuſare cœperunt*, inquit Sozomenus loco ſuperiùs citato, *quòd rerum nouarum in Eccleſijs auctor fuiſſet, & contra morem inſtitutumque maiorum ordinationum iura immutaſſet. Et quidem hæc, quæ omnium iudicio præclarè geſta erant à Ioanne, reprehendebant eius aduerſarij*. Non alia ſanè ratione, quàm quòd ſecundum morem, inſtitutumque maiorum, Nicomedienſis Metropolitæ ordinatio ad Cæſareenſem Cappadociæ Exarchum ſpectaret, qui etiam poſt vſurpatam à Conſtantinopolitano Epiſcopo Ponticæ Diœceſis authoritatem, nomen Exarchi retinuit. Nam actione 18. Synodi Generalis VI. ſubſcripſit: *Philalethes indignus Epiſcopus Cæſareæ magnæ ciuitatis primæ Cappadociæ Prouinciæ Exarchus Ponticæ Diœceſeos*, qui Exarchi titulus omiſſus eſt in Synodo Generali VII. cui poſt Vicarios Patriarcharum Orientalium primo loco ſubſcripſit *Agapius Cæſareenſis Cappadociæ Epiſcopus*.

AR-

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *Quòd Diœceſis Thracica Exarchum Heracleenſem habuerit.*

*1. Thracia ſex Prouincias complectebatur, cuius præcipua ciuitas ante Seuerum fuit Byzantium, poſt Seuerum Heraclea Europæ Metropolis, vbi & Exarchatus Thraciæ conualuit.*

*2. A tertio ſæculo cœpit Heracleenſis Exarchatus, cuius mentionem facit canon ſecundus Concilij Conſtantinopolitani Primi, vt ex verbis eius oſtenditur.*

*3. Eius expreſsè meminit Theodoſius Senior in duabus legibus; quamuis enim in ſecunda earum Pontica Diœceſis nomen non reperiatur, excidiſſe tamen videtur, & teſtimonio Sozomeni probatur.*

*4. Exarchi tamen Heracleenſis ideò non meminiſſe putat Gothofredus, quia lex Theodoſij poſt editum canonem 2. Chalcedonenſem ſtatuta fuit, quo canone Conſtantinopolitano Epiſcopo Diœceſis Thraciæ contributa fuit.*

*5. Fuiſſe tamen Primatem Thraciæ Diœceſeos præter Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ex canonibus Chalcedonenſibus probatur, quibus eiuſdem Synodi ſubſcriptiones concinunt.*

1. THraces ante Romanorum Imperatorum ætatem iugo Macedonum excuſſo ſuis legibus vixiſſe, Romaniſque infeſtos fuiſſe, docet Lucius Florus lib. 3. cap. 4. qui lib. 4. cap. 12. *Thracum maximum populum* vocat. Sex illius gentis Prouincias Reipublicæ acceſſiſſe, refert in ſuo Breuiario Sextus Rufus, vbi: *In ditionem Reipublicæ ſex Thraciarum Prouinciæ ſunt conquiſitæ, Thracia, Hæmimons, Moeſia inferior, Scythia, Rhodope, Europa*. Totidem *ſub Diœceſi Thracica* enumerat antiqua Imperij Notitia Conſtantino Magno tributa, adiungitque, has omnes Prouincias vni Vicario fuiſſe commiſſas: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Vicarij Diœceſeos Thraciarum Prouinciæ infraſcriptæ: Europa, Thracia, Hæmimontus, Rhodopa, Mœſia ſecunda, Scythia*. In his porrò Prouincijs primum locum Europa obtinet, quia in ea deleto Byzantio, Perinthus Metropolitana totius Thraciæ ciuitas fuit. Vnde Pariſienſis Archiepiſcopus de Marca lib. 1. cap. 3. *In Diœceſi Thracica poſt deletum à Seuero Byzantium, præcipuam dignitatem Vrbs Heraclea, ſiue Perinthus obtinuit, vt teſtantur Herodianus in Seuero, & Procopius lib. 4. de ædificijs illuſtr.* His auctoribus addi poteſt Dio Caſſius, qui lib. 74. agens de excidio Byzantij, quod tempore Seueri Imperatoris contigit: *Vrbem, inquit, omnemque regionem, quæ erat ſub eius Vrbis poteſtate, Perinthijs conceſſit: hi Byzantio vſi ſunt, vt vico &c.* Fuit igitur vſque ad tempora Seueri, hoc eſt ad annum 196. Byzantium præcipua Thraciæ ciuitas, cuius priuilegia Seuerus Perinthijs conceſſit. Vnde Perinthus, quæ alio nomine

nc Heraclea vocatur, Metropolis Thraciæ euaſit, & ad eam Exarchica dignitas, quæ initio paulatim ſtabilita fuit, commigraſſe videtur. Porrò Heraclea in adminiſtratione ciuili dignitatem Metropolitanam obtinuit, vſque ad Conſtantini Magni tempora, quibus renouata ciuitate Byzantij Thraciæ Metropolis effecta eſt, vt alibi latiùs oſtendemus.

2. Heracleenſis itaque Exarchatus à tertio ſæculo cœpit, & vſque ad quarti fermè ſæculi finem ius ſuum in Thraciam obtinuit. Vnde canon 6. Nicœnus inter cœteras Eccleſias, quarum iura ſalua voluit, etiam comprehendit Heracleenſem Thraciæ, vt patet ex interpretatione Patrum Conſtantinopolitanorum, qui canone 2. ſtatuerunt: *Secundùm regulas conſtitutas Alexandriæ quidem Epiſcopus ea, quæ ſunt in Aegypto, tantùm gubernet, Orientis autem Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſeruatis honoribus Primatus Eccleſiæ Antiochenæ, quæ in regulis Nicenæ Synodi continentur. Sed & Aſianæ Diœceſis Epiſcopi ea, quæ ſunt in Aſia, & quæ ad Aſianam tantummodò Diœceſim pertinent, gubernent. Ponti autem Epiſcopi Ponticæ tantùm Diœceſis habeant curã; Thraciæ verò, ipſius tantummodò Thraciæ.* Hoc enim canone, cum præter ſedes Patriarchales, tres aliæ Diœceſes in tria Epiſcoporum Collegia diuidantur, & inter ea reperiatur Thracicum, neceſſe eſt, quòd illius Diœceſis Epiſcopi ſibi aliquem Præfectum habuerint auctoritate præ cæteris inſignitum, qui neceſſitate vrgente Concilium conuocaret, in quo inter fratres primam haberet ſententiam, *ne*, vt loquitur Sanctus Leo, *omnes ſibi omnia vendicarent.*

3. Inter tres igitur Orientis Diœceſes autocephalas nec Patriarchis Alexandrino, nec Antiocheno ſubiectas, Thracia vna fuit, quæ iuxta canonem 6. Nicœnum, ac ſecundum Conſtantinopolitanum à ſua Synodo, & Exarcho adminiſtrabatur. Vt enim rectè obſeruat de Marca, huius æquè ac duarum aliarum *Diœceſeon ab Orientali diſtinctarum*, meminit Theodoſius ſenior apud Theodoret. lib. 5. cap. 23. vbi dixiſſe fertur, *omnes Eccleſias Orientis Flauiano Præſuli adhæreſcere, atque præter eas Aſianam præterea Diœceſim, Ponticam, & Thraciam cum eo communicare, eique ſe addixiſſe.* Hæc tempore Innocentij Primi Theodoſius Romæ exiſtens de ijs, qui Paulino fauebant contra Flauianum, expreſsè inter Diœceſes Exarchales Thracicam enumerans, prout etiam poni debet in illa lege Theodoſij ſenioris, quam dedit ad Auxonium Proconſulem Aſiæ, de Epiſcopis Catholicis reſtituendis: *Epiſcopis*, inquit, *tradi omnes Eccleſias mox iubemus, quos conſtabit communione Nectarij Epiſcopi Conſtantinopolita-*

*litanæ Eccleſiæ , Timothei nec non intra Ægyptum Alexandrinæ Vrbis Epiſcopi eſſe ſociatos : quos etiam in Orientis partibus Pelagio Epiſcopo Laodicenſi , & Diodoro Epiſcopo Tarſenſi ; in Aſia necnon Proconſulari , atque Aſiana Diœceſi Amphilochio Epiſcopo Iconienſi, & Optimo Epiſcopo Antiocheno: in Pontica Diœceſi Helladio Epiſcopo Cæſarienſi , & Otreio Meliteno , & Gregorio Epiſcopo Nyſſeno , Terennio* Epiſcopo Scythiæ , Marmario Epiſcopo Marcianopolis communicare conſtiterit .* Duo vltimi namque Epiſcopi Terennius Scythiæ, & Marmarius Marcianopolis erant Thraciæ Epiſcopi , quorum Diœceſeos nomen excidit , vt colligitur ex Sozomeno lib. 7. cap. 9. vbi aſſerit , canonem ſecundum Conſtantinopolitanum à Theodoſio hac lege confirmatum eſſe : *Imperator namque ſtatuta à Synodo Conſtantinopolitana ſuffragio ſuo comprobauit , legemque tulit , vt fides eorum , qui Nicææ olim conuenerant, rata eſſet , vtque omnibus in locis Eccleſiæ ijs traderentur , qui in trium perſonarum ſubſiſtentia , honore , ac poteſtate æqualium , vnam eandemque Deitatem confiterentur Patris , ac Filij , & Spiritus ſancti . Hos autem eſſe definiuit , qui Conſtantinopoli quidem communicarent cum Nectario ; in Aegypto verò cum Timotheo Epiſcopo Alexandriæ ; in Orientis autem Prouincijs eos , qui communicarent cum Diodoro Tarſi Epiſc. & Pelagio Epiſcopo Laodiceæ in Syria ; in Aſiana autem Diœceſi, cum Amphilochio Iconienſi Eccleſiæ Antiſtite ; in Pontica verò Diœceſi à Bithynis vſque ad Armenios eos , qui communione iuncti eſſent cum Helladio Cæſareæ Cappadocum Epiſcopo , & Gregorio Nyſſæ , & Otreio Melitinæ : in Vrbibus denique Thraciæ, ac Scythiæ eos , qui cum Terentio Tomitano , & Martyrio Marcianopolis Epiſcopo communicarent .* Vbi Thraciæ Epiſcopi , prout à cæteris diſtincti ſunt , apud Sozomenum exhibentur .

r Cod. Theod. 10.6. tit. 1. de fide Cath. l. 3

* al. Terentia.

4. Cur autem Tomorum , & Marcianopolis Epiſcoporum hìc mentionem faciat Theodoſius, & non Heracleenſis antiqui Thraciæ Exarchi ? reſpondet Gothofredus , quòd nimirum hæc lex data ſit III. Kalend. Auguſt. Eucherio , & Syagrio Coſſ. hoc eſt eo anno, quo iam VII. Iduum Iuliarum canon ſecundus Concilij Conſtantinopolitani ſtatutus erat, quo Epiſcopo Conſtantinopolitano ſecundæ honoris partes tributæ fuerunt , eò quòd ciuitatem obtineret ſecundam poſt Romam. Vnde & Nectarius ante quinque Diœceſium Orientalium Patriarchas, Exarchos , & Epiſcopos , primo loco nominatur à Theodoſio . Cumque ciuitas Conſtantinopolitana in Thracia conſtituta eſſet , putat Gothofredus , Metropolitanam Diœceſis Thraciæ di-

gnitatem eidem delatam fuiſſe, quod ipſum affirmat Socrates l. 5. c. 8. ſcribens: *Ac Nectarius quidem regiam Vrbem, & Thraciæ Prouincias ſortitus eſt*. Agit autem Socrates de can. 2. Conſtantinopolitano. Vnde Gothofredus ad d. l. Theod. in Comm. *De Thracia equidem facilè aſſentiar, nullum ei hoc tempore alium Exarchum præfuiſſe præter Conſtantinopolitanum, cuius, vt eò redeam, exemplum hac lege proponitur, eique non communicantibus Eccleſiæ adimi iubentur. Ad eum ſanè ipſum Nectarium extat epiſtola inter orationes 46. Gregorij Nazianzeni, qua conqueritur, Arrianos, Eunomianos, Apollinarianos, maximè Eccleſias tum collegiſſe; eumque hortatur, vt apud Imperatorem id agat, quò hæc illis, & poſtremis maximè hæc licentia adimatur*. Hactenus Gothofredus, in cuius ſententia illud vnum difficile videtur, quòd poſt Concilium Generale Secundum nullum Exarchum præter Conſtantinopolitanum Epiſcopum Thraciæ præfuiſſe exiſtimet.

5. Si namque poſteriorum temporum monimenta peruoluamus, reperiemus profectò, Heracleenſem Epiſcopum iure Exarchatus vſum fuiſſe vſq; ad an. 451. quo ſtatutum fuit à Concilio Chalcedon. can. 9. *vt ſi aduersùs Prouinciæ Metropolitanum Epiſcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceſeos, aut ſedem regiæ Vrbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſam iudicetur*. Et rurſùs canone 17. *Quòd ſi quiſquam à ſuo Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceſeos, aut apud Conſtantinopolitanam ſedem iudicetur, ſicut ſuperiùs dictum eſt*. In græco loco *Primatis Diœceſeos*, legitur, Παρὰ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως· ideſt *apud Exarchum Diœceſeos*: nam Concilium Chalcedonenſe ibi loquitur de tribus Exarchis, qui tribus Diœceſibus præerant, Exarcho nimirum Epheſino, qui Diœceſi Aſianæ, & Exarcho Cæſareenſi, qui Diœceſi Cappadociæ, & Exarcho Heracleenſi, qui Diœceſi Thraciæ præpoſiti erant. In hos itaque Exarchatus, ſeu Diœceſes, quia Epiſcopus Conſtantinopolitanus ius quoddam Patriarchicum iam pridem vſurpare cœperat, pluribus ex illarum Diœceſium Epiſcopis ad Sedem Conſtantinopolitanam de grauioribus cauſis referentibus, & eius iudicio ſeſe ſubijcientibus, authoritatem illam ita agnoſcere voluere Patres Chalcedonenſes, vt tamen Exarchorum dignitas quodammodo maneret. Vnde colligere licet, ad hoc vſque tempus Exarchum Heracleenſem Diœceſis Thraciæ Primatem fuiſſe, ad quem cauſæ Metropolitanorum referri poterant. Quamobrē & Lucianus Byzę Epiſcopus pro Cyriaco Heracleenſi ſubſcribit Synodo Chalcedonenſi poſt duos Exarchos Aſiæ, & Ponti ante cæteros Epiſcopos: quod idem obſeruatum eſt in Concilio ge-

generali Sexto, quamuìs ibidem Epheſinus, & Cæſarcenſis Epiſcopi titulum Exarchi aſſumpſerint, non tamen Heracleenſis, qui ſequenti modo ſubſcripſit: *Siſinnius miſericordia Dei Epiſcopus Heracleæ Metropolis Prouinciæ Europæorum ſimiliter ſubſcripſi.* Vbi videre licet, quòd Heracleenſis Epiſcopus ſolo Metropolitani titulo ſeruato, Exarchatus authoritatem ex tunc amiſerat:quod qua ratione factum ſit,infrà videbimus, vbi de Throno Conſtantinop. agemus.

# CAPVT TERTIVM.

## *De Patriarchatu Alexandrino.*

*1. Aegyptiacum Regnum antiquiſſimum eſt omnium veterum ſcriptis celebratum, tandem Romanis ceſſit, & primùm in tres, poſtea in ſex Prouincias ciuiles diuiſum fuit.*

*2. Diſtributionem Prouinciarum ciuilium non obſeruatam fuiſſe pro diſtributione Eccleſiarum Aegypti, ex verbis Diui Hieronymi probare conatur Morinus, qui ne quidem Epiſcopum Alexandrinum ante Heraclæ tempora conſecratum fuiſſe putat.*

*3. Seldenus ex Eutychio Patriarcham Alexandrinum quidem conſecrari conſueuiſſe autumat, ſed à presbyteris Alexandrinis, putatque nullum in Aegypto Epiſcopum vſq; ad tempora Demetrij fuiſſe.*

*4. Aliud quid voluit Decanus Londinenſis. Probare primò contendit, ſolum Alexandrinum Epiſcopum fuiſſe Metropolitanum in tota Aegypto vſque poſt tempora Nicæni Concilij, cuius canonem 6. de Metropolitanis intelligendum exiſtimat. Qua in re quàm grauiter præfati auctores à vero aberrent, paucis indicatur.*

1. QVòd Aegyptus iam inde ab antiquiſſimis tẽporibus Reges ſuos habuerit, qui opibus, & potentia inter cęteros Orbis Reges eminebant, facilè colligitur ex ijs Scripturæ locis, vbi Ioſephi hiſtoria deſcribitur. Libro namque Geneſeos capite 27. & ſequentibus narratur, quòd Iacobi ætate Pharao in Aegypto regnauerit, & non modò opibus conſpicuus, ſed militum quoquè copijs adeò potens fuerit, vt populum Hebræum ex Aegypto proficiſcentem ſtatim inſecutus ſit, & cum ſexcentis curribus, & equitibus quamplurimis in mari rubro perierit. Mortuo autem hoc Pharaone, alij poſt eum regnarunt teſtante Scriptura Regum l. 4. c. 23. tempore Ioſiæ, & Ioachaz, alterum Pharaonem Aegypti Regem terram Iuda imperio ſuo ſubdidiſſe, & Regni Aegyptiaci limites longè latèque protuliſſe, quod etiam de Seſac Aegypti Rege narratur lib. 2. Paralipomenon cap. 12. qui cum mille ducentis curribus, & ſexaginta millibus equitum Regnum Iuda inuaſit & Ieroſolymam vſq; peruenit. Aegyptus itaque ab omni ſcriptorum memoria à ſuis Regibus adminiſtrata fuit, Regnumque eius ad tempora Auguſti Imperatoris ſtetiſſe, enumerata

longa Regum ſerie oſtendit in Chronico ſuo Euſebius, & confirmat Sextus Rufus ſcribens in Breuiario: *Aegyptus omnis ſub amicis regibus fuerat, ſed victa cum Antonio Cleopatra Prouinciæ formam Cæſaris Auguſti tempore accepit, & primus apud Alexandrinos Cornelius Gallus adminiſtrauit*. Eadem habet Ammianus Marcellinus lib. 22. circa finem: *Annales veteres monſtrant, quòd Aegyptus omnis ſub amicis erat antea regibus, ſed ſuperatis apud Actium bello nauali Antonio & Cleopatra Prouinciæ nomen accepit. Ab Octauiano Auguſto poſſeſſam aridam Libyam ſupremo Apionis Regis conſecuti ſumus arbitrio. Cyrenas cum reſiduis ciuitatibus Libyæ Pentapoleos Ptolomæi liberalitate ſuſcepimus*. Regiones, quas vltra Aegyptum enumerat Ammianus, ab eodem Auguſto in Prouinciæ formam redactæ fuerunt, vt teſtantur Strabo, & Dio Caſſius. Vnde Ammianus Marcellinus libro ſuprà citato ſcriptum reliquit: *Tres Prouincias Aegyptus fertur habuiſſe temporibus priſcis, Aegyptum ipſam, & Thebaidem, & Libyam: quibus duas adiecit poſteritas ab Aegypto Auguſtamnicam, & Pentapolim à Libya ſicciore ſeparatam*. Refert hæc verba Abbas Fulienſis in Geographia ſacra, & notat Auguſtamnicam per Gratianum Imperatorem ab Aegypto auulſam, quinimò & Arcadiam vt ſextam Prouinciam ab Imperatore Arcadio alijs adiunctam fuiſſe. Quarè Notitia Prouinciarum Arcadij temporibus concinnata numerat ſex prouincias ſub Præfecto Auguſtali in Diœceſi Aegyptiaca, Libyam nimirum ſuperiorem, Libyam inferiorem, Thebaidem, Aegyptum, Arcadiam, & Auguſtamnicam.

2. Enumeratis Prouincijs ciuilibus, facilè eſſet de Prouincijs Eccleſiaſticis iudicium ferre, niſi ſpecialem in Aegypto adminiſtrationem primis Eccleſiæ temporibus obtinuiſſe, ex nonnullis antiquorum ſcriptorum locis colligere tentaſſent recentiores. Et primum quidem ex loco D. Hieronymi epiſt. 85. vbi: *Alexandriæ à Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos presbyteri ſemper vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant: quomodò ſi exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de ſe, quem Induſtrium vocant*. Ex his namque Hieronymi verbis Ioannes Morinus exercitatione 3. de ſacris ordinationibus cap. 2. §. 4. colligi putat, Alexandrinum Epiſcopum ne quidem ab Epiſcopis creatum fuiſſe, ſed ſola presbyterorum electione in throno conſtitui conſueuiſſe. *Alexandriæ*, inquit Morinus, *nulla conſecratione inauguratos fuiſſe Epiſcopos à tempore Marci Euangeliſtæ ad Dionyſium, hoc eſt annorum propè ducentorum*

*ſpa-*

*ſpatio, ſed presbyteros Alexandrinos mortuo Epiſcopo ſuo vnũ ex ordine, & gremio Eccleſiæ ſuæ elegiſſe, thronoque excelſiori collocaſſe, & Epiſcopum appellaſſe. Quo ſanè exemplo euidentiſſimè conſtat, Hieronymum, nec Alexandrinos agnouiſſe characterem illum, quo Epiſcopus presbytero præſtare dicitur, cum ſuper presbyterum electum nulla ratio, nulla ceremonia, nulla verborum formula vſurpata fuerit.* Hæc Morinus.

3. Abit in diuerſa Seldenus, & Eutychium Patriarcham Alexandrinum, cuius Chronicon ex Arabico in Latinum vertit, ita interpretatur: *Conſtituit item Marcus Euangeliſta duodecim presbyteros cum Anania, qui nempè manerent cum Patriarcha, adeò vt, cum vacaret Patriarchatus, eligerent vnum de duodecim presbyteris, cuius capiti reliqui vndecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham crearent &c. Neque deſijt Alexandriæ inſtitutum hoc de presbyteris, vt ſcilicet Patriarchas crearent, ex presbyteris duodecim vſque ad tempora Alexandri Patriarchæ, qui fuit ex numero illo 318. Is autem vetuit, ne deinceps Patriarcham presbyteri crearent, & decreuit, vt mortuo Patriarcha, conuenirent Epiſcopi, qui Patriarcham ordinarent.* Et paulò poſt: *Ab Anania, quem conſtituit Marcus Euangeliſta Patriarcham Alexandriæ, vſque in tempora Demetrij Patriarchæ ibidem nullus erat in Prouincijs Aegypti Epiſcopus, nec Patriarchæ ante eum crearunt Epiſcopos. Ille autem factus Patriarcha tres conſtituit Epiſcopos, & primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos fecit. Mortuo Demetrio ſuffectus eſt Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos conſtituit viginti.* Vixit Eutychius ante mille, & ducentos fermè annos, adeoque ſatis idoneus Seldeno viſus eſt adſtipulator opinionis ſuæ, qui Epiſcoporum ordinem antiquari poſſe contendit citra Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſpendium, ſi modò poſſet ſententiæ, in quam ipſe pedibus abit, calculum iſtius authoris conciliare. Neque verò Eutychium ſolum in Eutychio ſibi ſuffragaturum ſperat, ſed quæ longiùs Eutychio præſtat, antiquam Aegyptiæ Eccleſiæ conſuetudinem. Cum enim iuxta illius aſſertionem affirmandum videatur, nullum ante tempora Demetrij fuiſſe in Aegypto Epiſcopum, nec non ipſum Aegypti Patriarcham à presbyteris Alexandrinis fuiſſe electum, & creatum vſque ad tempora Alexandri Patriarchæ, non tam Eutychium ſibi fauere, quàm eius deceſſores, ipſamque adeò Alexandrinam Eccleſiam autumat. Ea ſpe permotus, inuitatuſque Seldenus Eutychij Chronicon edidit, vt ſuffragio Alexandrinæ Eccleſiæ oſtenderet, Rempublicam Chriſtianam

nam ſine Epiſcopis regi poſſe; presbyteros Epiſcopis pares eſſe, eoſque poſſe è corpore ſuo Epiſcopum conſtituere, & conſecrare.

4. Succedit huic exauctoratori Epiſcoporum Eduardus Stillindfleet Decanus Londinenſis, non ita tamen, vt Patriarchis, aut Exarchis patrocinetur; nam Metropolitis tantummodò fauet, Anglicanæ ſcilicet Eccleſiæ placitis. Timuit cautus vir Anglicani ſchiſmatis licentiæ, quæ nullam auctoritatem ſupra Metropolitanam agnoſcit, poſtquàm à Romanæ Sedis communione deſciuit: huc veluti in ſacrum collem ſe recepit intenſa ſummo Pontifici manus. Cum vero nuper clementię Diuinæ conſilio admotus Angliæ gubernaculo Catholicus Princeps, in ſæcularis ſeditionis leuamentum videretur opportunè præeſſe, ne orthodoxi Regis exemplum, & authoritas ad obedientiam Apoſtolicæ ſedis plures erudiret, quàm olim ad defectionem impulerant hæreticorum illicia, renouandum Anglicanæ libertatis ſacramentum cenſuere illius Eccleſiæ miniſtri. Decanus itaque Londinenſis, vt imminentem cum Eccleſia Romana communionem auerteret, ſchiſmatis patrocinium eruditione ſua augere tentauit, oſtendere conatus, Anglicanam Eccleſiam hodie conuenire cum antiqua illa, quæ tempore Nicæni Concilij claruit, quo Romanum Epiſcopum nonniſi Metropolitanum fuiſſe contendit. Cum verò non poſſet detrectare Romanum Patriarchatum, niſi & Alexandrinum euerteret, ſtatuente canone ſexto Nicæno, Alexandrino Epiſcopo poteſtatem in Aegyptum, Libyam, & Pentapolim ex antiqua conſuetudine firmatam fuiſſe, *quia Epiſcopo Romano parilis mos erat*; Alexandrinum in primis Antiſtitem in ordinem redigit, & eum nullos ſub ſe Metropolitas olim habuiſſe contendit, ne quiſquam trecentorum octodecim Epiſcoporum teſtimonium vrgeret, indeque inferret, Epiſcopo Romano ſupra plures Metropolitas olim eam poteſtatem competiiſſe, quam Patres Nicæni Alexandrino ſupra omnes Aegypti Prouincias competere teſtati ſunt. Hæc ille, qui primus, quod ſciam, mortalium ſcribere auſus eſt, nullum Metropolitanum pręter Alexandrinum in Aegypto fuiſſe: affert namque, rectè à Rufino expoſita fuiſſe canonis ſexti Nicæni verba, vt nimirùm Epiſcopus Alexandrinus habeat Aegyptiarum, ſicut Romanus ſuburbicariarum Eccleſiarum poteſtatem; & adiungit, rectè vtriuſque auctoritatem parilem dici, quia ſicut nullus erat Metropolita in ſuburbicarijs regionibus excepto Romano Epiſcopo; ita ſolus Epiſcopus Alexandrinus Metropolitanam auctoritatem obtinebat in omnes Aegypti Prouincias. Huc demùm redeunt Decani Londinenſis exceptiones contra ius

Pa-

Patriarchicum, ad vnicum nempè Metropolitanum in tota Aegypto ſtatuendum Nicæni Concilij tempore. Seldenus, vt vidimus, tum Diœceſibus Patriarchas, tum Prouincijs Metropolitas, tum Parœcijs Epiſcopos adimit, vnico docens contextu, nullos olim in Eccleſia primitiua fuiſſe Epiſcopos. Morinus denique, licèt ab Hæreticis diſſentiat, eò tamen cum ſequacibus reuoluitur, vt Epiſcopos Alexandrinos à Marco Euangeliſta ad æuum Dionyſij Alexandrini faciat Eccleſiarum potiùs Oeconomos, quàm Antiſtites, cum nulla manuum impoſitione ſacratos, nulla Eccleſiaſtica ordinatione ſupra cæteros ſacerdotes euectos putet. Contra huiuſmodi ſententias triplici telo antiquos Eccleſiæ ritus, aut Hierarchiam inuadentes; veritatem conabor auxiliariam adducere, quæ vt irritam reddat harum opinionum aciem, ſingillatim vnicuique ſententiæ ſcutum auitæ defenſionis opponam. Monſtrabo namque Eccleſiam Alexandrinam in ordinatione ſui Patriarchæ, in inſtitutione Epiſcoporum, in diſtributione Prouinciarum ſecutam eſſe regulas Apoſtolicas, & imitatam fuiſſe cæteras Chriſtiani Orbis Eccleſias, quæ omnia vt ſuis quæque locis opportunè collocentur, in articulos partiri ſingillatim oportet.

## ARTICVLVS PRIMVS.

### *An, & quando Epiſcopi, & Metropolitæ in Aegypto inſtituti fuerint?*

*1. Epiſcopos in Aegyptò à primis Eccleſiæ temporibus fuiſſe ex Chronico Orientali, alijſque antiquis ſcriptoribus oſtenditur.*

*2. Hadriani Imperatoris teſtimonium à Seldeno allatum id ipſum confirmat, & pluribus locis Euſebius Epiſcoporum Aegypti meminit. Vnde finita perſecutione centum Epiſcoporum Aegyptiorum Synodum celebrauit Alexander Alexandrinus.*

*3. Idem Alexander in Synodica epiſtola Aegypti, & Libyæ Prouinciarum mentionem facit, quibus canon ſextus Nicænus Pentapolim adijcit, cuique Thebaidis Prouinciam adiungi debet, adeò vt quatuor Aegypti Prouinciæ priſcis temporibus fuerint, quarum memoria in ſubſcriptionibus Nicæni Concilij apud D. Athanaſium, & Synodum Hieroſolymitanam extat.*

*4. Ante & poſt Nicæni Concilij tempora Meletius fuit Metropolita Thebaidis, qua de re inter varia antiquorum teſtimonia inſignis Epiphanij locus adſertur.*

*5. Epiphanius præfato loco inter plures regiones Aegypti recenſet duas Mareotides, cum vnus Mareotidis Nomus cognitus ſit, qui agrum Alexandrinum conſtituebat, in quo nullus ante Iſchyram Epiſcopus fuit, ſed ſoli presbyteri, ſeu Parochi ſub Epiſcopo Alexandrino degebant.*

*6. Poſt mortem Epiphanij ab Arcadio noua Prouincia, cui nomen ſuum indidit, facta eſt, adeo vt ab Arcadij temporibus ſex Prouinciæ in Aegypto fuerint, quæ ſub Theodoſio iuniore vndecim numeratæ ſunt, quibus totidem Metropolitani præerant, vt eiuſdem Theodoſij teſtimonio oſtenditur.*

1. Prima controuerſia, quam hoc articulo ſoluendam ſuſcepimus, in eo conſiſtit, an non modò Epiſcopi à primis Eccle-

cleſiæ temporibus, ſed etiam Metropolitani in Aegypti Prouincijs, contra id, quod ex Eutychio Seldenus, & Decanus Londinenſis tradiderunt, conſtituti fuerint? De vtroque affirmo, & ſententiam meam ex antiquis eius Eccleſiæ, alijſque veterum monumentis comprobabo: vtque ab inſtitutione Epiſcoporum incipiã, producatur Eutychius interprete Seldeno contra nos teſtaturus: *Ab Anania, quem conſtituit Marcus EuangeliſtaPatriarcham Alexandriæ, vſque in tempora Demetrij Patriarchæ, ibidem nullus erat in Prouincijs Aegypti Epiſcopus, nec Patriarchæ ante eum crearunt Epiſcopos*. Ita Eutychij verſio, contra quam Chronicon Orientale, vita S. Marci, Alfricus, Rabanus, Notkerus, Nicephorus Calliſtus clamant, ab Antiſtite Alexandrino plures Epiſcopos ante Demetrium in Aegypto fuiſſe creatos. Ipſe enim Marcus cum Eccleſiam Alexandrinam inſtituiſſet, ordinatis ibidem presbyteris abijt in Pentapolim, ibique iuxta Chronicon Orientale manſit *biennio annuncians, & conſecrans ipſis ſacerdotes*. Per ſacerdotes Epiſcopos intelligit, vt patet ex veteri S. Marci vita apud Seldenum: *Pentapolim pergit ...... ordinans Epiſcopos per regiones illas, & clericos*. Idem ſcribunt Alfricus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, & Notkerus in Martyrologio ad 7. Kalendas Maij, vbi expreſsè habent, quòd ſanctus Marcus Aniano Alexandriæ relicto, *alijs quoquè longè latèque Eccleſijs Epiſcopos, presbyteros, & diaconos conſtituerit*. Et vt cæterorum teſtimonia omittam, Nicephorus lib. 2. hiſtoriæ cap. 43. *S. Marcus apud Cyrenæos, & Pentapolitanos quamplurima admiranda fecit, Eccleſias conſtruxit, Clerum, & Epiſcopos, atque alia inſuper, quæ opus erant, ritè & ordine conſtituit*. Ex quibus omnibus patet, iam indè ab Apoſtolorum temporibus Epiſcopos in Aegypto ordinatos fuiſſe.

2. Audiendus eſt in Eccleſiaſtico iudicio gentilis Imperator, quem contra nos adducit Seldenus, vt Eutychio ſuffragetur; quidni? Audiamus, ea vis eſt veritatis, quam olim ſatis depinxit Seneca, vt volentem ducat, nolentem trahat; error enim vel inuitus veritati patrocinatur. Audiamus itaque teſtimonium ex Adriani Cæſaris epiſtola deſumptum, quod his verbis ex libris Phlegontis liberti eius in Saturnino exhibet Flauius Vopiſcus: *Adrianus Auguſtus Seruiano Coſ. S. Aegyptum, quam mihi laudabas, Seruiane cariſſime, totam didici leuem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi, qui Serapim colunt, Chriſtiani ſunt, & deuoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt*. Hoc ergo contra Epiſcopos vtitur teſtimonio Seldenus, vtinam ſæpè,

pè, vtinam plures ita nobis aduerſantes congerat. Nullo enim antiquiori fermè teſte Epiſcoporum in Aegypto præſentiam probabimus, quàm Hadriano Cæſare, qui non multum poſt initium ſecundi ſæculi Aegyptum peragrauit, & ad Seruianum Conſulem ſcribens apud Aegyptios Epiſcopos conſtitutos reperit. Imperatoris itaque teſtimonio reuincit ſuum ex Eutychio errorem Seldenus, adeò vt cauſa cadere ipſum neceſſe ſit. Credidit ille ex Eutychio, nullum in Aegypto Epiſcopum fuiſſe ante tempora Demetrij, qui diù poſt Hadrianum vixit; Hadrianus è contra ſuo tempore, adeòque ante Demetrium Epiſcopos in Aegypto reperit. Dolendum omninò eſt, complura Aegyptiacæ Eccleſiæ monumenta perijſſe; nam ex ijs, ſi ſupereſſent, facilè conſtaret, plures Epiſcopos per omnes Aegypti ciuitates primis temporibus inſtitutos fuiſſe; Demetrium tres Epiſcopos conſecraſſe; & Heraclam Demetrij ſucceſſorem viginti alios ordinaſſe, ipſe Eutychius fatetur. Inter Martyres, quos in perſecutione Deciana obijſſe ſcribit Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Fabium Antiochenum, nominat Chæremonem *Nili Vrbis Epiſcopum*. Extat hæc epiſtola libro 6. hiſtoriæ apud Euſebium c. 42. qui lib. 7. c. 21. teſtatur, Dionyſium inter plures epiſtolàs de paſchatis die quandam miſiſſe *ad Hieracem vnum ex Aegypti Epiſcopis*. Et capite 24. Nepotis cuiuſdam *Epiſcopi Aegypti* meminit, & cap. 26. Dionyſium *ad Baſilidem Pentapolitanum Epiſcopum* ſcripſiſſe aſſerit. Omitto nomina Epiſcoporum, qui ſub Diocletiano in Aegypto paſſi ſunt, inter quos Phileam Eccleſiæ Thmuitarum Epiſcopum recenſet Euſebius lib. 8. cap. 9. cuius inter alios quoquè meminit cap. 13. his verbis: *Ex ijs porrò, qui Alexandriæ, & per totam Aegyptum, ac Thebaidem nobili martyrio perfuncti ſunt, primus omnium nominandus eſt Petrus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus Chriſtianæ religionis doctor eximius ... Præterea Phileas, & Heſychius, Pachumius, ac Theodorus, diuerſarum in Aegypto Eccleſiarum Epiſcopi*. Quid enim in his commemorandis inhæremus, cum ſedata perſecutionum tempeſtate, pluſquàm centum Epiſcopos in Aegypto ſuperfuiſſe conſtet? Alexander enim Petri in ſede Alexandrina ſucceſſor contra Arium Synodum centum Epiſcoporum ex Aegypti, & Thebaidis prouincijs ante Nicæni Concilij tempora coëgit. Qua de re ipſe Alexander in epiſtola, quam ad omnes vbique Epiſcopos miſit: *Ario igitur, & eius fautoribus, qui iſta aſſerunt, & de ijſdem tam impudenti ore loquuntur vnà cum illis, qui eius opinioni aſſentiuntur, nos cum alijs ferè centum Aegypti, & Libyæ Epiſcopis in vnum conuenientes, anathe-*

*thema denuntiauimus*.

3. Extat memorata Alexandri epiſtola apud Gelaſium Cyzicenum libro 2. hiſtoriæ Nicæni Concilij cap. 3. & apud Socratem lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 3. ex qua colligimus, non modò plures Epiſcopos ab antiquiſſimis temporibus in Aegypto fuiſſe, ſed illos quoquè in diuerſis Prouincijs habitaſſe. Id enim Alexander Alexandrinus ſignificat, dum in illa epiſtola Prouinciæ ſuę meminit, & poſteà Aegypti, & Libyæ Epiſcopos in vnum conueniſſe aſſerit. His duabus prouincijs canon 6. Nicænus tertiam adijcit, tres enim Aegyptiaci Regni Prouincias nominat, Aegyptum nimirum, Libyam, & Pentapolim, quibus addi debet Thebaidis Prouincia, vt videre eſt in Catalogo ſubſcriptionum Nicæni Concilij, in quo ſub Prouincia Thebaidis exhibentur varij Epiſcopi, qui ex illa profecti Concilio Nicęno adfuerunt. D. Athanaſius, qui in minoribus conſtitutus Concilio Nicæno interfuit, & in Alexandri Patriarchæ Alexandrini locum ſucceſſit, apologia 2. Synodum ex Diœceſi Aegypti deſcribens, præfatas quatuor Prouincias his verbis commemorat: Ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ συναχθεῖσα, ἀπό τε τῆς Αἰγύπτου, καὶ τῆς Θηβαΐδος, καὶ Λιβύης, καὶ Πενταπόλεως· *Sancta Synodus Alexandriæ congregata ex Aegypto, Thebaide, Libya, & Pentapoli*. Et Synodus Hieroſolymitana epiſtolam encyclicam de receptione Arrianorum his verbis inſcribit: *Sacra Synodus Dei gratia Hieroſolymis congregata, Eccleſiæ Dei apud Alexandrinos, omnibuſque per Aegyptum, Thebaidem, Libyam, Pentapolim, & vbique per orbem Epiſcopis, presbyteris, diaconis in Domino ſalutem*. Vbi quatuor eædem prouinciæ Aegyptiacæ referuntur. Cum igitur tam ante, quàm poſt Nicæni Concilij tempora, quatuor Prouinciæ Eccleſiaſticæ in Aegypto fuerint, quæ vſque ad Athanaſij Patriarchatum obtinuerunt, quatuor Metropolitanos fuiſſe oportuit.

5. Quamuìs autem ob defectum monimentorum Eccleſiaſticorum lateat, quinam in varijs Aegypti prouincijs Metropolitæ fuerint, in Diſſertatione tamen, quam de Patriarchali, & Metropolitica dignitate contra Decanum Londinenſem edidi, oſtendi Meletium ante, & poſt tempora Nicæni Concilij Metropoliticum munus in Aegypto obtinuiſſe. Refert Diuus Athanaſius in apologia ſua ad Imperatorem Conſtantium epiſtolam Arſenij cum hac epigraphe: *Athanaſio beatiſſimo Pontifici Arſenius Epiſcopus ciuitatis Hypſelitarum, cui aliquando præfuit Meletius*. Ex qua epigraphe, vti conſtat, Meletium Hypſelitanum quondam Epiſcopum fuiſſe; ita prorſus colligitur, eum mutato Epiſcopatu ad alium tranſmigraſſe, prout

ipſe

ipſe Meletius in Breuiario, quod ante Nicæni Concilij tempora Petro Patriarchæ Alexandrino obtulit, & à D. Athanaſio in eadem Apologia refertur, omninò indicat, dum nomen ſuum ſic exhibet: *Ego Meletius in Lyco*. Fuere tam Hypſela, quam Lycus, ſiue Lycopolis, primæ Thebaidis Ciuitates, ideòque Meletius relicta Hypſelitarum ciuitate ad Lycopolitanam tranſmigrarat, quia Lycopolitana ciuitas ante conditum ab Hadriano Imperatore Antinoem, Metropolis Thebaidis fuerat, idque in Eccleſiæ diſtributione ante Nicæni Concilij tempora obtinuerat. Quamobrem in eodem Breuiario Meletius Archiepiſcopus vocatur à Ioanne Memphis Epiſcopo, qui ita ſubſcribit: *In Memphi Ioannes iuſſus ab Imperatore, vt eſſet vnà cum Archiepiſcopo*. Quamuis enim Memphis ſub Arcadiæ Prouincia reperiatur, Arcadia tamen nondum Meletij temporibus à Thebaide auulſa erat, adeòque Ioannes Mempheos Epiſcopus Meletium vt ſuum Archiepiſcopum ſiue Metropolitanum agnoſcebat. Quòd autem Meletius reuerà Archiepiſcopus fuerit Petri Alexandrini temporibus, clarè teſtatur D. Epiphanius hæreſi 68. vbi ait, Meletium in perſecutione Diocletiani, & Maximiani vnà cum Petro Alexandrino carceribus incluſum præclarum Chriſtianæ fidei teſtimonium dediſſe: *Qui*, inquit, *in illa perſecutione Diocletiani, vnà cum ſancto Petro Epiſcopo & martyre, cæteriſq; Martyribus comprehenſus eſt ab Alexandriæ & Aegypti Præfectis, quibus hoc ab Imperatoribus mandatum fuerat. Præerat tum Thebaidi Culcianus, Alexandriæ verò Hierocles. Meletius itaq; cum Martyribus, ac præcipuè Petro Archiepiſcopo Alexandrino, tùm in vinculis habebatur. Atque ille quidem cæteris Aegypti Epiſcopis antecellens ſecundum à Petro dignitatis locum obtinebat, vtpotè illius adiutor, ſed eidem tamen ſubiectus, & ad ipſum de cauſis Eccleſiaſticis referens. Hic enim mos eſt Alexandrinorum Epiſcoporum, vt per totam Aegyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Ammoniacam, Mareotidem, & Pentapolim Eccleſiaſtica negotia adminiſtrent*. In hoc Epiphanij loco integrè exſcripto plura obſeruatu digna occurrunt, ac illud in primis, quod de Meletio ait: *Atque ille quidem cæteris Aegypti Epiſcopis antecellens ſecundum à Petro dignitatis locum obtinebat*. Ex illis enim verbis colligitur, Meletium fuiſſe Thebaidis Metropolitanum, quod idem Epiphanius hæreſi 69. expreſsè teſtatur, dum *Meletium Thebaidis in Aegypto Archiepiſcopum* vocat. Et rurſus ibidem: *Meletius Archiepiſcopus in Aegypto, & Alexandro ſubiectus*. Cum igitur Epiphanij teſtimonio conſtet, Meletium Archiepiſcopum fuiſſe, Alexandro tamen,

& Petro Alexandrinis Epiſcopis ſubiectum, patet omninò falſum eſſe, quod Decanus Londinenſis in libro de originibus Britannicis aſſeruit, vſque ad tempora Nicæni Concilij vnum dumtaxat Metropolitanũ in tota Aegypto fuiſſe Epiſcopum.

5. Meminit Epiphanius loco ſuperiùs citato Aegypti, Thebaidis, Mareotidis, Libyæ, Ammoniacæ, Mareotidis, & Pentapolis, quas tum varias Aegypti Prouincias fuiſſe indicat Petauius in Epiphanij indice, cum tamen certum ſit ab Epiphanio hìc potiùs varias Aegypti regiones, quàm Prouincias Eccleſiaſticas nominatas fuiſſe. Duas Mareotidis regiones recenſet Epiphanius, quarum vna tantùm nota eſt, illa nimirum, quæ agrum Alexandrinum complectitur, & Mareotis Nomus vocatur. Hæc autem nunquam Prouinciæ nomen obtinuit, ſed ſpecialis Alexandrini Epiſcopi Parochia fuit, & vſque ad D. Athanaſij tempus nullum Epiſcopum habuit. Conſtat id ex ipſo Athanaſio, qui apologia 2. maximè conqueritur, Iſchyram in præmium confictæ de fracto calice calumniæ ab Arianis in Mareotidis agro primum Epiſcopum conſtitutum. *Mareotes enim*, inquit D. Athanaſius, *ager eſt Alexandriæ, quo in loco numquam Epiſcopus fuit, immò ne Chorepiſcopus quidem, ſed vniuerſæ eius loci Eccleſiæ Epiſcopo Alexandrino ſubiacent: ita tamen vt ſinguli pagi ſuos presbyteros habeant. Sunt autem pagi iſti maximi decem numero, aut aliquantò plures. Pagus autem, vbi habitat Iſchyras, minimus eſt, & pauciſſimorum hominum, adeò vt non ibi, ſed in proximo pago Eccleſia conſtituta ſit. Nihilo tamen minus hominem, qui ne presbyter quidem erat huius pagi, præter maiorum traditionem Epiſcopum appellauerunt &c.* Extat apud eundem Athanaſium Mareotidis Cleri epiſtola, quam ad Philagrium Aegypti Præfectum miſerunt *Presbyteri, & diaconi Mareotici, ex regione, & Nomo, cuius Epiſcopatum gerit reuerendiſſimus Athanaſius*. Ijdem presbyteri, & diaconi Mareotici ad Tyrium Conciliabulum litteras miſerunt, iiſque quindecim presbyteri totidemque diaconi nominatim ſubſcribunt, quot & non plures in Mareotica regione tunc fuiſſe, ipſa epiſtolæ inſcriptio indicat: οἱ κατὰ Μαρεώτην πάντες πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι, *omnes presbyteri, & diaconi Mareotici*. Illi autem fatentur in ſua epiſtola, ſolum Athanaſium in Mareotica regione Epiſcopum fuiſſe: *Iſchyras*, inquiunt, *numquam ex ſacris Eccleſiæ comminiſtris fuit*. Et infrà: *Ante omnia dicimus, illum nullam vnquam Eccleſiam in Mareote habuiſſe, qua in re Deum teſtem facimus, neque calicem vllum confractum eſſe, neque menſam à noſtro Epiſcopo Athanaſio, neque à quoquam aliorum*,

*rum, qui cum illo degunt, euerſam eſſe, nihilque in iſtis verbis eſſe, niſi calumniam. Et iſta quidem vt conſcij pro teſtimonio loquimur, vtpotè qui nec longis finibus ab Epiſcopo diſtamus, & comites ei in luſtranda Mareote adhæſimus. Numquam enim ille ſolus viſitandi cauſa itinera obire ſolet, ſed comites ſecum habere presbyteros, & diaconos, & non paucos ex plebe. Et quia illi per omnia itinera comites fuimus, quo tempore ad nos acceſſit; ideò hæc vobis pro teſtimonio dicimus, nec poculum confractum eſſe, nec menſam ſubuerſam: ſed omnia Iſchyram mentiri &c.* Hæc ipſi presbyteri Mareotici, ex quibus, alijſque locis ſuprà allatis cõſtat, Mareotidem fuiſſe ſpecialem Alexandrini Epiſcopi Parochiam, nullumque in ea alium Epiſcopum fuiſſe vſque ad D. Athanaſij tempora, adeòque Prouinciam Eccleſiaſticam à Diuo Epiphanio nequaquam vocatam fuiſſe, prout non ſunt cæteræ regiones, quarum ſuperiùs meminit.

6. Mortuus eſt Epiphanius iuxta Valeſium in notis ad Socratem, & Sozomenum anno circiciter 402. quo Gratianus quidem Auguſtamnicam ab Aegypto diuiſerat; Arcadius tamen nondum Arcadiæ Prouinciam à Thebaide ſeparauerat, vt contigit poſt Epiphanij obitum, dum in Aegypto eſſe cœperunt ſex Prouinciæ, quarum Notitia Imperij Arcadij temporibus conſcripta his verbis meminit: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Præfecti Auguſtalis Prouinciæ infraſcriptæ: Libya ſuperior, Libya inferior, Thebais, Aegyptus, Arcadia, Auguſtamnica.* Cum autem tot Prouinciæ Arcadij temporibus in Aegypto fuerint, neceſſe eſt Eccleſiam Aegyptiacam ſe conformaſſe ad diuiſionem Imperij, quod confirmat Cyrillus Patriarcha Alexandrinus epiſtola ad Atticum ſcribens: *Aegyptum, regionem etiam Auguſtalem, & Arcadiam, & Thebaidem, & Libyam, & Pentapolim, & tot Eccleſias dolore afficis.* Hîc enim videre licet, Prouincias ciuiles pro Eccleſiaſticis ſumi, quod clariùs patet ex Theodoſio iuniore, qui paucis poſt Arcadium annis regnare cœpit, dum ſub Patriarcha Alexandrino decem omninò Metropolitas in Aegypto numeratos fuiſſe indicat. Conſtat id ex epiſtola ipſius Theodoſij Imperatoris, qua Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum ad Synodum Epheſinam euocauit: *Igitur tua ſanctitas, ſumptis ſecum decem reuerendiſſimis Metropolitis Epiſcopis, qui ſub tua degunt Diœceſi, & alijs ſimiliter decem Epiſcopis ...... Epheſum Metropolim Aſiæ conuenire abſque vlla dilatione feſtinet.* Vbi notanda ſunt hæc Theodoſij verba: *Decem Metropolitis Epiſcopis, qui ſub tua degunt Diœceſi.* Ex his enim adeò liquidò conſtat, vltra Aegypti Prouinciam, cui Patriarcha Alexan-

xandrinus tanquam Metropolitanus præerat, fuiſſe alias decem Prouincias Eccleſiaſticas, vt ijs ſingulis, ſingulos Metropolitanos præpoſitos fuiſſe dicat. Quòd igitur vndecim Metropolitani olim in Aegypto fuerint, conſtat, quamuis non de omnibus notum ſit, in quibus Ciuitatibus conſtituti erant. Antiqua enim Leonis Sapientis Notitia in Commentarijs meis de Concilio Antiocheno edita, inter decem Prouincias Aegypti exhibet tres, quibus nullam Metropolim aſſignat, *ſecundam* nimirum *Aegyptum*, *Libyam Pentapolitanam*, & *Prouinciam Tripolitanam*, quæ vltima non ad Alexandrinum Patriarcham, ſed ad Primatem Carthaginenſem primis Eccleſiæ ſæculis ſpectabat; adeò temporibus Leonis Sapientis, qui nono ſæculo Imperium Conſtantinopolitanum tenuit, confuſus erat ordo Eccleſiarum. Cæterùm ex eius Notitia noſcuntur ſeptem Aegyptiacæ Eccleſiæ Metropoles, *primæ Aegypti Alexandria*, *Auguſtamnicæ primæ Peluſium*, *Auguſtamnicæ ſecundæ Leonto*, *Arcadiæ Oxyrincbus*, *Thebaidis primæ Antino*, *Thebaidis ſecundæ Ptolemais*, & *Prouinciæ Lybiæ Dranicon*, *ſeu Darnis*.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *De ordinatione Patriarchæ Alexandrini; an, & quo ritu olim peracta fuerit?*

*1. Quòd Patriarcha Alexandrinus olim non fuerit conſecratus Epiſcopus, citato Hieronymi teſtimonio tenet Morinus; vnde Seldenus, & Marcus Antonius de Dominis ſtatuunt, pro Eccleſiæ gubernatione neceſſarios non eſſe Epiſcopos.*

*2. S. Marcum à Petro Apoſtolo fuiſſe Epiſcopum creatum, & poſt Marcum ordinatum fuiſſe Anianum, ex Chronico Orientali, & Euſebio monſtratur, ac Cypriani teſtimonium adfertur, quo conſtat, ritum conſecrandi Epiſcopos per omnes ferè Prouincias obtinuiſſe.*

*3. Teſtimonium D. Hieronymi à Morino allatum agit de nominatione, ſiue electione, quæ à Presbyteris Alexandrinis fiebat, non conſecratione, quæ ad Epiſcopos ſpectabat, vt ex ipſius Hieronymi verbis oſtenditur, ex quibus Eutychius explicatur.*

*4. Loca Epiphanij, & Liberati hac de re adducuntur, ex quibus Morinus probare nititur, quòd vſque ad Liberati Archidiaconi Carthaginenſis tempora Epiſcopus Alexandrinus à presbyteris electus ſine ordinatione legitimè ſederit.*

*5. Morinum erraſſe, quia inter ordinationem, & electionem non diſtinxit, ex eo patet, quòd certum ſit, ante Liberati tempora Patriarchas Alexandrinos fuiſſe Epiſcopos ordinatos, probaturque exemplis eorum, qui à Sancto Marco vſque ad Heraclam Alexandriæ ſederunt.*

*6. Idem de Heracla teſtatur Euſebius, de Alexandro Eutychius, de D. Athanaſio poſt Epiphanium Sozomenus, apud quem Ariani fatentur, Athanaſium ab Epiſcopis conſecratum fuiſſe.*

*7. De ordinatione quoquè Athanaſij teſtantur Aegyptij Epiſcopi in epiſtola Synodica ad omnes totius orbis Epiſcopos data.*

8. *Idem*

8. *Idem tempore Chalcedonenſis Concilij obſeruatum cum Proſerio, ex Liberato Archidiacono Carthaginenſi oſtenditur contra Morinum, cuius error hac in re corrigitur.*

Rectè, vt arbitror, primam controuerſiam ſoluimus, ipſiſque aduerſantium ſcriptorum teſtimonijs abundè ſuffragantibus conſtitit, plures in Aegypto Epiſcopos primis Eccleſiæ ſæculis extitiſſe. Verùm quia de legitima illorum auctoritate aliquo modo videtur Morinus excipere, dum antiquiſſimos ordinandorum Epiſcoporum ritus, & canonum inſtitutionem prioribus ſæculis denegat, prouocati prorſus ad ſecundam de Patriarchatu quæſtionem accedimus, ad aſſerendam Patriarchæ Alexandrino ordinationem, & ritus, quibus olim peracta fuerit, expediendos. Libellum porrigit in hac lite Morinus D. Hieronymi verbis conceptum ex eiuſdem epiſtola 80. vbi ait, quòd presbyteri vſque ad Dionyſium *vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominarint*. Concludit Morinus: *Alexandriæ nulla conſeeratione inauguratos fuiſſe Epiſcopos à tempore Marci Euangeliſtæ vſque ad Dionyſium, hoc eſt annorum propè ducentorum ſpatio*. Ex teſtimonio autem Eutychij Patriarchæ Alexandrini tradentis duodecim presbyteros Alexandrinos vnum ex ſuo corpore eligere conſueuiſſe, cuius capiti reliqui vndecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham crearent, concludit Seldenus, Epiſcoporum ordinationem neceſſariam non eſſe, ſed presbyteros poſſe ex corpore ſuo præpoſitum conſtituere, & conſecrare, & Rempublicam Chriſtianam adinſtar Alexandrinæ Eccleſiæ ſine Epiſcopis regi, & gubernari poſſe. Quod idem voluit Marcus Antonius de Dominis libro 2. de Republica Chriſtiana capite 3. vbi ex Diui Hieronymi teſtimonio presbyteros Epiſcopis æquales olim fuiſſe contendit.

2. Verùm plura de ordinatione Epiſcopi Alexandrlni ab antiquis dicta ſunt, quæ in peruerſum ſenſum recentiores ſcriptores traxerunt, vnde tot errores emanarunt. De Marco Euangeliſta habet Chronicon Alexandrinum, *Alexandriæ Epiſcopum creatum fuiſſe*. In græco legitur verbum χειροτονία quod ſignificat creatum fuiſſe per manus impoſitionem, Petri nimirum Apoſtolorũ Principis, qui Marcum in Aegyptum miſit. Eodem modo per manus impoſitionem Anianum ſucceſſorem creatum fuiſſe, docet Euſebius in Chronico his verbis: *Poſt Marcum Euangeliſtam primis Alexandrinæ Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus Anianus*. Mortem Marci Euangeliſtæ ponit D. Hieronymus libro de ſcriptoribus octauo Neronis anno: *Et ſepultus eſt*, inquit, *Alexandriæ ſuccedente ſibi Aniano*. Ex quo loco obiter notandum eſt, Anianum

capiti *reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham conſtituerent*. Sed hæc manus impoſitio à presbyteris facta, benedictio, & conſtitutio non erat ordinatio vera; ſed vel electio, vel electionis approbatio, vt optimè probat Abramus Ecchellenſis in ſuo Eutychio Vindicato parte 1. cap. 2. ex vetuſtiſſimis Eccleſiæ Alexandrinæ conſtitutionibus, in quibus negata presbyteris ordinandi, vel conſecrandi Epiſcopum auctoritate, præſcribitur iiſdem duplex manuum impoſitio præcedens conſecrationem ab Epiſcopo factam. Intelligit autem Ecchellenſis illam duplicem, ſcilicet priuatam, & publicam presbyterorum. Prętereà vox illa Eutychij Arabica non ſignificat *crearent*, vt vertit Seldenus, ſed *dignum iudicarent*. Falſum itaque eſt, presbyteros vni ex compresbyteris ſuis ita manus impoſuiſſe, eumque benedixiſſe, vt conſecrarent. Hæc enim manuum impoſitio, & conſecratio nunquã ad presbyteros ſpectauit, nunquam à Presbyteris Alexandrinis peracta fuit. Illud ſanè verum eſt, presbyteros Alexandrinos ſtatim poſt obitum defuncti Patriarchæ ad electionem noui Patriarchæ veniſſe, & vnum ex ſe electum in excelſiori gradu conſtitutum Epiſcopum nominaſſe.

4. Eutychius igitur electionem licèt apertè ab ordinatione non diſtinxerit, tamen morem Alexandrinæ Eccleſiæ non aliter, quàm primis Eccleſiæ ſæculis obtinuit, poſterorum memoriæ conſecrauit. D. Hieronymus ſolam electionem Epiſcopi à presbyteris Alexandrinis olim peractam fuiſſe innuit, quod D. Epiphanius Hieronymo æqualis hoc modo hæreſi 69. deſcribit: *Cum hæc ſit Alexandriæ conſuetudo, vt poſt Epiſcopi mortem ſucceſſor diutiùs non differatur, ſed ſubindè pacis tuendæ cauſa ſubrogetur, ne alijs hunc, alijs illum amplectentibus, iurgia in vulgus, & contentiones exiſtant*. Ad hoc Epiphanij teſtimonium Ioannes Morinus exercit. 7. cap. 7. §. 17. *Longum*, inquit, *fuiſſet nimis, & moroſum, Epiſcopos ad electionem conuocare, ideò mortuo Epiſcopo, & peractis exequijs, Clerus Vrbicus ſtatim congregabatur, & ad alterius Epiſcopi electionem procedebat*. Huic electioni nullam conſecrationem ſucceſſiſſe putat Morinus exercitat. 3. capite 2. cuius epitome hæc eſt: *Alexandriæ presbyter electus Patriarcha non conſecrabatur*. Modum autem, quo poſt Hieronymi tempora inauguratio fiebat, putat colligi poſſe ex Liberato Carthaginenſi in Africa Archidiacono, cuius verba in Breuiario per Ioannem Garnerium correctiùs edito ſunt iſta cap. 20. *Conſuetudo quidem eſt Alexandriæ, illum, qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram eius capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis acci-*

*pere collo ſuo beati Marci pallium, & tunc legitimè ſedere. Dum hæc Theodoſius nocte pertentat, cognouerunt populi, & Monaſteria, quid eſſet factum veſpere in Epiſcopo ſtudio Calotychÿ, & iudicum, id eſt Ariſtomachi Ducis, & Dioſcori Auguſtalis. Ex quo teſtimonio*, inquit Morinus exercit. 7. cap. 7. num. 10. *colligitur euidenter, ducentis ſaltem poſt Alexandrum annis presbyteros Alexandrinos, non Epiſcopos, Patriarcham elegiſſe: nec presbyteros, nec Epiſcopos, nec quoſuis alios manũ electo impoſuiſſe.*

5. Verùm pace Morini dictum ſit, diù ante Liberati tempora Patriarchæ Alexandriæ conſecrati fuerunt. Quæ enim Epiphanius, & Liberatus narrant, ad electionem, & inthronizationem ſpectant, non ad conſecrationem. Quoad electionem namque, & inthronizationem varij ritus Alexandriæ obtinuerunt. Quoad ordinationem nulla vnquam mutatio contigit, ſed idem ſemper ritus obtinuit. Electio Patriarchæ Alexandrini duobus primis ſæculis ad eiuſdem Eccleſiæ presbyteros ſpectauit, qui ſemper vnum ex corpore ſuo eligebant, & in throno collocabant, quod teſte Hieronymo vſque ad tempora Dionyſij Alexandrini obtinuit. Poſt tempora verò Dionyſij, vel, vt alij volunt, à tempore Alexandri Patriarchæ Alexandrini, plebis aſſenſus, & vicinorum Epiſcoporum ſuffragium neceſſaria eſſe cœperunt, vt electio legitimè perageretur. Cœpit quoquè alius ritus quoad inthronizationem, vt nimirum nouiter electus excubias priùs ſuper defuncti corpus ageret, manumque eius dexteram capiti ſuo imponeret, illumque ſepeliret: ſepulto autem manibus ſuis accipiebat B. Marci pallium, quod collo ſuo appendebat, ſicque teſte Liberato legitimè ſedere incipiebat. Et hæc quidem loco vſitatæ inthronizationis fiebant, manente ſemper ritu ordinationis ſeu manuum impoſitionis, quam à temporibus Apoſtolorum obtinuiſſe Alexandriæ oſtendimus ſuprà ex ordinatione Sancti Marci Euangeliſtæ, cui ſucceſſiſſe Anianum, teſtis eſt Euſebius Cæſarecnſis, qui de eo ſic ſcribit: *Poſt Marcum Euangeliſtam primus Alexandriæ Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus.* De Aniani ſucceſſore Meliano ad annum 99. refert Chronicon Orientale ab Abrahamo Ecchelenſi editum: *Scriptum eſt in vitis Patriarcharum: Aſſumpſerunt hominem nomine Melianum, & ordinauerunt eum Patriarcham ſuper ſede Marci, creuitque numerus fidelium in Aegypto, Pentapoli, & Africa.* Ordinationis item meminit Chronicon Orientale in pleriſque Patriarchis, nominatim verò in Iuliano ad annum 191. cui nocte, qua moriturus erat, dicitur apparuiſſe Angelus Dei, & inquirente populo de futuro poſt ipſum Patriarcha, Iulia-

lianum indicaſſe Demetrium: *Hic eſt*, inquit, *Patriarcha veſter, quemadmodum præcepit mihi heſterna nocte Angelus Dei, quem autem tenentes vinculis ferreis obſtrinxerunt, & ordinauerunt Patriarcham*. Et hæc quidem de ijs, qui ante tempora Heraclę, aut Dionyſij Alexandriæ ſederunt.

6. Nunc de ipſo Heracla, & ijs, qui eum ſecuti ſunt, agendum eſt. Ac de Heracla quidem habet Euſebius in Chronico: *Alexandrinæ Eccleſiæ duodecimus Epiſcopus ordinatur Heraclas*. De Alexandro, qui tempore Concilij Nicæni floruit, fatetur Eutychius Patriarcha Alexandrinus, quòd ſtatuerit, ab Epiſcopis ordinandum eſſe, & eligendum Patriarcham Alexandrinum. Ipſe Epiphanius, quem Morinus putat laudaſſe conſuetudinem Eccleſiæ Alexandrinæ, de conſtituendo ibidem Epiſcopo ſine Epiſcoporum manus-impoſitione, hæreſi 68. refert de Meletio, quòd poſt obitum Alexandri prætermiſſo, quem Alexander deſignauerat, Athanaſio, *Theonam quemdam nomine ſubſtituit, qui menſibus tribus peractis mortuus eſt, & non longè poſteà aduenit Athanaſius poſt Theonæ obitum, & vndique congregatus eſt Orthodoxorum conuentus, & ſic ipſius conſtitutio facta eſt, & traditus eſt ipſi thronus digno*. Meminit Epiphanius Orthodoxorum conuentus, quem pro ordinatione Athanaſij ait fuiſſe celebratum; in eo autem Epiſcopos adfuiſſe, qui ipſum ordinarent, apud Sozomenum libro 2. hiſtoriæ cap. 16. & Nicephorum lib. 8. capite 44. teſtati ſunt Ariani, dicentes, quòd *Alexandro mortuo quinquaginta quatuor Epiſcopi, qui partibus Alexandri & Meletij fauebant, ex Thebaide & reliqua Aegypto in vnum coacti communicarunt inter ſe de Epiſcopo creando: & dato iure iurando, communibus ſuffragijs conſenſerunt de vno eligendo, qui Eccleſiæ Alexandrinæ gubernacula ſuſciperet: ſed ſeptem eorum violato iure iurando contra omnium voluntatem clam Athanaſium Epiſcopum ordinaſſe*. Negare non poterant Ariani, quòd Epiſcopi ad electionem Athanaſij euocati erant, & numero quinquaginta quatuor ex omnibus Aegypti Prouincijs eius ordinationi adfuerant; ſed odio, & inuidia moti dixerunt, cum pauciſſimi Epiſcopi eſſent, qui Athanaſij mentionem facerent, ſex aut ſeptem ex ijs clanculum & in loco obſcuro eum in Præſulem ordinaſſe: atque hæc eadem Imperatoribus ſcripſère.

7. Idem teſtantur in epiſtola encyclica Synodi Alexandrinæ totius Aegypti, Thebaidis, Libyæ, & Pentapolis Epiſcopi, vbi contra Arianorum calumnias pro Athanaſio ſcribunt: *Nos autem contrà cum tota Ciuitate & vniuerſa Prouincia teſtamur, omnem multitudinem, populumque Ca-* D. Athan. in Apol. 2.

*tholicæ Eccleſiæ in vnum coactum, quaſi in ſpeciem vnius corporis, & animæ clamoribus vociſerationibuſque poſtulaſſe, Athanaſium Eccleſiæ Epiſcopum dari, idque publicis votis à Chriſto expetiiſſe, noſque, vt faceremus, per multos dies, ac noctes iure iurando obteſtatos fuiſſe, cum interea nec ipſi ab Eccleſia diſcederent, neque nobis diſcedendi facultatem permitterent.* Porrò huic teſtimonio Aegyptiacorum Epiſcoporum, qui rerum meminerunt ſub ipſis geſtarum, idque in Synodica epiſtola, quæ in ipſa vrbe Alexandrina ſcripta erant, quam non modò Iulius Primus citat, ſed integram ipſe Patriarcha Alexandrinus, & fidei athleta Athanaſius Apologiæ ſuæ ſecundæ inſeruit, magis credendum arbitror, quàm aliorum ſcriptorum teſtimoniis, ex quibus malè intellectis deducere conatus eſt Morinus, morem Alexandriæ perſeueraſſe de conſtituendo ſine conſecratione vſque ad Liberati tempus Patriarcha Alexandrino. Contrarium enim ab Alexandro ſtatutum ſcripſit ipſe Eutychius, & pro Alexandri ſucceſſore Athanaſio aliter obſeruatum fuiſſe, probat authenticum totius Aegypti teſtimonium. Athanaſium enim Epiſcoporum ſuffragio fuiſſe electum, eorumque manibus conſecratum, ipſi Epiſcopi ordinatores teſtantur in epiſtola ſua Synodica: *Porrò quòd noſtrum plerique ſub omnium oculis, acclamationibuſque Athanaſium Epiſcopum creauerint, nos ipſos in teſtes offerimus, quibus vt authoribus creationis maior, quàm iſtis, qui & tunc aberant, & nunc mentiuntur, fides haberi debet.* Quid luculentius adferri potuit de ritu Eccleſiæ Alexandrinæ in ordinando Patriarcha ſuo Athanaſio? quid clarius?

8. Abſit igitur, S. Epiphanium peiùs hac in re, quàm Arianos ſentiiſſe, vt putarit Epiſcopos Alexandrinos à ſolo presbyterio ſine manus impoſitione conſtitutos olim fuiſſe, cum nouerit Athanaſium petente populo, & ſuffragantibus Epiſcopis ab Aegypti Epiſcopis fuiſſe ordinatum, quod poſt Epiphanii tempora vſu ſeruatum fuit. Nam vertente ſæculi quinti anno circiter, cum depoſitus fuiſſet à Concilio Chalcedonenſi Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus, & Aegyptiaci Epiſcopi adigerentur ad ſubſcriptionem epiſtolæ Leonis Primi, reſponderunt illi, id ſine Patriarcha ſuo fieri non poſſe. Ita habes act. 4. Concilii Chalcedonenſis, quod dum ſtatuiſſet, quoſdam eorum ſubſiſtere debere Chalcedone, donec creatus foret Alexandriæ in locum Dioſcori Epiſcopus, *Expleto*, inquit Liberatus in Breuiario cap. 14. *Chalcedonenſi Concilio, & Dioſcoro in exilium miſſo, reuerſi ſunt Alexandriam, qui cum eo venerant Epiſcopi, & Clerici, Athanaſius Buſiridos Epiſcopus, & Ne-*

*Neſtorius Phlagoneos, & Auxonius Sebennytenſis, & Macarius Chabaſenenſis ...... vt cum omnium ciuium voluntate eligerent ordinandum Epiſcopum.* Hæc Liberatus Carthaginenſis Arcidiaconus, ex cuius Breuiarij capite 20. argumentum ſuum deſumpſerat Morinus pro more conſtituendi Patriarcham Alexandrinum ſine ordinatione, aut manuum impoſitione: quod & Liberato ipſi aduerſatur. Potuit Ecclesia Alexandrina particulares quoſdam ritus habuiſſe inthronizandi Patriarchas. Sed poſtquàm populo petente & clero, ac Epiſcopis ſuffragantibus electus erat, ab Epiſcopis ordinabatur. Sic ibidem totius Ciuitatis voto electus Proterius, de cuius ordinatione ſcribit Liberatus: *Ordinatus ergò Proterius, præſentibus ſuprà memoratis Epiſcopis, qui in Synodo, ſicut dictum eſt, ſubſcripſerant, inthronizatur.* Sic & cæteros Alexandriæ Epiſcopos fuiſſe ordinatos fidem facit auctor in ſequentibus Breuiarij capitibus, quod Eutychius Patriarcha Alexandrinus in Chronico per Seldenum edito adeò clarè teſtatur, vt mirum omninò videri debeat, quòd Morinus hac in re tam grauiter lapſus ſit. Quòd ſi in aliquibus verbis ſupracitatis oppoſitum videatur proponere Eutychius, Seldenus interpres eſt culpandus, non Eutychius. Non enim iſte Patriarcha negat, Epiſcopos fuiſſe *in Prouincijs Aegypti* ante Demetrium Patriarcham, ſed *in Territorio Aegypti*, vt ex textu Arabico Abrahamus Ecchelenſis in ſuo Eutychio c. 8. clariſſimè oſtendit: neque habet, quòd Demetrius fuerit *primus Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos fecit*, ſed *primus, qui Alexandriæ fecit Epiſcopos*, ſcilicet in Alexandriæ territorio, ſeu Delta quæ ſpecialiter *Aegypti* Prouincia appellabatur. In cæteris ergò Prouincijs Alexandrinæ Diœceſis, nempe in Pentapoli, & alijs erant Epiſcopi, qui conſecrabant Patriarcham. Sic teſtatur Martyrologium Melchitarum 25. Aprilis, vbi de D. Marco: *Aliquandiu moratus eſt in Vrbe Cyrene Cyrenæorum, indeque Alexandriam, quæ apud Pharum eſt, perrexit, dein in Barcam profectus eſt, multaque edidit miracula, & Chriſti Eccleſias exornauit, conſtituens eis Epiſcopos, atque his inferiores ſacerdotes.* Similia Seuerus Alexandrinus Epiſcopus Aſmonin in vitis Patriarcharum Alexandrinorum de Diuo Marco: *Inde diſcedens Pentapolim perrexit, manſitque ibi annos duos annuncians, & ordinans Epiſcopos, presbyteros, & diaconos in omnibus eius Prouincijs.* Cum igitur Demetrius Patriarcha Alexandrinus, qui ab Eutychio dicitur primus Epiſcopos creaſſe loco presbyterorum ad conſtituendum Patriarcham, in ſede Alexandrina ſedere cœperit, quum Origenes erat puer, teſte Euſe-

Euſebio initio libri 6. nempè incipiente tertio ſæculo, conſtat ante ipſum in Aegypti Prouincijs fuiſſe Epiſcopos, qui Synodum conſtituebant, electumque à presbyteris Patriarcham conſecrabant. Præclarus eſt laudati Seueri locus in vita Celadiani octaui Patriarchæ, qui præceſſit Demetrium: *Erat autem ijs diebus in populo homo quidam amans Deum Celadianus, quem conuenientes populus orthodoxus & Epiſcopi, qui erant ijs diebus Alexandriæ, aſſumpſerunt, & Patriarcham conſtituerunt, ac in ſede collocauerunt Euangelicæ.* Eadem plane de altero prædeceſſore Demetrij Iuliano in eius vita.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De auctoritate, qua Patriarcha Alexandrinus in totius Aegypti Eccleſias vſus eſt.*

*1. Epiſcopum Alexandrinum totius Diœceſis Aegyptiacæ auctoritatem Patriarchalem obtinuiſſe, ex Concilij Nicæni, & Conſtantinopolitani Primi canonibus, & teſtimonio Epiphanij probatur, ac poteſtatem ipſius Patriarcham in tribus præſertim contribuiſſe, breuiter oſtendimus.*

1. CVM egerimus de ijs, quæ ad ordinationem Epiſcoporum, & Patriarchæ Alexandrini ſpectant, videndum eſt, qua authoritate per Aegypti Diœceſim Patriarcha Alexandrinus olim pollebat. Sacroſanctum enim Nicænum Concilium affirmat, Alexandrino Epiſcopo ab antiquis temporibus poteſtatem competijſſe in Aegyptum, Libyam, & Pentapolim, hoc eſt in omnes Aegyptiacę Diœceſis Prouincias, quæ, vt antea oſtendimus, ſub prædictis tribus comprehendebantur. *Antiqua conſuetudo ſeruetur in Aegypto, Libya, & Pentapoli*, inquit ſacrum Nicænum Concilium canone 6. *vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem.* Et clariùs Diuus Epiphanius hæreſi 68. *Hic mos obtinet, vt Alexandriæ Epiſcopus totius Aegypti, ac Thebaidis, Maræotæque, & Libyæ, Ammoniacæque, & Maræotidis, ac Pentapolis Eccleſiaſticam habeat adminiſtrationem.* Et Concilium Generale Secundum canone 2. *Iuxta canones Alexandrinus Antiſtes quæ ſunt in Aegypto regat.* Clara ſunt S. Epiphanij, & quadringentorum ſexaginta octo Patrum, qui Concilijs Conſtantinopolitano, & Nicæno adfuerunt, teſtimonia, quòd nimirùm ex antiqua conſuetudine, cuius origo cum neſciatur, ab Apoſtolorum inſtituto repetenda cenſetur, Alexandrinus Epiſcopus totius Aegypti adminiſtrationem obtinuerit, quæ dum Patriarcha-

chalis fuit, tribus præſertim officijs conſtitit, ordinandi nimirùm Epiſcopos, conuocandi eos ad Concilia, & iudicandi de eorum cauſis, vt tribus ſequentibus paragraphis oſtendemus.

## §. I.

## *De iure Patriarchæ Alexandrini in ordinandis Aegypti Metropolitanis, & Epiſcopis.*

*1. Primum ius Patriarchale, quod in ordinatione Epiſcoporum conſiſtit, Epiſcopus Alexandrinus per Aegyptum habuit, vt probatur ex actis Meletij, qui ius illud ante Nicæni Concilij tempora inuaſit, vt ex Epiphanio, & Athanaſio docetur.*

*2. Nicænum Concilium Meletij cauſam diiudicat, & Epiſcopo Alexandrino ius ordinationum per Aegyptum confirmat.*

*3. Explicantur Sozomeni verba; & teſtimonio Patrum Nicænorum confirmantur, qui expreſsè Patriarchæ Alexandrino tribuunt ius ordinationum per omnes Aegypti Prouincias.*

*4. D. Athanaſium illa auctoritate vſum fuiſſe, Socrates affirmat, qui Arianorum contradicentium verba criminationis inſtar habuit. Additur ex Sozomeno exemplum Theophili Alexandrini, qui in litteris ſuis Paſchalibus Epiſcoporum à ſe ordinatorum nomina refert.*

*5. Prouinciæ Pentapolitanæ Epiſcopos ad ordinationem Patriarchæ Alexandrini ſpectaſſe, clariſſimè teſtatur Syneſius Pentapolis Metropolita.*

*6. Idem de Metropolitanorum ordinatione oſtenditur ex Syneſio, qui Ptolemaidis Pentapolitanæ Prouinciæ Metropolitam à D. Athanaſio ordinatum fuiſſe indicat, ſeque ipſum à Theophilo conſecratum fuiſſe affirmat.*

*7. Demùm probatur Patriarchæ Alexandrini auctoritas ordinandi Epiſcopos per Aegypti Prouincias ex loco Iſidori Peluſiotæ, qui in Metropoli Auguſtamnicæ ſecundæ vixit, & ex illa Prouincia Martinianum monachum pro ordinatione Alexandriam recurriſſe ſcripſit.*

1. POſt aſſertos Aegypto primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopos, & Epiſcopis legitimam ordinationem, ad vindicandum Patriarchæ Alexandrini poteſtatem, & iura conuertimur. Primum autem ius Patriarchale, quod in ordinandis Epiſcopis Metropolitanis, conſecrandiſq; conſiſtit, Alexandrino Epiſcopo per totam Aegyptum ante ipſius Nicæni Concilij tempora competiſſe, clariùs probari non poteſt, quàm ex ijs, quæ à Patribus antiquis, & hiſtoricis ſcripta ſunt de ijs, quæ Meletius peregit, quæque de ordinationibus ab eo peractis ad nos peruenerunt. Meletium Lycopolitanum Epiſcopum, & Thebaidis Prouinciæ Metropolitanum, ſecundum à Petro Alexandrino Patriarcha locum obtinuiſſe, iam ſuprà audiuimus à S. Epiphanio, qui hæreſi 68. narrat, eundem Meletium contra Alexandrum Petri Alexandrini ſucceſſorem ſchiſma conflaſſe: Cum enim Imperatorum edictis ad Phæneſia metalla relegatus iter faceret, inquit de Meletio Epiphanius, *tam in carcere, quàm in itinere, ac quamcumque regionem locumque peragraret, ibi Clericos, Epiſcopos, presbyteros,* &

*& diaconos inſtituit, ac priuatas Eccleſias fundauit*. Meminit harum ordinationum Diuus Athanaſius in ſua 2. Apologia contra Arianos, dum ſcribit, *beatum Alexandrum, cum Meletius ſuſceptus eſt (quod vtinam numquam factum fuiſſet) cum eius noſſet calliditatem, poſtulaſſe ab eo Breuiarium eorum Epiſcoporum, quos in Aegypto habere ſe dicebat, vnà cum presbyteris & diaconis ſiue Alexandrinis, ſiue ruralibus. Hoc autem ideò Alexander fecit, ne Meletius per Eccleſiam ſecuritati reſtitutus titulos plurimos venderet, & mendacio quotidie nouos tanquam à ſe creatos ſubijceret. Breuiarium igitur Aegyptiorum, quod fecit Meletius, tale eſt.*

*Breuiarium à Meletio Epiſcopo Alexandro datum.*

*Ego Meletius in Lyco: Lucius in Antinoopoli, Phaſileus Hermopole, Achilles Cuſis, Ammonius Dioſpole in Ptolemaide, Pachymes Tetyris in Maximianopoli, Theodorus in Copto in Thebaide, Cales in Hermethe, Caluthus in ſuperiori Cyno, Pelagius in Oxyrincho, Petrus Heracle, Theon in Nilopoli, Iſaac in Leto, Heraclides in Nicio, Iſaac in Cleopatride, Melas in Arſenoite. in Ilio, Amos in Leontis, Iſion in Athribia, Harpocration in Bubaſto, Moſes in Phacuſis, Callinicus Peluſij, Eudæmon in Tane, Ephraim in Thmui. in Sai, Hermæon in Cyno & Buſiride, Soterichus in Sbennyto, Pininuthes in Phthenegij, Cronius in Metole, Agathammon in Alexandrinorum agris, in Memphi Ioannes iuſſus ab Imperatore, vt eſſet vnà cum Archiepiſcopo. Et hi quidem Aegyptij Præſules. Clerici autem Alexandrini iſti fuerunt, Apollonius presbyter, Irenæus presbyter, Dioſcorus presbyter, Tyrannus presbyter. Diaconi verò: Timotheus diaconus, Antinous diaconus, Epheſtion diaconus, & Macarius presbyter Paremboles, vel Caſtrorum.*

2. Atque hactenus quidem Breuiarium ipſius Meletij, quod D. Athanaſius teſtatur ab eo datum fuiſſe Alexandro Patriarchæ Alexandrino, cum ab eo in communionem ſuſciperetur, quod factum eſt ex decreto ſacroſancti Nicæni Concilij, vt ſcribit Sozomenus libro 1. Hiſtoriæ cap. 24. vbi: *Porrò eadem Synodus cum ea, quæ per Meletium in Aegypto acciderent, examinaſſet, contra illum ſententiam tulit, vt in vrbe Lyco degeret ſolo Epiſcopi nomine contentus; nec deinceps ſiue in vrbe, ſiue in vico, ordinationem vllam faceret. Hi verò, qui ab illo priùs ordinati fuiſſent, communionem quidem, ac miniſterium ſuum retinerent; reliquis tamen clericis per ſingulas Eccleſias, ac Parochias conſtitutis honore inferiores eſſent; ita tamen vt in locum morientium per ordinem ſuccederent, dummodò plebis ſuffragio iudicarentur idonei,*

Epi-

*Epiſcopo Alexandriæ electionem eorum nihilominùs confirmante: ipſis autem ne liceret arbitrio ſuo eligere, quos vellent. Atque id æquum eſſe Synodus iudicauit, reputans ſcilicet Meletij, eiuſque conſortium præcipitem in ordinationibus faciendis temeritatem: quippequi dum Petrus Epiſcopus Alexandriæ, qui poſteà martyrium conſummauit, ob ſæuientem tunc perſecutionem fugiſſet, ordinationes ad illum pertinentes ſibi vendicauerat.*

3. Duo ſunt, quæ hoc Sozomeni loco colliguntur. Primò enim manifeſtum fit, Meletium ordinationes ſibi vendicaſſe, quæ ad Patriarcham Alexandrinum pertinebant. Cum autem illi, qui à Meletio ordinati erant, & in Breuiario recenſentur, non vnius tantùm, ſed plurium Prouinciarum Epiſcopi fuerint, nemo non videt, Prouinciarum illarum Epiſcopos quoad ordinationem fuiſſe ſub Patriarcha Alexandrino. Quòd verò non vnius, ſed plurium Prouinciarum Epiſcopi in Breuiario Meletij recenſeantur, patet ex Mela Arſinoite, qui fuit Prouinciæ Pentapolitanæ Epiſcopus, ex Cale Hermethenſi, qui in ipſo Breuiario vocatur Thebaidis Epiſcopus, ex qua Prouincia fuerunt quoquè Lucius Antinoopolitanus, Ammonius Dioſpolitanus, Theodorus Coptenſis, & alij plures ibidem memorati. Secundò manifeſtum fit, ita à ſacroſancta Nicæna Synodo compoſitam fuiſſe Meletianorum cauſam, vt presbyteri, aut Epiſcopi à Meletio ordinati manerent quidem in Eccleſijs in ſolo gradu clericali, ſed vltimo loco, neque ad gradum Epiſcopalem promoueri poſſent, niſi poſt mortem Epiſcopi Catholici; tunc enim, inquit Sozomenus, in locum morientis ſuccedere poterant accedente confirmatione Patriarchæ Alexandrini. Qua de re extat epiſtola ipſius Synodi Alexandrinæ apud Theodoretum lib. 1. hiſtoriæ capite 6. vbi treecenti octodecim Confeſſores Epiſcopi ſcribunt ad Eccleſiam Alexandrinam, & Antiſtites per Aegyptum, Libyam, & Pentapolim conſtitutos: *Quòd ſi quempiam eorum, qui in Eccleſia cenſentur, diem ſuum obire contigerit, tum in defuncti locum, atque honorem prouebantur ij, qui nuper adſciti ſunt, modò digni videantur, & modò populus eos eligant, ſuffragante nihilominus, plebiſque iudicium confirmante Alexandrinæ Vrbis Epiſcopo.* Quibus vltimis verbis nihil clarius deſiderari poteſt pro iure Patriarchali, quo Alexandrinus Epiſcopus per Aegyptum pollebat.

4. Vſus eſt iure illo Diuus Athanaſius, dum poſt Sardicenſe Concilium Alexandriam redijt: teſte enim Socrate lib. 2. Hiſtoriæ cap. 24. *Athanaſius per Peluſium iter faciens Alexandriam, in ſingulis, per quas tranſibat, Ciuitatibus cunctos commonebat, vt*

*Arianos quidem auerſarentur*; *eos verò ſuſciperent*, *qui conſubſtantialis fidem profiterentur*. *In quibuſdam etiam Eccleſijs ordinationes fecit*. Peluſium, per quam Ciuitatem D. Athanaſius iter faciebat, Auguſtamnicæ poſteà Prouinciæ Metropolis fuit, cumque in quibuſdam illius regionis Eccleſijs ſanctiſſimus ille Patriarcha ordinationes peregerit, nemini dubium eſſe poteſt, quin id iure, & legitimè fecerit. Addit quidem Socrates lib. 2. capite 24. hanc rem vlteriùs aduerſùs Athanaſium criminationis anſam præbuiſſe, *propterea quòd in aliorum Eccleſijs ordinare tentaſſet*. Sed notandum eſt, hæc ab Arianis obiecta fuiſſe, quorum obiectionem Socrates criminationem vocat, quòd id calumnioſè ab ijs fieret. Enimuerò factum Athanaſij Sozomenus exemplo Theophili Patriarchæ Alexandrini comprobat, ſcribit enim lib. 8. cap. 19. quòd cum Theophilus Conſtantinopoli in Aegyptum nauigio rediret, fortè acciderit, *vt nauis ſecundo vento appelleret Geras paruum oppidum quinquaginta circiter ſtadijs diſtans Peluſio*. *Eius loci Epiſcopo tunc mortuo*, *ciues quidem*, *vt accepi*, *Nilamonem Eccleſiæ ſuæ Antiſtitem elegerant*. Addit in cella occluſum conſtanter Epiſcopatum recuſaſſe: *Verùm Theophilus ad eum accedens hortari cœpit*, *vt ordinari ſe ab eo pateretur*. Quibus ſanè verbis indicat Sozomenus, Theophilum credidiſſe, quòd Gerenſis Epiſcopi ordinatio ad ipſum ſpectabat. Extant autem tres eius epiſtolæ Paſchales, quibus dum Paſchalis diem cunctis Aegypti Epiſcopis indicabat, ſimul Epiſcoporum, quos recèns conſecrauerat, nomina ienuntiabat; ita enim in fine primæ epiſtolæ Paſchalis Theophilus: *Et hoc neceſſariò ſcribimus*, *vt ſciatis pro ſanctis*, & *beatis Epiſcopis*, *qui in Domino dormierunt*, *ordinatos eſſe in Lemnado pro Herone Naſeam*, *in Erythro pro Sabatio Paulum*, *in Omboës pro Syluano Verrem*. *His ergo ſcribite*, & *ab ijs accipite pacificas iuxta Eccleſiaſticum morem litteras*. Et epiſtola 3. *Salutant vos fratres*, *qui nobiſcum ſunt*; & *hoc noſſe debetis pro defunctis Epiſcopis in locum ſingulorum conſtitutis*; *in Vrbe Nicbio pro Theopempto Theodoſium*, *in Terenuthide Arſinthium*; *in oppido Geras pro Eudæmone Pirozum*; *in Achæis pro Apolline Muſæum*; *in Athriuidi pro Iſidoro Athanaſium*; *in Cleopatride Offellum*; *in oppido Laton pro Timotheo Appellem*. *Iis ergo ſcribite*, & *ab ijs iuxta morem Eccleſiaſticas ſuſcipite litteras*. Porrò notat Morinus libro 1. exercit. 28. quòd ideò horum Epiſcoporum ordinationem indicat, quia illorum ordinatio ad Patriarcham Alexandrinum ſpectabat. Cum autem Geræ fuerit Ciuitas Prouinciæ Auguſtamnicæ primæ, Cleopatris

tris

tris & Terenutis ciuitates Prouinciæ Aegypti, Lato vrbs Prouinciæ Thebaidis; ſequitur profectò, variarum illarum Prouinciarum Epiſcopos, quos Theophilus nominat, aut Alexandriæ ordinatos, aut ibidem confirmatos fuiſſe. *Cur enim*, vt cum Morino loquar, *variarum Prouinciarum ordinationes ad Eccleſias retuliſſet Theophilus, niſi omnes aut ipſe celebraſſet, aut ſaltem confirmaſſet?*

5. Certum huius veritatis teſtimonium habemus ex Syneſio Ptolemaidis in Pentapoli Metropolita, qui epiſt. 67. Epiſcoporum Palæbiſcæ & Hydracis ordinationes irritas eſſe cauſatur, & rationem adiungit de Palębiſcæ Epiſcopo, *cum neque ſit Alexandriæ, neque à tribus hìc conſtitutus, quamuìs illinc ordinandi ſignum datum eſſet*. Affirmat Syneſius, Epiſcopos Palębiſcæ, & Hydracis, vel Alexandriæ ordinari debuiſſe à Patriarcha, vel id eius iuſſu in Pentapoli à tribus Epiſcopis perfici debuiſſe. Clariùs explicat epiſt. 76. ad Theophilum Alexandrinum, quam integram, quia breuis eſt, hìc referemus: *Olbiatis vici cuiuſdam hic populus eſt. Epiſcopi creatione opus fuit, cum beatiſſimus pater Athamas vnà & diuturna vita, & ſacerdotio functus obiјſſet. Me igitur in huius deliberationis communionem aduocarunt: atque ego ſum quidem hominibus gratulatus, quòd è multis, ijſque bonis omnibus optionem facerent, ſed multò magìs Antonio de ſua probitate, atque integritate ſum gratulatus, quòd bonis melior iudicatus eſſet. Etenim in eum commune omnium ſuffragium collatum eſt: cumque ſe multitudinis ſententiæ duo religioſiſſimi Epiſcopi adiunxiſſent, quibuſcum educatus, & quorum alterius manu ſacerdos conſecratus fuerat: ne ipſe quidem omninò Antonium ignorabam, ſed illum de quibuſcumque noram dictis, aut factis, de omnibus collaudaui; quin ea inſuper, quæ ſciebam præconia, quæ audieram, adiungens, meo quoque illum ſuffragio renuntio: ac pergratum mibi quidem erit, ſi illum in Epiſcopatu Collegam, ac ſocium habuerim. Vnum adhuc ſupereſt, ſacra tua manus, hoc vnum Olbiatis; mihi verò opus eſt precibus.* Hęc Syneſij Pentapolis Metropolitani epiſtola ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum, qui poſt electum ab Olbiatis Antonium, poſt Epiſcoporum Prouinciæ, ipſiuſque Metropolitani conſenſum, adhuc opus eſſe ait manuum impoſitione Patriarchæ Alexandrini. Vnde clarè monſtratur, quòd Pentapolitanorum Epiſcoporum ordinatio ad Patriarcham Alexandrinum ſpectarit.

6. Porrò Epiſcoporum Metropolitanorum ordinationes iuris quoquè Patriarchici Alexandrini fuiſſe, ex duobus potiſſimùm Syneſij locis colligitur. Primus

mus locus eſt epiſt. 67. ad Theophilum, vbi agens de Philone ſeniore Cyrenenſi in Pentapoli Epiſcopo, dicit eum ſolum creaſſe B. Siderium, & in throno collocaſſe, adiungitque: *Sed formidoloſis temporibus ſummum ius prætermitti neceſſe eſt: ideò magnum illum Athanaſium tempori id dediſſe*. Ac non multò poſt: *Cum exiguam adhuc orthodoxæ fidei ſcintillam, quæ in Ptolomaide erat, fouere, & magis magiſque accendere oporteret, hominem illum maioribus regendis idoneum eò migrare iuſſiſſe, vt Metropolitanam Eccleſiam gubernaret*. Quibus verbis Syneſius non ſolùm B. Siderei ordinationem ad Diuum Athanaſium ſpectaſſe innuit, ſed Ptolemaidis Epiſcopum, qui totius Pentapolitanæ Prouinciæ Metropolitanus erat, à D. Athanaſio conſtitutum affirmat. Secundus autem locus eſt epiſt. 105. ad fratrem, vbi de propria conſecratione ſcribit: *Omnino enim plerique epiſtolam hanc lecturi ſunt; nam huius potiſſimùm eam gratia dictaui, quò manifeſtè omnibus conſtaret, me onus iſtud reformidare, vt quidquid acciderit, & apud Deum, & apud homines culpa omni caream, in primiſque apud patrem Theophilum. Cum enim mea omnia palàm in medium proferam, atque ex omnibus de me illi deliberandi poteſtatem faciam, quid eſt, quod accuſari meritò poſſim? Mihi igitur & Deus ipſe, & lex, & ſacra Theophili manus vxorem dedit*. Per vxorem intelligit hoc loco Syneſius Eccleſiam Ptolemaidis, cui per manus impoſitionem Theophili Alexandrini præpoſitus fuerat. Tam clarè conſtat ex vnius Syneſij operibus de poteſtate Alexandrini Patriarchæ quoad ordinationem Metropolitani Prouinciæ Pentapoleos, quę omnium totius Aegypti Prouinciarum longiùs ab Alexandria diſtabat, vt de cæteris Prouincijs ſoliciti eſſe non debeamus, cum in ijs idem ius Alexandrinum obtinuiſſe, dubium eſſe non poſſit.

7. Finem igitur faciam cum teſtimonio S. Iſidori Peluſiotæ, qui ſub Cyrillo Patriarcha Alexandrino in Peluſio totius Auguſtamnicæ Prouinciæ Metropoli vixit. Ille enim lib. 2. epiſt. 127. ad Cyrillum Alexandrinum refert cuiuſdam Martiniani primùm monachi, poſteà presbyteri ſcelera, & exponit varias artes, quibus ad thronum Epiſcopalem peruenire ſtuduit, adiungitque: *Nam cum Eccleſiaſticas omnes facultates, & copias in ſinum ſuum condidiſſet, vel, vt ipſe dixit, cum eo, qui huiuſmodi adminiſtrationem ipſi commiſerat, tantæque tragediæ cauſam, materiamq; prębuerat, partitus eſſet; nuper quidem aurum Alexandriam præmiſit, Epiſcopatum (cum ne ſui quidem ipſe curam gerere poſſet) aucupans. Quod cum ſanctitas tua comperiſſet, pro eo atque eum ab*

Ec-

*Eccleſia proſcribere debebat, per litteras comminata eſt, atque affirmauit, ſe eum, ſi rurſus idem aggrederetur, vt ingens diuiniſſimæ religioni dedecus inurentem, in tota Aegyptiaca regione proſcripturum, & abdicaturum. Atqui nunc idem litteris tuis, miniſque contemptis, ac pro nihilo habitis, Alexandriam perrexit, ſibi quidem Epiſcopatum captans, tuæ autem famæ, atque exiſtimationi (vt qui ſacras ordinationes pecunia addicas) labem inferens.* Ita Sanctus Iſidorus Peluſiota, qui pro ſuo erga Aegypti Eccleſias affectu, de Martiniani cauſa liberiùs ad Cyrillum Patriarcham Alexandrinum retulit. Notat autem, Martinianum malis artibus Epiſcopatum appetijſſe, vtque ad tantum Eccleſiaſtici honoris gradum perueniret, aurum Alexandriam præmiſiſſe, quo ſibi amicos, & fautores apud Cyrillum faceret. Adiungit quoquè, Martinianum ſe poſteà Alexandriam contuliſſe, vt à Cyrillo Epiſcopatum impetraret. Tam certum ſcilicet erat, Iſidori Peluſiotæ temporibus, quibus Auguſtamnica Prouincia ab Aegyptiaca ſeparata erat, ordinationes aliarum Aegypti Prouinciarum iuris Patriarchici Alexandrini fuiſſe. Teſtatur quoquè Iſidorus, Cyrillum Alexandrinum per litteras Peluſium miſſas anteà comminatum fuiſſe, ſe Martinianum in tota Aegyptiaca regione, niſi ab inceptis deſiſteret, proſcripturum, & abdicaturum. Quibus firmatur, iudicium de cauſis presbyterorum Aegyptiorum, quamuis in alijs Diœceſis Aegyptiacæ Prouincijs degerent, ad Cyrillum tanquam Alexandriæ Patriarcham ſpectaſſe. Quod verum eſſe ex ijs, quæ ſequenti Paragrapho dicemus, colligere licebit.

## §. II.

### *De auctoritate Patriarchæ Alexandrini in conuocandis ad Concilium totius Aegypti Epiſcopis, & iudicandis eorum cauſis.*

1. *Aliud ius Patriachæ Alexandrini conſiſtit in conuocando Epiſcopos Aegypti ad Concilia, quod ipſi competijſſe, ex Concilio Dionyſij Alexandrini contra Sabellium, & Nepotianum oſtenditur.*

2. *Probatur id ipſum ex Concilijs Alexandri Epiſcopi Alexandrini contra Arium celebratis; Athanaſium quoquè ad inſtantiam Ioniniani Imperatoris totius Aegypti Synodum conuocaſſe, ex ipſo Athanaſio oſtenditur, alijſque exemplis comprobatur.*

3. *Tertium ius Patriarchale, quod in ferendo de Aegypti Epiſcopis, & maioribus illius Diœceſis cauſis iudicio conſiſtit, ad Epiſcopatum Alexandrinum ſpectaſſe ex Arſenij Hypſelitarum Epiſcopi profeſſione docetur.*

4. *Ex prædicta autem profeſſione patet, nihil abſque ſententia Patriarchæ Alexandrini licuiſſe Epiſcopis Aegyptijs, quod ex actis Concilij Chalcedonenſis clariſſimè comprobatur.*

5. *Hinc ex omnibus Aegypti Prouincijs Epiſcopi ad Patriarcham Alexandrinum referre-*

*ferebant, vt de Pentapolitanæ Prouinciæ Epiſcopis conſtat, ex D. Athanaſij & Syneſij teſtimonijs.*

*6. Idem de Thebaidis Epiſcopis patet ex Meletio, quem ad Petrum Alexandrinum Patriarcham referre conſueuiſſe Epiphanius teſtatur, ſibique Thebaidis Eccleſias ſubiectas fuiſſe ſignificat S. Cyrillus.*

*7. Id ipſum confirmatur lege Theodoſij Imperatoris, qua probibentur res Eccleſiaſticæ in Aegypto ad Præfectum Auguſtalem referri, cum debeant ad totius Aegypti Diæceſeos Præſulem Alexandrinum deferri.*

1. QVòd iuris Patriarchici Alexandrini fuerit, Aegypti Epiſcopos ad Synodum euocare, & in iis de Epiſcopis, aliiſque maioribus cauſis iudicium ferre, adeò manifeſtum eſt ex actis Conciliorum Alexandrinorum, vt pauca exempla referre ſufficiat. Auctor Libelli Synodici teſtatur de Dionyſio Alexandrino, quòd duas ſuo tempore Synodos Alexandriæ celebrauerit, quarum altera contra Sabellium particularis fuit, altera contra Nepotianum, & Cerinthum Prouincialis extitit. De prima hæc habet: *Synodus diuina, & ſancta particularis Alexandriæ collecta à confeſſore Dionyſio eiuſdem Archiepiſcopo, quæ Sabellium diuinitatis inimicum abdicauit.* De ſecunda ſubiungit: *Synodus diuina, & ſancta Prouincialis collecta Alexandriæ ab eodem Dionyſio, quæ damnauit, & poſt mortem abdicauit Nepotianum Epiſcopum Aegypti, & Cerinthum.* Alterius Concilij meminit ipſe Dionyſius in libris, quos contra Nepotianum de millenariorum errore compoſuit. In illis enim teſte Euſebio libro 7. hiſtoriæ cap. 24. ita ſcribit: *Cum eſſem in Arſinoitica Præfectura, in qua iam pridem, vt noſti, increbuit hæc opinio, adeò vt ſchiſmata, & integrarum Eccleſiarum defectiones fierent, conuocatis presbyteris, ac doctoribus, qui per ſingulos vicos fratribus prædicabant, præſentibus item fratribus, qui adeſſe voluerant, hortatus ſum illos, vt ea doctrina palàm in concione examinaretur. Cum hinc librum Nepotis ſcilicet tanquam ſcutum quoddam, murumque inexpugnabilem mihi oppoſuiſſent, tres continuos dies à prima luce vſque ad veſperum cum ipſis ſedens, quæcumque in eo libro ſcripta erant diſcutere aggreſſus ſum, tum verò fratrum conſtantiam, & ardentiſſimum cognoſcendæ veritatis ſtudium, & docilitatem, atque intelligentiam magnoperè ſum admiratus; adeò moderatè, & ordine interrogationes, rationeſque dubitandi, & aſſenſiones à nobis fiebant.* Et infrà: *Fratribus autem, qui aderant, hæc diſputatio, & omnium inter ſe reconciliatio, atque conſenſio non mediocrem attulit voluptatem.* Fratres, quorum hìc ſecundò meminit Dionyſius, erant Epiſcopi non longe ab Arſinoënſi Ciuitate diſtantes, & in illa Aegypti parte, quæ poſteà Arcadiæ prouincia vocata eſt, conſtituti:

cum

cum quibus Dionyſius Synodum contra Nepotiani aſſeclas celebrauit, non quidem Alexandriæ, ſed in Arſinoënſi Præfectura.

2. Aliud exemplum de iure conuocandi Epiſcopos Aegypti ad Concilia habemus occaſione Arij, de quo D. Epiphanius hæreſi 68. num.4. *Deprehenſo igitur Ario Alexander, indicto Epiſcoporum Concilio, de fide diligenter inquiſiuit, & ab Ario prauæ, ac pernicioſæ illius opinionis, quam animo conceperat, rationem exegit. Hic Arius nihil tergiuerſari, aut diſſimulare, ſed perfricta fronte, vti ſe res habebat, reſpondit. Quamobrem Alexander eum ex Eccleſia deturbauit, & cum eo ingens virginum, ac cæterorum clericorum, quos ille deprauauerat, vis eijcitur.* Hæc ibi Epiphanius, qui hæreſi 69. teſtatur hanc Synodum *presbyterorum, & quorumdam dumtaxat Epiſcoporum fuiſſe*. Et aliam Synodum contra Arium Alexandriæ coëgit S.Alexander, qui in epiſtola encyclica ad omnes vbique terrarum Epiſcopos teſtatur: *Nos cum alijs ferè centum Aegypti, & Libyæ Epiſcopis in vnum conuenientes, anathema denuntiauimus*, Ario nimirum, & eius fautoribus, quorum anteà mentionem fecerat in eadem epiſtola. Alia Synodus Alexandrina temporibus Iouiniani Imperatoris celebrata fuit, de qua libellus Synodicus: *Piiſſimus autem Imperator Iouinianus miſſa Alexandriam ad Athanaſium legatione, immutabilem veræ orthodoxiæ definitionem quæſiuit. Is igitur delectos Aegypti, Thebaidos, & Libyæ Epiſcopos congregans, definitionem Synodicam, gratia, & veritate plenam Iouiniano Christi amanti miſit.* Extat hæc definitio Synodica apud Diuum Athanaſium tom. 1. operum, & apud Theodoretum lib. 4. hiſtoriæ capite 3. vbi habetur cum hac epigraphe: *Religioſiſſimo, & Clementiſſimo Victori Auguſto Iouiniano Athanaſius, & reliqui Epiſcopi, qui venerunt ex perſona omnium Epiſcoporum Aegypti, Thebaidis, ac Libyarum.* Ex quibus patet, quòd omnes totius Aegypti Prouinciarum Epiſcopi ad Patriarchale Diui Athanaſij Concilium ſpectarint, ſicut Synodus totius Aegyptiacæ Diœceſis ſpectauit ad Cyrillum, vt conſtat ex eiuſdem Cyrilli epiſtola Synodica ad populum Conſtantinopolitanum de Neſtorio. Quæ adeò clara ſunt, vt ſuperuacaneum videri poſſit alia huius veritatis teſtimonia adducere.

3. Præſtat igitur videre, quod ſecundo loco diſcutiendum aſſumpſimus, an nimirum, & quomodo Epiſcoporum, & maiorum Aegypti cauſarum iudicium ad Patriarcham Alexandrinum ſpectarit. Qua de re præclarum extat Arſenij Hypſelitarum Epiſcopi teſtimonium in illa profeſſione, quam poſt ſuum ex Meletianorum ſchiſmate reditum Athanaſio

naſio obtulit. Refert eam Diuus Athanaſius Apolog. 2. de fuga ſua ad Conſtantinum his verbis:

*Athanaſio Beatiſſimo Pontifici Arſenius Epiſcopus ciuitatis Hypſelitarum, cui aliquando præfuit Meletius, vnà cum presbyteris, & diaconis.*

*S. P. D.*

*Et nos quoquè diligentes pacem, & vnanimitatem cum Eccleſia Catholica, cui tu per Dei gratiam præfectus es, volenteſque Eccleſiaſtico canoni pro veteri inſtituto ſubijci, ſcribimus tibi Pontifex dilecte, promittimuſque in nomine Domini, nos deinceps non communicaturos cum ſchiſmaticis, aut cum ijs, quibus nondum pax eſt cum Eccleſia Catholica, ſiue Epiſcopi ſint, ſiue presbyteri, ſiue diaconi; neque cum illis in Concilio coituros, neque literas pacatas ad illos daturos, neque inuicem ab illis accepturos, neque circa tuam Metropolitani Epiſcopi ſententiam vllum de Epiſcopis, aut alio dogmate communi, & Eccleſiaſtico decretum edituros, ſed ceſſuros canonibus antè ſuſceptis ad exemplar, & modum Epiſcoporum Ammoniani, Tyranni, Peluſiani, & reliquorum Epiſcoporum.*

4. Placuit integram ferè Arſenij profeſſionem referre, quia ex ea conſtat, communes Aegyptiarum Eccleſiarum, & Epiſcoporum cauſas ſpectaſſe ad iudicium Patriarchæ Alexandrini, adeò vt nullus Aegyptiorum Epiſcoporum de ijs ſtatuere potuerit, niſi ſententia Patriarchæ accederet. Quod idem omninò colligitur ex actis Chalcedonenſis Concilij, ex quibus patet, omnes Aegypti Epiſcopos ita Patriarchę detuliſſe, vt hoc vita functo quidquam decernere auſi non ſint. Cum enim his nonnulli ſuadere conarentur, vt in Concilio Chalcedonenſi epiſtolæ Leonis ſubſcriberent, Patres deprecati ſunt, ne id ante Patriarchæ conſecrationem fieret. *Petimus*, inquiunt act. 4. *veſtram clementiam expectare præſidis noſtri ſententiam, quia eum in omnibus ſequemur. Nam & ſanctiſſimi Patres, qui in Nicæa congregati ſunt, trecenti decem & octo hanc regulam dederunt, vt ſequatur omnis Aegyptiaca regio Archiepiſcopum magni nominis Ciuitatis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubiacente Epiſcopo.* Et infrà poſt varias Patrum inſtantias: *Reuerendiſſimi Epiſcopi Aegyptij clamauerunt: Extra voluntatem Archiepiſcopi noſtri non poſſumus ſubſcribere.* Et rurſus: *Petimus autem veſtram ſublimitatem, & hanc ſanctam, & magnam Synodum, vt miſereamini nobis, & expectetis noſtrum Archiepiſcopum, vt ſecundùm antiquam conſuetudinem illius ſequamur ſententiam. Quia ſi extra voluntatem noſtri Præſidis aliquid faciamus, ſicut præſumptores, & non ſeruantes ſecundùm canones antiquam conſue-*

ſue-

*ſuetudinem, omnes Aegyptiacæ regiones inſurgent in nos*. Demum cum Patres nollent illorum precibus acquieſcere, reſponderunt, ſe in Aegypto occidendos fore: *Aegyptij Reuerendiſſimi Epiſcopi dixerunt. Morimur, per veſtigia veſtra miſeremini noſtri. Moriamur à nobis, & non illic. Fiat hic Archiepiſcopus, & ſubſcribimus, & conſentimus, miſeremini canonum iſtorum. Detur hic Archiepiſcopus. Nouit Dei amantiſſimus Archiepiſcopus Anatolius, quia talis conſuetudo in Aegytiaca regione obtinuit, vt omnes Epiſcopi obediant Archiepiſcopo Alexandriæ, non quia non obtemperamus Synodo, ſed occidemur in Patria*. Ad quas, aliaſque Aegyptiorum Epiſcoporum preces tandem glorioſiſſimi iudices indulgendum ipſis ſtatuerunt: *Quoniam* (inquiunt) *dixerunt, conſuetudinem eſſe in Aegyptiaca regione, extra ſententiam & iuſſionem Archiepiſcopi nihil tale ſe poſſe, poſcunt autem ſuſtineri ſe, donec conſecretur Epiſcopus, qui ordinandus eſt magnæ ciuitatis Alexandriæ: rationabile nobis, & clemens eſſe apparuit, vt in eodem habitu expectent in regia ciuitate, & dilationem habeant vſque ad ordinationem Archiepiſcopi magnæ ciuitatis Alexandriæ*. Cui ſententiæ ſubſcripſerunt Leonis Primi Legati. Eo demum pacto magna illa de Epiſcopis Aegyptiacis controuerſia finem accepit, quam non alia de cauſa referre hoc loco placuit, niſi vt appareat veriſſimum eſſe, quod probandum ſuſcepimus, nihil ab vllo Aegypti Epiſcopo de cauſis communibus peragi conſueuiſſe abſque Patriarchæ Alexandrini ſententia. Poſt hæc Aegyptiorum Epiſcoporum teſtimonia mirum videri non debet, quòd ijdem ex omnibus Aegypti Prouincijs ad Patriarchas Alexandrinos de cauſis Eccleſiaſticis retulerint, quódque Patriarchæ Alexandrini de illis ad tribunal ſuum delatis ea ſtatuerint, quæ conuenire iudicabant. Sic cum ad Dionyſium Alexandrinum ex Pentapolitana Prouincia delatum fuiſſet, quòd quidam Epiſcopi Sabellij hæreſim amplexi erant: *Recognita*, inquit D. Athanaſius in epiſtola de ſententia Dionyſij contra Arianos, *Dionyſius, ad cuius curam eæ Eccleſiæ pertinebant, legatos miſit, qui authores harum rerum ab illis prauis opinionibus retraherent*. Notanda ſunt hæc Diui Athanaſij verba: *Ad cuius curam eæ Eccleſiæ pertinebant*. Illis enim nihil clarius haberi poteſt pro authoritate Patriarchali Epiſcopi Alexandrini in Pentapolim: non enim Pentapolitana Prouincia, quæ ſuos Epiſcopos, & proprium Metropolitam in ciuitate Ptolemaidis habebat, alio iure ad curam Epiſcopi Alexandrini ſpectare poterat, quàm Patriarchali, ratione cuius ex antiqua conſuetudine, vt ſacrum Concilium Nicænum canone 6. teſtatur, Penta-

polis Epiſcopo Alexandrino ſuberat. Vnde non ſolùm Dionyſij, ſed etiam Theophili Alexandrini temporibus ex Pentapolitana Prouincia Epiſcoporum cauſæ ad tribunal Patriarchale deuoluebantur. Extant complures Syneſij Pentapoleos Metropolitani litteræ, quibus Epiſcoporum cauſas ad Theophilum retulit, quarum vna inſignis eſt, quæ ſexageſima ſeptima inter epiſtolas eius numeratur, & ita incipit: *Mihi quidem & libet, & diuina propè impoſita neceſſitas pro lege id habendi, quidquid thronus ille ſtatuerit.* Agit de throno Alexandrinæ Eccleſiæ, cui tunc Theophilus præpoſitus erat, & ad illum in eadem epiſtola refert cauſas Palebiſcæ, & Hydracis Epiſcoporum, de quibus cum anteà plura dixerimus, hìc ea repetere ſuperuacaneum ducimus: ſolùm addenda ſunt verba Syneſij, quibus relaxatis ſupradictorum Antiſtitum cauſis adiungit: *Itaque quæ ad Epiſcoporum diſſenſiones attinebant, hunc exitum habuerunt. Mandatum hoc inſuper mihi erat, vt & Iaſonem audirem, qui multa & indigna à presbytero collega paſſum ſe eſſe aiebat.* Vbi videre licet, etiam presbyterorum Pentapolitanę Prouinciæ cauſas ad Theophilum relatas fuiſſe, & Syneſium ipſum non modò Iaſonis presbyteri negotium, iuxta mandatum Theophili examinaſſe, ſed de illo, aliiſque presbyterorum cauſis ad eundem detuliſſe, quod ibidem his verbis indicat: *Operæ pretium eſt de ijs etiam referre, quæ apud nos geruntur, vt fieri deinceps deſinant. Sacerdotes à Sacerdotibus maleficiorum arceſſuntur, falſo ne, nondum dico, omninò tamen malo, & fraudulento animo; non enim perſequendarum pœnarum gratia, ſed vt exercitium præfectis iniuſta lucra concilient. Neceſſe eſt autem omnium onera humeris meis imponi. Quamobrem ſcribe, obſecro, & edicto præcipe, ne cui ſimile quidquam facere liceat.* His, vt puto, nihil manifeſtius deſiderari poteſt, vt conſtet, ad Patriarcham Alexandrinum de cauſis Eccleſiaſticis ex Pentapolitana Prouincia referri conſueuiſſe, & ijdem Patriarchæ iudicium de ijs competijſſe, quòd ipſi cura, & ſolicitudo Eccleſiarum iſtius Prouinciæ iure Patriarchali competeret. Inde ad eundem Theophilum Syneſius epiſt. 69. ſcribit: *Curam enim ipſe, curam Pentapoleos geris.*

6. Neque in Pentapolim tantùm, ſed in Thebaidem quoquè, & Libyam idem ius Patriarchæ Alexandrino competijſſe, patet ex ijs, quæ de Meletio teſtatur D. Epiphanius hæreſi 67. *Meletius quidem cæteris Aegypti Epiſcopis antecellens ſecundum à Petro dignitatis locum obtinebat, vtpotè illius adiutor, ſed eidem tamen ſubiectus, & ad ipſum de cauſis Eccleſiaſticis referens. Hic enim mos eſt Alexandrinorum Archiepi-*

*piſcoporum, vt per totam Aegyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Ammoniacam, Mareotidem, & Pentapolim Eccleſiaſtica negotia adminiſtrent.* Meletium Thebaidis Archiepiſcopum ad Petrum Patriarcham Alexandrinum de cauſis Eccleſiaſticis referre conſueuiſſe, apertè teſtatur Epiphanius, qui rationem reddit, quòd tum cæterarum totius Aegypti Prouinciarum, tum etiam Thebaidis cura ad ipſum ſpectaret. *Hic enim mos eſt Alexandrinorum Epiſcoporum*, inquit, *vt per totam Aegyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Libyam &c. Eccleſiaſtica negotia adminiſtrent.* Libyæ, cuius hìc meminit Epiphanius, nullum Epiſcopum habemus, qui editis ſcriptis claruerit; habemus tamen teſtimonium ex Cyrillo Patriarcha Alexandrino, qui in epiſtola ſua ad Epiſcopos Libyæ, & Pentapolis oſtendit, eorum Eccleſias ſibi curæ eſſe: teſtatur enim, præpoſitos monaſteriorum, quæ erant in Thebanorum Prouincia, cum Alexandriam veniſſent, docuiſſe, quoſdam matrimonio recenter iunctos, alios monaſterijs eiectos, ſine debitis vitæ, & morum teſtimonijs, clericos, ſeu ſacerdotes in Libya, & Pentapoli longiùs diſſitis prouincijs ordinatos fuiſſe cum magno fidelium ſcandalo. Huic autem ſcandalo vt occurrat Cyrillus, totius Pentapolis, & Libyæ Epiſcopis mandat, ne in poſterum id faciant. *Quoniam ergò ad ædificationem*, inquit, *omnia à nobis facienda ſunt, hæc veſtra obſeruet pietas, & ſi quidem eſt ordinandus clericus, de vita eius inquirat, & an vxorem habeat, an non, & quonam modo duxit, & abſtinuit, & ſi non eſt aliquis ex ijs, qui eiecti ſunt à ſanctiſſimo Epiſcopo, vel ex monaſterio: tunc ſi inculpatus inuentus fuerit, ordinet. Ita enim & noſtram conſcientiam puram conſeruabimus, & inculpatum ſacrum, ac venerabile myſterium.* Quibus vltimis verbis D. Cyrillus indicat, Libyæ quoquè Eccleſias curæ ſuæ commiſſas fuiſſe, & ſe pro ijs coram Deo reſpondere debuiſſe. Atque hęc quidem de Libyca Prouincia, ex qua ſi aliquis Epiſcopus, vt ex Pentapoli Syneſius, nobis epiſtolas ſuas reliquiſſet, plura quoquè, ni fallor, de iure Patriarchæ Alexandrini in adminiſtrandis Libycæ prouinciæ Eccleſijs teſtimonia exſtarent.

7. Quamuis autem innumera Aegypti monimenta perierint, minimè tamen contemnenda videtur lex Theodoſij Imperatoris ad Præfectum Auguſtalem, quam Annalium parens Baronius ad annum 385. retulit. Extat etiam in appendice Codicis Theodoſiani per Sirmondum editi capite 3. & poſt Codicem Theodoſianum extrauaganti 3. cum hac inſcriptione. *Imppp. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius A A A. ad Optatum P.F. Auguſtalem.* Incipit verò: *Grauiter admodùm mota*

*ta eſt noſtra*. Et poſt pauca: *Continua lege ſancimus, nomen Epiſcoporum, vel eorum qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſeruiunt, ne ad iudicia, ſiue ordinariorum, ſiue extraodinariorum Iudicium pertrahatur. Habent illi Iudices ſuos, nec quiſquam his publicis commune cum legibus, quantum ad cauſas tamen Eccleſiaſticas pertinet, quas decet Epiſcopali authoritate decidi. Quibuſcumque igitur mota fuerit quæſtio, quæ ad Chriſtianam pertineat ſanctitatem, eos decebit ſub eo Iudice litigare, qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium Sacerdotum, ideſt per Aegypti Diœceſim, Optate cariſſime, ac iucundiſſime. Quarè laudabilis auctoritas tua arbitrio temperato quidquid negotium aliundè incidet, terminabit: habituro pontificium ſacræ diſceptationis Timotheo Epiſcopo, quem ſibi omnes etiam ſuo iudicio prætulere*. Hactenus lex Theodoſij Imperatoris, qua, cum data ſit ad Optatum Præfectum Auguſtalem, qui Alexandriæ reſidebat, clarè ſignificatur, eam pro Eccleſijs Aegypti datam eſſe. Cum autem Aegyptij nonnunquam res Eccleſiaſticas ad ſæcularia tribunalia deferrent, vetuit Theodoſius, ne id ampliùs fieret; rationem quoquè adiungit, quia Epiſcopali iudicio, & auctoritate decidendæ ſunt: *Quibuſcumque igitur mota fuerit quæſtio*, inquit, *quæ ad Chriſtianam pertineat ſanctitatem, eos decebit, ſub eo iudice litigare, qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium Sacerdotum, id eſt per Aegypti Diœceſim*. Quibus verbis, vt rectè notat Gothofredus, de Epiſcopo Alexandrino dicitur, eum cæteris Epiſcopis per Aegyptum prælatum fuiſſe. Vnde colligitur, etiam ad ipſum cauſas Eccleſiaſticas ex cunctis eiuſdem Diœceſis prouincijs referri debuiſſe. Hinc eſt, quod ibidem Theodoſius ſubiungit: *Habituro pontificium ſacræ diſceptationis Timotheo Epiſcopo, quem ſibi omnes etiam ſuo iudicio prætulere*. Timotheus enim, cuius hìc mentio fit, ſub Theodoſio Imperatore Patriarcha Alexandrinus fuit, quem omnes totius Aegypti Epiſcopi ſibi prætuliſſe affirmat. Atque hæc quidem ſufficiunt de Patriarcha Alexandrino, eiuſque auctoritate, qua per Aegyptum pollebat.

To.6. Cod. Tehod.

# CAPVT QVARTVM.

## *De Patriarchatu Antiocheno, eiuſque Prouincijs, & Patriarchæ iuribus.*

1. *Antiochena Eccleſia inter cæteras Patriarchales primùm à Petro inſtituta eſt, vt patet ex pleriſque SS. Patrum teſtimonijs.*

2. *Ex Baronio redditur ratio, cur inter Patriarchales tantùm tertium locum obtinuit, cum inter cæteras primo loco inſtituta ſit,* quin-

*quindecim autem Prouinciæ Orientis, quæ eidem ſubiectæ fuerunt, ex Notitia Imperij adferuntur.*

3. *Quod verò omnes hæ prouinciæ Sedi Antiochenæ paruerint, ex tribus Palæſtinis monſtratur teſtimonio D. Hieronymi, probaturque ex canone ſeptimo Nicæni Concilij.*

4. *Concinit Concilium Generale Secundum, quod priuilegia Eccleſiæ Antiochenæ confirmat. Primum autem priuilegium in iure ordinationum conſiſtit, quod Patriarchæ Antiocheno per Orientis Diæceſim competiiſſe illuſtri Innocentij Primi loco docetur.*

5. *Prouinciæ Cypri, quia in mari ſita, indultum eſt, vt proprios Metropolitanos ordinet, qua de re canon Arabicus Nicæno tributus, ex quo orta eſt Autocephalia Cypri, quam Concilium Epheſinum ſub conditione quadam confirmat.*

6. *Cum Petrus Fullo tanquam Patriarcha Antiochenus Cypri ordinationes ad ſe reuocare conaretur, Anthemius Salaminenſis in Cypro Metropolita hac ratione dumtaxat contra eum excepit, quòd Cypri Eccleſia Apoſtolica eſſet, ob quam Autocephaliam ſemel vſurpatam retinuit, reliquis Orientis Prouincijs Antiocheno relictis.*

7. *Probatur id de Prouincijs Phœniciæ, & Arabiæ, in quas Iuuenalis Hieroſolymitanus ius ordinationum arripere ſtudebat, contradicentibus Orientis Epiſcopis, & inter cæteros Theodoreto, cuius teſtimonia adferuntur.*

8. *De iure conuocandi ad Synodos adferuntur exempla Ioannis & Domni Antiochenæ Sedis Patriarcharum.*

9. *Id probatur de iure ferendi ſententiam circa Epiſcoporum cauſas ex ijs, quæ à Domno acta ſunt in cauſa Athanaſij Perrhenſis Epiſcopi.*

10. *Clariùs hac de re conſtat ex S. Procli Conſtantinopolitani Epiſcopi litteris, & ſententia iudicum Chalcedonenſis Concilij, quę Maximo Patriarchæ Antiocheno Orientis Diæceſis confirmatur, & cauſa Athanaſij Perrhenſis committenda decernitur.*

1. DE Antiochia, quæ etiam Theopolis, ideſt Dei ciuitas vocabatur, memoriæ prodidit Sanctus Lucas Actorum 2. cap. quòd ibi Gentilibus primùm prædicatum fuerit Euangelium, tantaque hominum multitudo ad fidem conuerſa ſit, vt *cognominarentur primùm Antiochiæ diſcipuli, Chriſtiani*. Hanc Eccleſiam à Petro fundatam fuiſſe ante cæteras Patriarchales teſtatur conſtans antiquorum traditio; legitur namque apud Euſebium in Chronico: *Petrus cum primùm Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, Romam proficiſcitur*. Habetur etiam apud D. Hieronymum lib. de Scriptoribus: *Poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ Romam pergit*. Affirmat quoquè Innocentius Primus epiſtola 18. ad Alexandrum Antiochenum, quòd *prima primi Apoſtoli Sedes eſſe monſtretur; vbi & nomen accepit religio Chriſtiana*. Docet inſuper D. Chryſoſtomus homilia in B. Ignatium, dum ait, Deum magnam curam habuiſſe Ciuitatis Antiochenæ, eò quòd Petrum voluerit diù in illa reſidere. Affirmat ſubindè Leo Magnus ſermone primo in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, quòd *Antiochenam Eccleſiam, vbi primùm Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundauerit*. Idem habet, vt finiam, ſexcentorum triginta Epiſcoporum Concilium Chalcedonenſe act. 7. dum cathedram Antiochenam Petri ſedem vocat τ μὲν θρόνον τῆς Ἀντιοχέων μεγαλοπόλεως, τὸν τοῦ ἁγίου Πέτρου *Magnæ Ciuitatis Antiochiæ thronum beati Petri*. Ex quibus clarè apparet, quòd Antiochena Sedes dignitatem ſuam debeat Apoſtolorum Principi Petro, qui primus in

in ea ſedit: cuius rei memoriam feſto annuo celebrat vniuerſa ſub cælo Eccleſia. Vnde etiam difficultas oriri videtur, cur Antiochena Eccleſia, quæ inter Patriarchales primùm ab ipſo Apoſtolorum Principe Petro inſtituta eſt, nonniſi tertium locum prioribus Eccleſiæ ſæculis obtinuerit?

2. Difficultatem hanc ſibi proponit Cardinalis Baronius ad annum 36. reſpondetque, quòd *quantumlibet à Petro Antiochena Eccleſia ante Alexandrinam fuerit inſtituta; tamen quia Præfectura Alexandrina Auguſtalis dicta, ab Auguſto eo nomine inſignita, magnificentiſſimè præ cæteris ab eodem fuerat nobilitata, longè præſtabat Syriæ Præfecturæ; ea de cauſa factum apparet, vt quamuis ſedes Antiochena ante Alexandrinam à Marco nomine Petri erectam, fuerit inſtituta, tamen illi poſtpoſita habeatur. Sic etiam quoniam inter omnes Orientales Præfecturas Syriæ Proconſulatus præſtabat, cum eius prouinciæ Metropolis eſſet Antiochia: indè etiam accidit, vt prima omnium Antiochena Eccleſia haberetur ...... Maiores enim in iſtituendis ſedibus Eccleſiarum non aliam inierunt rationem, quàm ſecundùm Prouinciarum diuiſionem, & prærogatiuas à Romanis anteà inſtitutas.* Hæc Baronius, vnde vt veteres Patriarchatus Antiocheni terminos cognoſcamus, præſtat antiquam Imperij Notitiam ante oculos ponere, vtpotè in qua enumerantur ſub diſpoſitione Comitis Orientis Prouinciæ quindecim: *Paleſtina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Iſauria, Palæſtina ſalutaris, Palæſtina ſecunda, Phœnice Libani, Euphratenſis, Syria ſalutaris, Oſroëna, Meſopotamia, Cilicia ſecunda.* Erant omnes hæ prouinciæ in Diœceſi Orientis, *cuius Metropolis*, teſte Hieronymo, *Antiochia*, quæ vt ſuprà ex Chryſoſtomo audiuimus, *Ciuitatum ſub Oriente poſitarum caput, & mater* erat. Quamobrem Epiſcopus Antiochenus à Valerio Anazarbi in Concilio Antiocheno ſub Domno, quod refertur actione 14. Concilij Chalcedonenſis, vocatur *communis pater, & Archiepiſcopus*. Et à Stephano Epiphanienſi Domnus Antiochenus Ἔξαρχος τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως, *Exarchus Orientalis Diœceſis* ib. dictus fuit.

3. Quòd autem tota Orientis Diœceſis Antiochenam ſedem tanquam Patriarchalem ſemper reſpexerit, clariùs probari non poteſt, quàm ex Eccleſijs Palæſtinæ, inter quas Hieroſolymitana primis Eccleſiæ ſæculis ſuffraganea fuit Metropolis Cæſareenſis. Cæſareenſis autem Eccleſia Antiocheno Epiſcopo tanquam Patriarchæ ſuberat, vt ex canonibus Niceni Concilij colligitur: cum enim can. 6. Nicæno ſtabilita fuiſſet Patriarchalis Antiochenæ ſedis authoritas, ſtatuitur canone 7. de Epiſcopo Hieroſolymitano: *Quia*

*con-*

*conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio, vt Aeliæ Epiſcopus honoretur, habeat honoris conſequentiam, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος, ſalua Metropoli propria dignitate.* Vbi per Metropolim intelligitur Cæſarea, cuius ſuffraganea erat Hieroſolyma, vt rectè contra Ioannis Hieroſolymitani errores annotauit D. Hieronymus. Cum namque Ioannes Hieroſolymitanus Epiſcopus de Origenis erroribus accuſatus cauſam ſuam ad Theophilum Patriarcham Alexandrinũ retuliſſet, ſcribit de Ioanne Hieronymus: *Quæ hæc eſt tanta arrogantia non reſpondere de fide interrogantibus? Tantam fratrum multitudinem, & monachorum choros, qui tibi in Palæſtina non communicant, quaſi hoſtes publicos æſtimare?* Et infrà: *Cur ab alio prouocatus reſpondens aliorſum arma conuertis? Palæſtinæ interrogaris, & reſpondes Aegypto.... Palæſtinæ prouocatus Alexandriæ loqueris.* Et infrà: *Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij canonibus vteris, & alienos clericos, & cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris vſurpare, reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc tibi decernitur, vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſareenſem Epiſcopum referre debueras, cui ſpreta communione tua, communicare nos noueras: aut ſi procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potiùs litteræ dirigendæ. Sed noui, cur Cæſaream, cur Antiochiam nolueris mittere: ſciebas, quid fugeres, quid vitares; maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quàm debitum Metropolitano tuo honorem reddere.* Hactenus Hieronymus in epiſtola ad Pammachium clariſſimè affirmans, totius Orientis Diœceſis Metropolim Eccleſiaſticam fuiſſe Antiochiam; & ſicut Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſuffraganeus erat Metropolitani Cæſareenſis; ſic Metropolitanus Cæſareenſis Epiſcopo Antiocheno, tanquam totius Orientis Diœceſis Patriarchæ parere debebat.

4. Cum itaque manifeſtum ſit, Palæſtinam, quæ inter cæteras Orientis Prouincias longiùs ab Antiochia diſtat, ſub Patriarcha Antiocheno fuiſſe, conſtat omninò, quòd cæterarum Prouinciarum, omniumque totius Orientalis Diœceſis Eccleſiarum Metropolis fuerit Antiochena Eccleſia, vt ſuprà ex D. Hieronymo audiuimus. Porrò Hieronymo concinit Concilium Generale II. ſub Damaſo, dum ſtatuit can. 2. *Et Orientis Epiſcopi Orientem tantùm gubernent, ſeruatis priuilegijs, quæ Nicænis canonibus Eccleſiæ Antiochenæ tributa ſunt.* Priuilegia enim illa, quæ à ſacro Nicæno Concilio Antiochenæ Eccleſiæ confirmantur, ſunt iura Patriarchalia in omnes Orientis Eccle-

cle-

cleſias, quorum primum eſt ius ordinationis Epiſcoporum, de quo ſanè præclarum extat teſtimonium Innocentij iſtius nominis Primi, qui initio quinti ſæculi vixit, & ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum epiſtola 18. ita ſcribit: *Reuoluentes itaque auctoritatem Nicenæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, eſſe neceſſarium cuſtodire, qua ſuper Diœceſim ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliquam Prouinciam recognoſcimus conſtitutam. Vnde aduertimus, non tam pro Ciuitatis magnificentia hoc eidem attributum, quàm quòd prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtretur, vbi & nomen accepit religio Chriſtiana, & quæ conuentum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit, quæque Vrbis Romæ Sedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſummatumque gauderet. Itaque arbitramur, frater chariſſime, vt ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum rectè ſeruabis, vt longè poſitos litteris datis ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantùm ordinant arbitratu: vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas peruenire. Quorum enim te maxima expectat cura, præcipuè tuum debent mereri iudicium.* Præclarum eſt hoc antiquiſſimi & ſanctiſſimi Pontificis teſtimonium; ex eo namque patet, Antiochenum Epiſcopum non ſicut cæteros Metropolitas ſuper Prouinciam aliquam, ſed ſuper integram Orientis Diœceſim conſtitutum fuiſſe: hanc eſſe mentem Nicæni Concilij, iuxta quam ius ordinationum non modò Epiſcoporum, ſed ipſorum quoquè Orientis Metropolitanorũ ipſi competebat: *Itaque arbitramur*, inquit ad Alexandrum Antiochenum Innocentius Primus, *vt ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari.* Indignum autem eſt, quod nuperus auctor ad hunc Innocentij locum notauit his verbis: *Hanc vindicabat in Prouincias ſibi ſubditas auctoritatem Innocentius, eandemque ab Antiocheno vſurpari arbitratur, & ex ſe de alijs iudicat.* Enimuerò quæ Innocentius hoc loco tribuit Antiocheno Epiſcopo, competebant Alexandrino in Aegypti Prouincias, & trecenti octodecim confeſſores Epiſcopi can. 6. Nicæno tam Alexandrino quàm Antiocheno Epiſcopis confirmarunt. Non agit itaque Innocentius de inuadendo, aut vſurpando iure Metropolitanorum, ſed conſeruando iure Patriarchali, quod ex antiqua con-

conſuetudine, cuius origo ab Apoſtolis promanauit, tempore Nicæni Concilj obſeruari debebat. Hoc ius, hanc auctoritatem ita interpretatur Innocentius, vt Epiſcopos longè poſitos litteris datis ordinari cenſeat; vicinos autem, ſi Antiochenus ita exiſtimet, ad propriæ manus impoſitionem accedere ſtatuat.

5. Porrò ex hac Innocentij ſanctiſſimi, ac antiquiſſimi Pontificis regula factum exiſtimo, quòd Prouincia Cypri iugum Patriarchale excutere, ſuique iuris eſſe cœperit. Sicut namque olim Prouincia illa ſub Orientis Diœceſi conſtituta erat, ita & Patriarchæ Antiocheno parere debebat, de quo canon inter Arabicos Nicænos ordine 37. *Si Epiſcopus Cypri diem ſuum in hieme obierit, & non potuerint populi propter tempeſtatem maris mittere Antiochiam, vt Patriarcha Antiochenus conſtituat ipſis Archiepiſcopum loco mortui, debent ſcribere ad Patriarcham, & petere ab eo, vt permittat eis conſtituere, quem voluerint; neque prohibebit hoc Patriarcha, poſtquàm ad eum ſcriptum fuerit: ſed potiùs concedat tredecim Epiſcopis, vt congregentur, & conſtituant Archiepiſcopum loco mortui, ne defuncto Archiepiſcopo principio hiemis, ſine capite propter tempeſtatem remaneant, & ne aliquis fortaſſis ex tredecim Epiſcopis à vita recedat, & non ſit Archiepiſcopus, qui conſtituat Epiſcopum loco mortui, atque ita fiat, vt toto eo anno Archiepiſcopo careant. Ob hanc cauſam conſtitutum eſt hoc: & qui contradixerit, Synodus eum excommunicat.* Canones Arabicos verè eſſe Nicæni Concilij affirmare non auſim, hunc tamen canonem aliquo modo veritatem attingere putem, quòd nimirùm Cypri ob continuas tempeſtates in hyeme non niſi cum periculo mare traijcere potuerint, & ob hanc rationem ipſis indultum fuerit, vt proprium Metropolitam eligerent, & conſecrarent, indeque eos αὐτοκεφαλίαν inducere tentaſſe, & Antiocheni Patriarchæ ordinationem effugere cœpiſſe. Cum enim in Concilio Epheſino Generali III. actione 7. Epiſcopi Cypri perſuadere conati eſſent, ab initio Metropolitas Cypri à Prouinciæ Synodo fuiſſe ordinatos, & interrogati de Epiphanio, Sabino, & Triolo, id ipſum forſan probaſſent, de alijs tamen anterioribus probare non potuiſſent; decreto Epheſinæ Synodi ſub conditione ſtatutum eſt: *Quoniam communes morbi maiore egent remedio, eò quòd maius damnum afferant, & maximè ſi non eſt vetus mos, quòd Epiſcopus Antiochenus ordinet in Cypro, ſicut libellis, & proprijs vocibus docuerunt religioſiſſimi viri, qui ad ſanctam Synodum acceſſerunt: habebunt ius ſuum intactum, & inuiolatũ, qui ſanctis in Cypro Eccleſijs præſunt, ſecundum canones ſancto-*

*rum Patrum* , & *veterem conſuetudinem* , *per ſe ipſos ordinationes religioſiſſimorum Epiſcorum facientes* . Notanda ſunt hęc Synodi verba : *Si non eſt vetus mos* , *quòd Epiſcopus Antiochenus ordinet in Cypro* . Hæc enim eſt hypothetica propoſitio , quæ , vt obſeruat Morinus exercit. 4. cum nihil affirmet , in Epiſcopum Antiochenum nihil eſt à Concilio conſtitutum .

6. Cæterùm ea viguit authoritate apud Cypri Metropolitas huiuſmodi decretum Epheſinæ Synodi , vt Prouinciæ ſuæ Autocephaliam conſtantiſſimè tutati ſint , quouſque Petro Fulloni Antiocheno Epiſcopo eam ſibi vindicare contendenti libertatis cauſam opponerent ab Alexandro Monacho recitatam in ea laudatione , quam de Barnaba Apoſtolo habuit : *Cypri Sedem ſanctiſſimam* , inquit , & *à principio inde vſque ab Apoſtolorum tempore liberam ipſe arripere* , & *ſibi ſubijcere aggreſſus eſt* , *idque ad Imperatorem retulit*, *falſum deferens ac dicens* : *Quoniam verbum Dei ab Vrbe Antiochia ad Cyprum Inſulam manauit* , *ob id Cypri Eccleſiam ſub Antiochenæ ſedis Patriarcha eſſe oportet* , *quandoquidem Apoſtolica* , & *Patriarchica ſedes eſt* . *Hæc ille rectæ fidei* , & *ſententiæ deſertor contendebat* , *cum tamen non ignoraret ea* , *quæ in vrbe Epheſo ſancta illa Synodus Cyrillo præſidente definierat* , *à ſe violari* , *atque corrumpi* . Adiungit Anthemium tunc Salaminæ Vrbis Metropolitam ad Vrbem regiam euocatum , vt in Synodo Conſtantinopolitana cauſam diceret : *Coacto igitur Concilio* , *cum cauſa illa tractaretur* , *aduerſarij afferebant ſua iura* , *vt ſibi videbantur* , *quòd Antiochena ſedes Apoſtolica* , & *Patriarchica ſedes eſſet* : *ob idque contendebant* , & *alias Prouincias ſibi ſubiectas eſſe debere* . *Hæc cum aſſererent* , *ijs* , *qui præſentes erant*, *rationi conſentanea dicere videbantur* . *Beatus verò Anthemius paulùm moratus* , *contrà obijcens* , *Et mea* , *inquit* , *ſedes Apoſtolica fuit*, *inde vſque à principio* , & *libertate honorata* , *qui* & *Apoſtolum habeo in patria mea integro corpore conſtantem* , *beatiſſimum* , *inquam*, *illum Barnabam* , *ſanctarum laudum præconijs celeberrimum* . *Hoc cum Anthemius oppoſuiſſet* , *nihil loci aduerſarijs relictum eſt* , *cum Epiſcopi* , *qui præſentes erant* , *ſilentio Anthemij orationem confirmaſſent* . Hactenus Alexander Monachus , cuius verba hìc referre placuit , non vt ex ijs oſtendam , Cypriorum Epiſcoporum ordinationes à Patriarcha Antiocheno peractas fuiſſe ( contrarium enim tuetur ) ſed reliquas Orientis Prouincias ſub Antiocheno Patriarcha adeò certò fuiſſe , vt ipſa Cypri Prouincia ab hoc iure libera non extitiſſet , niſi Anthemius Salaminenſis eam ob beati Barnabæ Apoſtoli reuerentiam ex-

excipi debere oſtendiſſet. Vnde Notitia Leonis Sapientis tempore Photij, hoc eſt ante 800. annos conſcripta: *Similiter Prouincia Cypri manſit autocephala, per ſe ipſam habens poteſtatem, propterea quòd in ea inuentus ſit S. Apoſtolus Barnabas ad pectus habens Euangelium ſecundùm Marcum*. Eadem omninò habet Nilus Doxapatrius in Notitia Patriarchatuum, alijque plures, quorum teſtimonia hic referre ſuperuacaneum puto.

7. Excepta itaque Cypri Prouincia, cæteræ Sedi Antiochenæ ſuberant, & in illas eiuſdem Antiochenæ Sedis Epiſcopus tanquam Orientis Patriarcha ius ordinationum exercebat. Patet id ex Palæſtinæ, Phœniciæ, & Arabiæ Prouincijs, de quibus Orientales Epiſcopi ex ſacroſanćto Chalcedonenſi Concilio ſcribunt ad Marcianum Imperatorem, eas quoad ius ordinationum non Epiſcopo Hieroſolymitano, ſed Antiocheno ſubiectas eſſe, dolentque nonnullos ſuorum contra canonum ſtatuta à Iuuenali Hieroſolymitano, qui illas Prouincias inuadere tentabat, fuiſſe ordinatos. *E nobis*, inquiunt, *quidam à pientiſſimo Iuuenali Hieroſolymorum Epiſcopo olim ordinati ſiluimus, quamuis pro canonibus certandum eſſet, ne videremur gloriæ noſtræ cauſa dolere, & nunc quoquè illius ſtudia, & præſtigias tales per Phœnicem ſecundam, & Arabiam non ignoramus*. Palàm affirmant Orientales Epiſcopi, ſecundæ Phœniciæ, & Arabiæ Prouincias quoad ius ordinationum iuxta canones Antiocheno Epiſcopo competere, & conſequenter ab Hieroſolymitano Antiſtite contra canonum ſtatuta inuadi. Quod Theodoretus varijs litteris deplorat, epiſtola enim 79. ad Anatolium Patricium: *Quòd ſi propterea indignantur nonnulli, quòd Phœnices Eccleſiarum ruinam lugemus, ſciat magnitudo veſtra, non poſſe nos non dolere, cum Iudæorum cornu in altum erectum Chriſtianos in lacrymis, luctuque cernimus, etiamſi ad vltimas oras tranſmittant*. Et epiſt. 80. ad Eutrechium Præfectum: *In luctu verſantur Eccleſiæ Phœnices, pariterque in luctu, quæ in Palæſtina ſunt*. Et infrà: *Licèt decies millies indignentur, quòd Phœnices damna defleo, id ego facere non deſinam, quandiù hæc video: mihi enim formidabile ſolùm eſt diuinum iudicium*. Neque hæc omnia ignorauit Iuuenalis, metuens enim, ne Phœnicum & Arabiæ Prouinciarum vſurpatione cognita tres Palæſtinas quoquè cogeretur Antiocheno reſtituere, pactum cum Maximo Antiocheno Patriarcha in ſacroſanćto Epheſino Concilio inijt, vt ſibi quidem liceret in tres Palæſtinas iura Patriarchalia exercere, Maximo autem Antiocheno cura Patriarchalis in duas Phœnicias, & Arabiam competeret. Quod pa-

pactum Leo Primus probare recuſauit volens, vt iuxta canonem Nicænum Antiocheno Epiſcopo iura Patriarchalia etiam in tres Palæſtinas exercere liceret. Tam certum erat, Antiocheno Patriarchæ ius ordinationum in totius Orientis Prouincias competiiſſe, antequàm Hieroſolymitanus Epiſcopus tres Palæſtinas inuaderet. Qua de re ſequenti capite latiùs agemus.

8. Relictis itaque ijs, quæ de ordinationum iure adiungi poſſunt, reſtat, vt agamus de iure conuocandi Epiſcopos Orientalis Diœceſis ad Synodos Patriarchales. Ea de re habemus teſtimonium ex ijs, quæ acta ſunt in Concilio Epheſino à Ioanne Antiocheno. Poſt latam enim à Cyrillo Alexandrino, alijſque Patribus in Neſtorium ſententiam, *Ioannes Antiochenus Epiſcopus*, inquit Euagrius libro 1. cap. 5. *vnà cum Antiſtitibus ſuis venit, quinto poſt die, quàm Neſtorius fuerat deſtitutus.* Vbi notanda ſunt Euagrij verba, *cum Antiſtitibus ſuis*; patet enim ex actis Conciliabuli Epheſini, quæ poſt actionem primam veri Epheſini Concilij referuntur, omnes Orientis Metropolitas Ioanni Antiocheno adhæſiſſe, Alexandrum nimirùm Apameenſem ſecundæ Syriȩ Metropolitanum, Helladium Tarſi Metropolitanum primȩ Ciliciȩ, Maximianum Anazarbi Metropolitanũ Ciliciæ ſecundæ, Dexianum Seleuciæ Iſauriæ Metropolitanum, Alexandrum Hierapolis Euphrateſiæ Metropolitam, Aſterium Amidæ Meſopotamiæ Metropolitanum, Ioannem Damaſci Phœniciæ Libani Metropolitanum, & Antiochum Boſtrorum Arabiæ Petrææ Metropolitanum. Erant quidem alij Metropolitani, & Epiſcopi adhærentes Ioanni, ſed hi ſuæ Diœceſis non vocabantur: vnde epiſtola ipſorum Synodica *de ſchiſmaticis* ita inſcribitur: *Sacra Diœceſis Orientalis Synodus, cæterique vnà cum ipſis ex diuerſis Prouincijs, ac Diœceſibus congregati.* Vbi videre licet, Synodum Diœceſis Orientis Ioãni Antiocheno contributam, cæterarumque Diœceſium, & Prouinciarum Epiſcopos extra Diœceſim Orientis conſtitutos ſub Synodo Orientali nequaquam comprehendi. Extat actione 14. Chalcedonenſis Concilij Antiochenum Concilium ſub Domno celebratum, quod ita incipit: *In Antiochenſium ſanctiſſima Eccleſia, in porticu æſtiualis ſecretarij, facto Concilio, & reſidentibus ſanctiſſimis Epiſcopis Domno eiuſdem Antiochiæ, Theodoro Damaſci, Valerio Anazarbi, Pompeiano Emeſæ, Polychronio Epiphaniæ ſecundæ Ciliciæ, Damiano Sidonis, Iamblicho Chalcidis, Theoctiſto Berrhœæ, Gerontio Seleuciæ, Ioſepho Heliopolis &c.* Ex quibus patet, pleroſque Orientalis Diœceſis Metropolitas, qui huic Antiocheno Concilio adfuiſſe memorantur, ad Synodum Patriarchale ſpectaſſe.

9. Ce-

9. Celebratum fuit prædictum Antiochenum Concilium ſub Domno occaſione Athanaſij Perrhenſis in Euphrateſia Prouincia Epiſcopi, qui à clericis ſuis coram Panolbio Hierapolitano eiuſdem prouinciæ Metropolita accuſatus eſt, & cuius cauſa ad Domnum tanquam Orientis Diœceſis Patriarcham relata fuit. Aſſerebat Domnus, ſe anteà eundem Athanaſium, & cæteros Euphrateſiæ Prouinciæ Epiſcopos ad tribunal ſuum euocaſſe: *Memor ſum*, inquit, *quia & eum huc euocaui, & Dei amantiſſimos Epiſcopos Prouinciæ, vt hæc cauſa examinaretur*. Poſtquàm verò cum Prouinciæ Epiſcopis cauſa Athanaſij finiri nequiuit, celebratum fuit prædictum Antiochenum Concilium, in quo Domnus auditis omnium Epiſcoporum Orientalium votis, vltimo loco his verbis ſententiam tulit: *Mei quidem voti non fuit, talem aduersùs Epiſcopum proferre ſententiam. Quia verò ſancto Concilio dignè complacuit, alienum exiſtere Athanaſium ſecundùm Eccleſiaſticas ſanctiones ab Epiſcopatu, tanquam multis, magniſque criminibus accuſatum, ſemper verò iudicium & examinationem cauſæ fugientem: confirmo hæc etiam ego, & in his, quæ omnibus communiter placuerunt, concors exiſto; iudicans eum alienum eſſe à Pontificatu: & præcipio Dei amantiſſimo Epiſcopo Ioanni, & ipſius Prouinciæ religioſiſſimis Epiſcopis, alium pro eo Perrhenorum ſanctæ Dei Eccleſiæ Epiſcopum ordinare*. In græco habetur ἐπιτρέπω, quod latinus interpres vertit, *præcipio*, cum propriè ſignificet, *permitto*, ſeu *committo*, quo verbo ne quiſquam putet diminui vim argumenti, quod pro authoritate Patriarchæ Antiocheni ex prædicto loco deſumitur; audiendum eſt ſacroſanctum Chalcedonenſe Concilium, ad quod Athanaſius Perrhenſis Epiſcopus poſt depoſitionis ſententiam à Domno latam confugerat.

10. Enimuerò relectæ ſunt in Chalcedonenſi Concilio act. 14. duę epiſtolæ Synodicę, Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani, & Cyrilli Patriarchæ Alexandrini, ad quos Athanaſius Perrhenſis confugerat, non vt Epiſcopi Antiocheni, ſed vt Metropolitani iudicium effugeret: *Non igitur tua religioſitas arbitretur*, inquit ad Domnum Antiochenum Proclus, *quia tanquam ad iniuriam ſedis Antiochenæ maximę Ciuitatis huc venit memoratus Dei amantiſſimus Epiſcopus; ſed metuens quoſdam, ſicut ait, ſeditionibus gaudentes, & paſſioni propriæ militantes, dedit ad tempus locum iræ*. Et ſuprà: *Et ſiquidem longè ab vrbe Antiochena ciuitas conſtituta eſt, in quo hæc perpetrata noſcuntur, aliquos Dei amantiſſimorum Epiſcoporum ipſi vrbi vicinos perſonas non accipientes ad audiendum hanc cauſam*

*ſam ſanctitas tua deputet. Formidat enim religioſiſſimum Metropolitanum Epiſcopum, tanquam veſanæ flammæ inimicorum eius ex odio aduerſùs eum vim præbentem, atque materiam.* Similia ſcripſit S. Cyrillus, vnde relictis his epiſtolis, ipſiſque Antiocheni Concilij ſub Domno celebrati actis, iudices Chalcedonenſis Concilij ſtatuerunt quidem, Athanaſium ab Epiſcopatu abſtinere debere: *Cauſas verò*, inquiunt, *illatas ei examinandas eſſe decernimus apud ſanctiſſimum Epiſcopum Antiochiæ Maximum, & Concilium, quod cum eo eſt: ita tamen vt intra octo menſes à præſenti die numerandos, examinatio fiat eorum, qui dudum accuſationem aduersùs eum propoſuerunt, aut ſi quis alius contra eum de his ipſis inſtare voluerit. Et ſiquidem conuictus fuerit omnia præſumpſiſſe, quæ ei criminaliter, ſeu pecunialiter ſunt illata, & geſtis inſerta, aut vnum ex illis, quod damnatione ſit dignum; non ſolùm eum alienum eſſe ab eodem Epiſcopatu, ſed etiam legibus publicis eſſe ſubdendum. Si verò intra hoc tempus non agatur aduersùs eum, neque conuincatur, ſicut prædictum eſt; Athanaſius quidem Epiſcopatum eiuſdem recipiat ciuitatis, & Eccleſiam per ſanctiſſimum Epiſcopum Antiochiæ Maximum.* Ex quibus omnibus patet, & Cyrillum Alexandrinum, & Proclum Conſtantinopolitanum, & iudices Chalcedonenſis Concilij pro certo & indubitato habuiſſe, cauſæ illius iudicium ad Patriarcham Antiochenum ſpectaſſe, & Synodum Orientalem cenſeri Patriarchalem; & ſiquidem Athanaſius ſedi Perrhenſi in Prouincia Euphrateſiæ reſtituendus erat, Eccleſiam illam per Maximum, Antiochenum Epiſcopum, qui tunc viuebat, recipere debuiſſe. Hac iudicum ſententia nihil iuſtius ſtatui potuiſſe confeſſus eſt ipſe Maximus; hac nihil integrius reperiri clamauit ſancta Synodus, id eſt ſexcenti triginta Orientales Epiſcopi, qui Chalcedonenſi Concilio adfuerunt. Quænam itaque oriri poteſt, aut excitari poſt huiuſmodi teſtimonium de Antiocheno Patriarchatu controuerſia? Obtinet Antiochenus Epiſcopus ius conuocandi cæteros Orientis Antiſtites: ritè fert eorum de cauſis ſententiam: ordinat, confirmatque ſuo iudicio Metropolitas: ea omnia exequitur Apoſtolicæ inſtitutionis officio. Quis ergò in dubium reuocet Patriarchalis amplitudinem dignitatis? Quis niſi pertinaci mancipatus inuidia, aut in erroris obſequium pronus cecutire velit in Orientis Diœceſi, in quam Patriarchæ Antiocheno thronum Patrum aſſerunt teſtimonia, Conciliorum decreta ſtabiliunt, & antiquiſſimæ traditiones, adeòque traditiones & Apoſtolicæ conſtitutiones adiudicant?

CA-

# CAPVT QVINTVM.

## *De Patriarchatu Hieroſolymitano: quomodo, & quandonam inſtitutus ſit, ac in quas Prouincias ius Patriarchale exercuerit?*

1. *Hieroſolyma antiqna Iudæorum Metropolis, in qua fides noſtra cœpit, vnde mater omnium Eccleſiarum dicta eſt.*

2. *Aedificata per Herodem in honorem Auguſti Cæſarea, non ſtatim dignitas Metropolitana ad illam tranſlata eſt à Romanis, ſed id primùm poſt deſtructionem Hieroſolymæ contigit: quam ob rem deſtructa per Titum Hieroſolyma, ſolum bonoris priuilegium præ cæteris Palæſtinæ ciuitatibus à tempore Aelij Hadriani, vſque ad quarti ſæculi finem meruit, poſt qnod tempus Cyrillus dignitatem Metropolitanam, Ioannes verò Autocephaliam prætenderunt.*

3. *Iuuenalis ab Epheſino Concilio Patriarchalem auctoritatem in tres Palæſtinas, Phœniciam, & Arabiam obtinere contendit, ſed ſpe ſua fruſtratur, repugnantibus Cyrillo Alexandrino, & ſede Apoſtolica, quibus in Concilio Chalcedonenſi ſe iunxerunt Orientales Epiſcopi.*

4. *Iuuenalis in Concilio Chalcedonenſi pactum init cum Maximo Antiocheno, vt illi quidem Phœnicia, & Arabia, ſibi verò tres Palæſtinæ ſubderentur, quod à Iudicibus Concilij Chalcedonenſis probatum fuit.*

5. *Relato ad Leonem Primum Iuuenalis, & Maximi pacto, ſanctus Pontifex illud in irritum duxit, qui ſalua Sedis Antiochenæ priuilegia voluit, ac Iuuenalem in exilium miſſum, & poſteà reſtitutum fuiſſe ſignificauit.*

6. *Iuuenalem tamen non receſſiſſe ab inuaſione trium Palæſtinarum, ex Euagrio patet, qui illum auctoritate Marciani Auguſti iudicium de Epiſcopis trium Palæſtinarum exercuiſſe docet, quod tamen improbatur à Gelaſio Primo.*

7. *Liberatus patrocinio Imperatoris Hieroſolymitanum Epiſcopum ius illud exercuiſſe ſignificat, quod ex Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna, & ex Synodo Hieroſolymitana ſub Petro comprobatur; primùm autem quodammodo confirmatum fuit ſub Iuſtiniano Imperatore, vt teſtimonio Gulielmi Tyrij conſtat.*

8. *Tempore Saracenorum, quibus confuſi ſunt Prouinciarum termini, tres Palæſtinæ Hieroſolymorum Sedem vt Patriarchalem reſpicere perrexerunt, quibus Notitia Leonis Sapientis Arabiam adiecit.*

9. *Eadem habentur in Notitia Nili Doxapatrij anno 1143. conſcripta, ex qua adferuntur 25. Archiepiſcopatus nulli Metropolitano ſubditi.*

1. HIeroſolymam fuiſſe antiquorum Iudæorum Metropolim, non humanis modò litteris apertum ſit, ſed ipſo diuinarum ſcripturarum teſtimonio, tum in veteri, cum nouo teſtamento luculenter exponitur, adeò vt Vrbi feliciſſimæ iniuriam potiùs facturus ſit, quàm præſtiturus encomium, quiſquis illius dignitatem tanquam orbi minùs cognitam velit perſcrutando imminuere. Quis enim adeò peregrinus in illa ſit, vt ſolus ignoret, hanc initio fuiſſe ſacerdotalem, & regiam, Regemque Regum Chriſtum Dominum in plenitudine temporis eam elegiſſe tanquam diuini nominis ſui domicilium, quod ſacro ſanguine ſuo dicatum reliquis locis præemineret, & inter cæteras vniuerſi orbis Ciuitates prima fidem ab eo accepit. Hìc enim Chriſtus duodecimo ætatis an-

anno diſputauit cum legis doctoribus: hic ſancta impreſſit veſtigia, virtutes exercuit, miracula edidit, fidem protulit, corporis ſui ſolemne ſacrificium totius humani generis expiatorium æterno Patri obtulit; hìc mundum relicturus Apoſtolos inſtituit: hìc diſcipulos regni ſui adminiſtros deſignauit, virtute ex alto induit: hìc totius ſummā religionis quodam veluti in ſacrario cuſtoditam, cum plenitudo temporis appeteret, expoſuit: hinc demùm religio ſolis inſtar, lucis ſuæ radios per totum mundum effudit. Vnde Hieroſolyma *mater omnium Eccleſiarum* à Patribus Concilij Conſtantinopolitani Primi appellata eſt in epiſtola Synodica ad Damaſum, alioſque Occidentales Epiſcopos; *Eſt enim*, inquiunt de Eccleſia Hieroſolymitana, *aliarum omnium mater*. Rationem adfert Diuus Hieronymus, *quia ibi primùm fundata Eccleſia totius orbis Eccleſias ſeminauit*. Vnde Iuſtinus Imperator epiſtola ad Hormiſdam Pontificem, Hieroſolymitanam Eccleſiam *matrem Chriſtiani nominis* appellat. Extat hæc epiſtola poſt ſeptuageſimam quartam inter eas, quas Philippus Labbeus Tomo quarto Conciliorum edidit, & data eſt Ruſtico V. C. Conſule, ideſt anno Domini 520.

2. Dignitatem, quam Hieroſolyma ante Romanorum aduentum obtinuit, non ſtatim poſt ſubactam per Pompeium Iudęam, & ædificatam per Herodem in honorem Octauiani Auguſti Cæſaream, amiſit. Quamuis enim in Actibus capite 24. legamus, Felicem Præſidem ſuam ſedem habuiſſe Cæſareæ, & ad eum à Tribuno Lyſia Paulum vinctum tranſmiſſum fuiſſe (*Biennio autem expleto*, inquit S. Lucas, *accepit ſucceſſorem Felix Portium Feſtum. Volens autem gratiam facere Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctum. Feſtus ergo cum veniſſet in Prouinciam, poſt triduum aſcendit Hieroſolymam à Cæſarea ..... Demoratus autem inter eos dies non ampliùs, quàm octo, aut decem, deſcendit Cæſaream, & altera die ſedit pro tribunali, & iuſſit Paulum adduci.*) ex his tamen ſacrę Scripturæ verbis nihil aliud habemus, quàm Iudæam, in cuius medio Hieroſolyma ſita eſt, à Romanis fuiſſe in Prouinciæ formam redactam: quod verum eſſe poteſt, licèt Iudæa non ſpecialis Prouincia facta, ſed Prouinciæ Syriæ contributa fuerit, prout contributam fuiſſe, initio huius operis monſtrauimus. Cum autem longiùs ab Antiochia, in qua Syriæ Præſes commorabatur, ſita eſſet Iudæa, ad hanc Procuratores mittere ſolebant Romani, qui Prouinciæ quidem curam gererent, ſed Syriæ Præſidi obtemperarent, & ad eum de grauioribus cauſis referrent. Vnde factum eſt, quòd Ceſarea, in qua Iudeæ Procuratores ſedem fixerant, poſt Hieroſolymæ deſtructio-

ctionem Palæſtinæ Metropolis euaſerit. Hieroſolyma enim ſub ruderibus ſuis ſepulta, nequaquam ad priſtinæ ſedis ſplendorem redire cœpit, niſi poſtquàm ab Aelio Adriano reſtaurata fuit, ab illo enim tempore honorem, quem antiquitùs præ cæteris Iudeæ ciuitatibus obtinuerat, eius Epiſcopus à Patribus Nicænis petijt, illumque ſacroſanctum Nicænum Concilium his verbis adiudicauit can. 7. *Quia conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio, vt Aeliæ Epiſcopus honoretur, habeat honoris conſequentiam ſalua Metropoli propria dignitate*. Vbi notanda ſunt vltima verba, quæ Metropolis Cæſareenſis dignitatem ſaluam volunt, cuius Hieroſolyma tunc erat ſuffraganea. Vbi autem ſemel honorem obtinuit Hieroſolymitanus, etiam Metropolitanam dignitatem prætendit Cyrillus S. Ciuitatis Epiſcopus, quem & ideò exauctoratum à Synodo Seleucienſi tradit Sozomenus lib. 2. cap. 24. *Quod velut Sedis Apoſtolicæ Antiſtes cum Acacio de iure Metropolitano diſſenſiſſet*. Vlteriùs progreſſus eſt Cyrilli ſucceſſor Ioannes, quem Diuus Hieronymus arguit, quòd iactaret, ſe habere Cathedram Apoſtolicam, ideòque nec Cæſareenſi vt Metropolitæ, nec Antiocheno vellet ſubijci vt Patriarchæ, vti ſuperiori capite latiùs explicauimus.

3. Ioannis ambitum reſumpſit in ſacroſancto Epheſino Concilio Iuuenalis Hieroſolymitanus, de quo Leo Primus epiſtola 62. ad Maximum Patriarcham Antiochenum: *Subrependi occaſiones non prætermittit ambitio .... Sicut etiam in Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum ſuo dogmate perculit, Iuuenalis Epiſcopus ad obtinendum Paleſtinæ Prouinciæ principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctus Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens ſcriptis ſuis mihi, quid prædicta cupiditas auſa ſit, indicauit, & ſolicita prece multùm popoſcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio*. Credebat Iuuenalis, ob D. Cyrilli, & Concilij Epheſini in Patriarcham Antiochenum indignationẽ tempus oportumum adeſſe, quo tres Palæſtinas in ius ſuum transferre poſſet: ſed Diuus Cyrillus ſciens aliud eſſe in delicta Antiſtitum animaduertere, aliud iura ſedium defendere, reiecit conatum vſus auxilio S. Leonis tunc Romanæ Eccleſiæ Archidiaconi, ab eo *ſolicita prece multùm poſcens, vt nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio*. Vbi dilucidè apparet, Aegypti Patriarcham etiam mediatoribus Romanis clericis apud ſanctam Petri Sedem popoſciſſe, ne confirmarentur auſus Iuuenalis Ieroſolymorum Epiſcopi, qui & confirmationem non obtinuerunt. Patet id tum ex euentu, tum ex actis latrocinij

Epheſini, vbi licèt magnis apud Dioſcorum meritis à Chryſaphio Eunucho Iuuenalis Ieroſolymorum Epiſcopus obtinuiſſet pragmaticam ſanctionem, qua tres Paleſtinæ, Arabiæ, & duæ Phœniciæ ipſius iuri Patriarchico ſubijciebantur; in ſacroſancto tamen Chalcedonenſi Concilio ad damnationem Epheſini Latrocinij indicto cognoſcere cœpit cauſæ iniquitatem, & vitium. Nam Orientalium Epiſcoporum prima petitio ad Principem miſſa è Ciuitate Chalcedonenſi, *E nobis*, inquit, *quidam à pientiſſimo Iuuenali Hieroſolymorum Epiſcopo olim ordinati ſiluimus, quamuìs pro canonibus certandum eſſet, ne videremur gloriæ noſtræ cauſa dolere. Et nunc quoquè illius ſtudia, & præſtigias tales per Phœnicem ſecundam, & Arabiam non ignoramus*.

4. Grauis fuit hæc Epiſcoporum querela, neque inutilis, aut vana; nam actione 4. de expreſſo Marciani Auguſti conſenſu, Synodus Chalcedonenſis annullauit in ſimili quæſtione à Photio Tyriorum Metropolita aduersùs irregularẽ Euſtathij Berytenſis Epiſcopi ambitum omnia pragmatica decreta, & regulas Nicænas obtinere voluit. Vnde vela vertens Iuuenalis poſt magnam vtrinque contentionem, Maximum Patriarcham Antiochenum induxit ad ſtipulandum: qua de re ipſe Maximus ad Synodum Chalcedonenſem actione 7. *Placuit mihi, & reuerendiſſimo Iuuenali poſt multam contentionem per conſenſum, vt ſedes quidem Antiochenſium maximæ ciuitatis beati Petri habeat duas Phœnicias, & Arabiam; ſedes autem Hieroſolymorum habeat tres Palæſtinas: & rogamus ex decreto magnificentiæ veſtræ, & ſancti Concilij, hæc ex ſcripto confirmare*. Tribus Paleſtinis contentus, duas Phœnicias, & Arabiam ceſſit Maximo Antiocheno per pactum cum ipſo initum Iuuenalis Ieroſolymæ Epiſcopus, & poſt auditos primarios Concilij Epiſcopos, glorioſiſſimi Iudices his verbis pacta confirmarunt: *Per placitum igitur Maximi ſanctiſſimi Antiochenſium ciuitatis Epiſcopi, & Iuuenalis ſanctiſſimi Ieroſolymorum Epiſcopi facta conſenſio, ſicut vtriuſque atteſtatio declarauit, firma etiam per noſtrum decretum, & ſententiam ſancti Concilij in omni tempore permanebit*. Et hoc decretum pro confirmatione ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſſum, ex tunc Patriarchatum Ieroſolymitanum roboraſſet, ſi Romanæ Eccleſiæ Pontifex conſenſum præbuiſſet.

5. At Eccleſiæ Romanæ, adeòque orbi Catholico præerat per id tempus magnus Pontifex Leo I. qui maiorum in moribus cuſtodiendis egregiam nauauerat operam, antequàm ſummo initiaretur ſacerdotio, cum legitimam Antiſtitum poteſtatem priuatus olim apud Pontifices patrocinio

cinio ſuo tueretur. Is enim Romanæ Eccleſiæ diaconus apud Cęleſtinum Papam, inſtante D. Cyrillo Patriarcha Alexandrino Iuuenalis improbos auſus repreſſerat, & inuaſionem auerterat. Edoctus itaque in minori miniſterio ſupremæ poteſtatis officium, ſui muneris eſſe credidit, editum contra Nicæni Concilij canones ſtatutum irritare, & annullare. Epiſtola itaque 62. ad Maximum Patriarcham Antiochenum, tandem his verbis admonuit: *Dignum eſt, te Apoſtolicæ Sedis in hac ſolicitudine conſortem, & ad augendam fiduciam priuilegia tertiæ Sedis agnoſcere, vt in nullo cuiuſquam ambitione minuantur.* Et infrà: *Subrependi enim occaſiones non prætermittit ambitio, & quoties ob intercurrentes cauſas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile eſt, vt cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram ſuam moliatur appetere. Sicut etiam in Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Iuuenalis Epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ Prouinciæ principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens ſcriptis ſuis mihi, quid prædicta cupiditas auſa ſit, indicauit, & ſolicita prece multum popoſcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio. Nam cuius epiſtolæ ad nos exemplaria direxiſti ſanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noſtro ſcrinio requiſitam nos authenticam noueris reperiſſe.* Adiungit demùm, ſe nequaquam approbaſſe Legatorum ſuorum acta, quibus ſine prævia Sedis Apoſtolicæ inſtructione, aut licentia conſenſerant pacto inter Maximum, & Iuuenalem actione 7. Chalcedonenſis Concilij inito. *Siquid ſanè,* inquit, *ab his fratribus, quos ad ſanctam Synodum vice mea miſi, præter id, quod ad cauſam fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitus firmitatis. Quia ad hoc tantùm ab Apoſtolica Sede ſunt directi, vt excuſſis hæreſibus, Catholicæ eſſent fidei defenſores. Quidquid enim præter ſpeciales cauſas Synodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam diiudicandi habere rationem, ſi nihil de eo eſt à ſanctis Patribus apud Nicæam definitum.* Data eſt hæc epiſtola *tertio Idus Iunij Opilione V. C. Conſ.* id eſt anno Chriſti 453. quo tempore Iuuenalem Sede Ieroſolymitana aliquandiu priuatum fuiſſe, conſtat ex epiſtola eiuſdem Leonis 72. qua *eum reſipiſcentiam magis, quàm pertinaciam delegiſſe* gratulatur, gaudetque, quòd ad Epiſcopatus ſui ſedem redijſſet. *Gauiſus quidem ſum,* inquit, *quòd tibi ad Epiſcopatus tui ſedem redire licuiſſet: ſed confluentibus in recordationem omnibus cauſis, quæ te per*

*quoſdam exceſſus laborare fececunt, dolui aduerſitatem tuarum temetipſum tibi fuiſſe materiam.* Quibus verbis Leo Primus anno 454. pridie Nonas Septembris, quo hæc epiſtola data fuit, indicat, Iuuenalem & ob graues exceſſus meruiſſe exilium, & ob reſipiſcentiam, quam delegerat, Sedi ſuæ non immeritò fuiſſe reſtitutum.

6. Cum itaque Leo Primus indicet, Iuuenalem Hieroſolymitanum ab illicitis auſibus reſipuiſſe; quæri poſſet, num etiam ab inuaſione trium Palæſtinarum reſipuerit, niſi ex Euagrio haberemus, quòd Iuuenalis poſt reditum ab exilio Epiſcopos à Theodoſio ipſius competitore per tres Palæſtinas ordinatos depoſuerit. Extat Euagrij teſtimonium libro 2. hiſtoriæ cap. 5. vbi tradit, Theodoſium, cum Iuuenalis in exilium miſſus eſſet, ab hęreticis in locum ipſius ſubſtitutum fuiſſe, & ad eum multos ex vrbibus trium Palæſtinarum acceſſiſſe, & Epiſcopos ab illo ſibi ordinari curaſſe: *Ad hunc igitur multi ex vrbibus trium Palæſtinarum accedentes, Epiſcopos ab illo ſibi ordinari curarunt. Inter quos fuit Petrus quidam oriundus ex Iberia, cui Maiumæ, quod oppidum eſt iuxta vrbem Gazeorum, Epiſcopatus commiſſus eſt. Hæc vbi comperit Marcianus, primò quidem Theodoſium ad ſe in comitatum perduci iubet, deinde Iuuenalem mittit, vt ea, quæ geſta fuerunt, corrigeret, mandans vt cunctos, qui à Theodoſio ordinati fuerant, expelleret. Poſt aduentum igitur Iuuenalis multa triſtia, atque acerba contigerunt, cum ex vtraque parte fierent, quæcumque furor ipſis ſuggerebat.* Ex hoc Euagrij loco clarè in primis conſtat, Theodoſium durante Iuuenalis exilio alterum ius Patriarchicum, quod in ordinatione Epiſcoporum conſiſtit, in tres Palæſtinas exercuiſſe. Secundò conſtat, Iuuenalem poſt ſuum ab exilio reditum altero iure Patriarchico, quod in iudicandis Epiſcoporum cauſis conſiſtit, functum fuiſſe, dum ordinatos à Theodoſio in tribus Palæſtinis Epiſcopos è ſedibus ſuis expulit. Conſtat tertiò, Iuuenalem id feciſſe ex mandato Gratiani Imperatoris, cui, vt Gelaſius ſcribit epiſt. 13. ad Dardaniæ Epiſcopos, ſuggerere decuerat, *vt Eccleſiæ ſineret Chriſtianus Princeps regulas cuſtodire.* Conſtat demùm, Iuuenalem non reſipuiſſe à trium Palæſtinarum inuaſione, ſed verum eſſe, quod Liberatus Carthaginenſis Archidiaconus in Breuiario cap. 13. annotauit: *Licèt Sedes Apoſtolica nunc vſque contradicat, quod à Synodo firmatum eſt, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.*

7. Notanda autem ſunt Liberati verba, quibus Imperatoris patrocinio priuilegia Sedis Hieroſolymitanæ quodammodò permanſiſſe ſignificat. In huius enim hiſto-

riæ

riæ confirmationem adduci poteſt reſcriptum Synodicum ad Ioannem Conſtantinopolitanum relatum actione 5. Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna, quod hanc inſcriptionem habet: *Ioannes Dei miſeratione Epiſcopus Hieroſolymorum, & ſancta Synodus trium Palæſtinarum.* Adduci quoquè poteſt Synodus Hieroſolymitana: *Poſt conſulatum Flauij Beliſarij* anno 536. quæ habita eſt *in Colonia Aelia Metropoli, ſiue Hieroſolymis præſidente ſanctiſſimo, ac beatiſſimo Patriarcha Petro in ſecreto venerabilis Epiſcopatus ſuæ beatitudinis, & aſſiſtentibus Sacerdotio ſuo ſanctiſſimis Epiſcopis trium Palæſtinarum, ſub ſanctis locis venerabiliſſimæ Synodi exiſtentibus.* Hæc ſunt antiquitatis monimemta, quæ inter Concilia Generalia Quartum & Quintum ſuperſunt, & indicant verum eſſe, quod Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis annotauit, Hieroſolymitani Epiſcopi Patriarchatū in tribus Palæſtinis quodammodò permanſiſſe. Nunc videndum eſt, quomodò id primùm firmari contigerit tempore Iuſtiniani Imperatoris. Qua de re legendum eſt Guillelmi Tyrenſis Archiepiſcopi præclarum teſtimonium in Notitia Patriarchatus Hieroſolymitani, quam hiſtoriæ ſuæ de bello ſacro ſubiecit; ibi enim ſcribit: *Iuxta traditiones veterum, & quædam ſcripta, quæ auctoritatem habent non modicam apud Palæſtinos, & maximè Græcos Ieroſolymitana Eccleſia, vſque ad tempora Iuſtiniani ſanctæ recordationis Auguſti, Epiſcopum habuit nulla vel modicæ dignitatis prærogatiua gaudentem; tempore verò prædicti Deo dilecti Principis congregata eſt Synodus generalis apud Conſtantinopolim, tempore Domini Vigilij Papæ, Eutychij Conſtantinopolitani, Apollinarij Alexandrini, Domni Antiocheni, Euſtochij Hieroſolymitani Patriarcharum ſuper tribus Capitulis ..... In qua Synodo poſt alias Eccleſiæ Dei neceſſarias inſtitutiones, quas pro tempore promulgandas decreuit, S.S. Patrum, qui ad eam conuenerant, auctoritas prædictam Deo amabilem honorare Eccleſiam, & eius Epiſcopo locum inter Patriarchas dare communi ſanxit voluntate.* Synodicum decretum, cuius hîc meminit Tyri Archiepiſcopus, aut perijt, aut latet; indicium tamen habetur ex ſubſcriptione Legatorum Epiſcopi Hieroſolymitani, vt ſuprà indicauimus. Cæterùm ex veterum Palæſtinæ ſcriptorum traditione teſtatur Guillelmus Tyrius conſtitiſſe, quod Hieroſolymitanus Patriarchatus vſque ad Synodum Quintam habuerit infirma initia, & quia à Sede Apoſtolica confirmatus non erat, Synodi Quintæ, & Vigilij Papæ conſenſu indiguiſſe.

8. Anno 614. capta à Coſroë Perſarum Rege Hieroſolyma, Io-

loca ſancta direpta ſunt, Syriæ deuaſtatæ, Zacharias Patriarcha in Perſidem abductus, Chriſtiani Iudæis vili pretio diuenditi, & nonaginta millia occiſi, vt habet Theophanes; ex quo conſtat, ſub Heraclio Imperatore, qui tunc viuebat, Hieroſolymam, & Palæſtinas Perſis ereptas fuiſſe, ac Imperio reſtitutas. Non diù tamen antiquis dominis paruerunt: anno ſiquidem 675. irrumpentibus Barbaris, Haumari Arabum, & Saracenorum Principis ductu, & auſpicijs ſubacta Syria obſeſſa Hieroſolyma, quæ & anno ſequenti capta, politicè adminiſtrationum iacturam in florentiſſimo hoc Regno Chriſtiani Principes perpeſſi ſunt, vices tamen longè mitiores Eccleſiaſtica ſubijt diſciplina; ea ſiquidem conditione Barbaris conceſſêre Prouinciæ, vt Chriſtianis in vniuerſa Palæſtina liceret, quæ noſtræ religionis ſunt ſacra, peragere; hoc enim reſpexit Theophanes, cum ſcripſit quòd Sophronius Hieroſolymitanus ſummus Sacerdos verbum acceperit ad totius Palæſtinę ſecuritatem, vt mirum eſſe non debeat, ſi tempore 463. annorum, quibus Palæſtina ſub Saracenorum poteſtate manſit, non Chriſtiani tantùm, ſed & Patriarchæ fuerint, quorum Legati Sextæ, & Septimæ Synodis interfuerunt. Quinimò Octauæ Synodo anno 869. Conſtantinopoli eoſdem adfuiſſe, patet ex actis Conciliorum: Prouincias autem, & Metropoles, ac Epiſcopatus tunc Patriarchæ Hieroſolymitano ſubiectas indicat Notitia Leonis Sapientis, quæ in Prouincia primæ Palæſtinæ primo loco ponit *Aeliam Hieroſolymorum ſanctam Ciuitatem* tanquam ſedem Patriarchalem, ſecundo loco Cæſaream Metropolim, cui 28. Epiſcopatus ſubijcit. Adiungit Prouinciam Palæſtinæ ſecundæ cum 14. Epiſcopatibus ſub Scythopoli; Prouinciam Palæſtinæ tertiæ cum 13. Epiſcopatibus ſub Petra Metropoli; & Prouinciam Arabiæ cum 33. Epiſcopatibus ſub Boſtra eius Prouinciæ Metropoli.

9. Huic Leonis Notitiæ concinit Nilus Doxapatrius, qui anno 1143. Patriarchatus Hieroſolymitani Metropoles exhibuit, eaſque quatuor enumerauit, quarum ſecunda Scythopolis ſiue Baſan, tertia Petra, quarta Boſtra, ſiue Arabia, vltra quas recenſet Archiepiſcopatus nemini obnoxios 25. Nuper edita eſt hæc Nili Doxopatrij Notitia græcolatina in Sylloge variorum opuſculorum græcorum, ibique habentur ſequentia verba: *Nomen ſibi Patriarcha Hieroſolymitanus habuit, licèt anteà Epiſcopus eſſet ſub Cæſareenſi Palæſtinæ, Palæſtina enim habet Cæſaream Metropolim, ſub qua erat Hieroſolymitanus Epiſcopatus. Habuit verò & alias Metropoles, quæ varios Epiſcopatus ſub ſe habebant, nempè ſecundam Scythopolim, ſiue Baſan, tertiam Petram, quartam*

*tam Boſtram, ſiue Arabiam. Habet præterea Archiepiſcopatus nemini obnoxios 25. nullis Epiſcopatibus nobiles, & qui ſubiacent throno Hieroſolymitano.*

1. *Dioſpolim, ſiue Georgiopolim.*
2. *Aſcalonem.*
3. *Ioppem.*
4. *Gazam.*
5. *Anthedonem.*
6. *Diocletianopolim.*
7. *Eleutheropolim.*
8. *Neapolim.*
9. *Sebaſtem.*
10. *Iordanem.*
11. *Tiberiadem.*
12. *Diocæſaream.*
13. *Maximianopolim.*
14. *Capetoliadem.*
15. *Myrum.*
16. *Gadarum.*
17. *Nazareth.*
18. *Thaborium montem.*
19. *Cyriacupolim.*
20. *Adriam.*
21. *Gabalam.*
22. *Aeliam.*
23. *Pharas.*
24. *Helenopolim.*
25. *Montem Syna.*

Nonnulli recenſentur Epiſcopatus, de quibus dubitari poteſt, vt decimus Iordanis, cum fluuius ſit, non ciuitas. Aliam Notitiam habet Guillelmus Tyrenſis Epiſc. cuius hiſtoria edita eſt in Geſtis Dei per Francos, vbi enumerantur quatuor prædicti Epiſcopatus, & plures Archiepiſcopatus, prout ex antiqua M. S. Notitia Bibliothecæ Vaticanæ, quam ad finem huius operis edemus, clariùs patebit.

# CAPVT SEXTVM.

## *De Patriarchatu Conſtantinopolitano: & qua arte, ac quandonam Epiſcopi Conſtantinopolitani tres Exarchatus ſibi ſubiecerint?*

1. *Byzantium tempore Regum Iuda conditum fuiſſe, ac totius Thraciæ Vrbem celeberrimam extitiſſe, variorum Scriptorum teſtimonijs probatur.*

2. *Caij temporibus non Metropolis Prouinciæ Romanæ, ſed liberæ conditionis oppidum fuit, & à Seuero deletum Perinthis ſubiectum eſt; vnde factum quòd duobus primis ſæculis nunquam Epiſcopum Metropolitanum habuerit.*

3. *Perinthus à tempore Seueri euaſit Metropolis Europæ Prouinciæ, in qua Byzantium ſitum eſt, vnde & Byzantina Sedes ſuffraganea Perinthi fuit, antequàm ſub Conſtantino Magno Vrbs Imperialis effecta Conſtantinopolis vocabatur, quod poſt Nicænum Concilium contigiſſe oſtenditur.*

4. *Somniant Græci, cum Imperio etiam Primatus Pontificij honorem ex veteri Roma Conſtantinopolim tranſlatum fuiſſe, & quoad adminiſtrationem ciuilem à Perinthi Metropoli auulſam eſſe, præpoſito ei Præfecto Vrbis per Conſtantiuum Imperatorem anno 359.*

5. *Conſtantinopolitani verò Epiſcopi Vrbis Regiæ ſplendore excitati paulatim primatus priuilegia ambierunt. Vnde Nectarius in Synodo Generali II. priores honoris partes à Patribus obtinuit; ſalua tamen propria Metropolis dignitate, vt ex ipſius Synodi canone deducitur.*

6. *Poſteà auctoritatem Patriarchalem aſſumpſerunt, quod Philippus presbyter Conſtan-*

*ſtantinopolitanus Dini Chryſoſtomi exemplo roborari credidit, vtpotequi Sozomeno, & Theodoreto teſtibus plures Epiſcopos, & Metropolitanos in Thracia, Aſia, & Ponto depoſuit, ac creauit.*

7. *Verùm Chryſoſtomus, quod egit, auctoritate Sedis Apoſtolicæ fecit, probaturque, Gerunty Nicomedienſis Metropolitæ depoſitionem nulla alia auctoritate ſpectaſſe ad Nectarium, quàm Vicaria Sedis Apoſtolicæ, qua poſt Nectarium Chryſoſtomus vſus eſt.*

8. *His autem exemplis nititur auctoritas, quam vſurpauerunt Epiſcopi Conſtantinopolitani in tres Diœceſes, Thraciæ, Ponti, & Aſiæ, cuius exempla de Siſinnio, & Proclo exhibet Socrates.*

9. *Epiſcopi prædictarum Diœceſium, qui ab Epiſcopo Conſtantinopolitano ſe ordinari curarant, ex gratitudinis debito, ſe eidem Patriarchalem deferre profeſſi ſunt actione 16. Chalcedonenſi, vnde Iudices iſtius Concily ſecundum Patriarchatus gradum Anatolio Conſtantinopolitano Epiſcopo concedunt,*

10. *Verùm contradixerunt inprimis Leonis Primi Legati, & Leo ipſe ſcriptis ad Martianum Auguſtum litteris canonem Chalcedonenſem irritauit, ac Anatolium ad reſipiſcentiam coëgit, vt ex Gelaſij teſtimonio oſtenditur.*

11. *Ambitus Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum reuixit ſub Acacio, qui adnitente Leone Principe tres Exarchatus inuaſit, cuius ſucceſſores contradicentibus Romanis Pontificibus Illyricum Orientale, Siciliam, & partem Calabriæ à Romano Patriarchatu auulſa, & Iſauriam Patriarchatus Antiocheni Prouinciam inuaſerunt.*

12. *Enumerantur ex Nilo Doxapatrio aliæ gentes, in quas Conſtantinopolitanus Epiſcopus ius Patriarchale aſſumpſit, qui tamen nunquam Primatum Eccleſiæ prætendit, ſed eum ſemper Romano Pontifici detulit, quamdiù catholicus extitit, & in ſchiſma prolapſus non fuit.*

1. ANtequàm ad thronum Conſtantinopolitani Patriarchatus conuertatur oratio, pauca pro more noſtro de Ciuitatis Auguſtæ primordio liceat præmittere. Diſſentiunt ſcriptores, vt in pleriſque rerum antiquarum exordijs ſæpè contingit, in huius ciuitatis conditore enarrando; conueniunt tamen omnes, eam plurimis ante Chriſtum ſæculis conditam fuiſſe. Senator in Chronico refert, Vrbem illam regnante Tullio Hoſtilio tertio Romanorum Rege, qui anno 2. Olympiadis 27. periodi Iulianæ 4043. regnare cœpit, conditam fuiſſe. Nec multùm differt Euſebius in Chronico, illud anno 16. Tullij Hoſtilij adſcribens, Olympiadis nimirum trigeſimæ, anno 3. Herodotus lib 4. teſtatur, id factum anno 17. poſt conditam Chalcedonem, quod Euſebio conſentantaneum eſt ſcribenti, Chalcedonem Olympiadis 26. anno 2. fundatam fuiſſe. Ex quibus apertum fit, Vrbem illam tempore Regum Iuda cœpiſſe. Quod rectè animaduertit Georgius Cedrenus, qui tempore Manaſſis Regis Byzantium conditum exiſtimat. Varia fuit Vrbis fortuna ante Chriſti tempora, vt videre licet apud D. du Change lib. primo Conſtantinopolis Chriſtianæ capite 16. vbi obſeruat, nunc Lacedęmonijs, nunc Athenienſibus paruiſſe, præclaram tamen ſemper Ciuitatem extitiſſe: vnde Straboni dicitur *celebris Ciuitas*, Stephano *illuſtriſſima*, Iuſtino *nobilis & maritima*, Chronici Alexandrini auctori *Thraciæ Emporium*. Herodianus quoquè eam dixit *Vrbem Thracicarum maximam olim, & felicem, ciuiumque frequentia, & opibus florentem*.

tem. Et Zonaras: *Byzantium autem priùs fuit etiam Vrbs haud obſcura, neque ignobilis, ſed & frequentia Ciuium florens, & opibus, & viris fortibus*. Tullius in oratione de prouincijs conſularibus dicens, *Vrbem Byzantiorum Imperio Romano fideliſſimam fuiſſe, refertiſſimam, atque ornatiſſimam ſignis*. Quin etiam Metropoleos nomine donatur in Caij Cæſaris nummo apud Occonem, in quo hæc inſcriptio legitur, ΒΥϹΑΝΤΙΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ.

2. Cum autem Byzantium in Caij Cæſaris nummo vocetur Metropolis, ne putes, Ciuitatem illam Caij temporibus fuiſſe Romanæ alicuius Prouinciæ veram Metropolim. Conſtat namque ex Suetonio, ſub Veſpaſiano Imperatore Byzantium cum alijs ciuitatibus, & Regionibus in Prouinciarum formam redactum fuiſſe. Ita enim in Veſpaſiano: *Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum libertate adempta; item Thraciam, Ciliciam, & Comagenem ditionis regiæ vſque ad id tempus in Prouinciarum formam redegit*. Notanda ſunt verba Suetonij *libertate adempta*, quibus indicat, Byzantium ante tempora Veſpaſiani fuiſſe liberam Ciuitatem, prout eam quoquè vocauit Tullius loco ſuperiùs citato, cui concinit Plinius lib. 4. cap. 11. dum *liberæ conditionis Oppidum* nominat. Libera autem conditio efficiebat, vt Vrbis incolæ ſuis ipſis legibus viuere poſſent, quo priuilegio tempore Caij Cæſaris vtebatur Byzantium, Vrbs Thracicarum maxima; ciuiumque frequentia, & opibus florens: qua de cauſa Metropolis dicta fuit, licèt nondum in Prouinciæ Romanæ formam redacta eſſet, quod primùm ſub Veſpaſiano Imperatore contigit, vt audiuimus ex Suetonio. Putat itaque D. du Change, Byzantium libertatis iura vſque ad tempora Seueri Imperatoris obtinuiſſe, & ſub eo à Peſcennio Nigro occupatum, graui proindè obſidione cinctum poſt tres annos expugnatum fuiſſe, & priuilegijs, quibus gaudebat, libertateque, ac iure Ciuitatis priuatum fuiſſe, adeò vt in vici formam redactum Perinthijs, qui & Heracleenſes dicti ſunt, ſubiectum fuerit. Qua de re pręſtat audire Dionem Caſſium teſtem ocularem, qui lib. 74. ita ſcribit: *Capto Byzantio Seuerus Ciuitati abſtulit libertatem, eamque priuauit ſuis dignitatibus, fecitque tributariam, bonis ciuium publicatis. Vrbem, omnemque regionem, quæ erat ſub eius vrbis poteſtate, Perinthijs conceſſit. Hi Byzantio vſi ſunt vt vico, & à nullo genere iniuriæ temperauerunt, quæ quamquàm iure facere quodammodo viſus eſt Seuerus, tamen Byzantijs magno dolori fuit, quòd mœnia vrbis euertit, propterea quòd gloria priuarentur ea, quam ex magnifica ipſorum oſtentatione*

*conſequebantur*, *idque quum faceret Seuerus*, *magnum præſidium Romanorum,arcemque contra barbaros Ponti*, & *Aſiæ ſubuertit*. *Ego quidem mœnia ita diruta ſpectaui*, *ac ſi ea barbari cœpiſſent*, *non Romani*, *videramque ea*, *cum adhuc ſtarent*. Hæc Dio Caſſius, qui Byzantium viderat, quum Thraciæ Vrbs præcipua erat, & cum iuſſu Seueri Imperatoris diruta,euerſaque præcipuam dignitatem amiſerat, *vicique inſtar à Perintbijs*, ad quos ciuiles dignitates poſt Byzantij excidium *tranſmigrauerant*, *habita fuerit*. Ex prædictis autem contigiſſe puto, quòd licèt Sanctus Andreas dicatur primus verbum veritatis prædicaſſe Byzantijs, ijſque Stachyn, cuius Paulus in epiſtola ad Romanos meminit, Epiſcopum creaſſe; eius tamen Eccleſia Metropolitanam dignitatem duobus primis ſæculis non obtinuerit, & tertio ſæculo poſt conceſſa à Seuero Perinthiorum ciuitati Metropoleos priuilegia, Byzantinus Epiſcopus Perinthij ſiue Heracleæ Metropolitano paruerit. Idem omninò obſeruat Theodorus Balſamon in Commentarijs ad canonem tertium Concilij Conſtantinopolitani Primi, vbi expreſsè ſcribit: *Ipſa quidem vrbs Byzantina Archiepiſcopi honorem non habebat: ſed ab Heraclea Metropolitano Epiſcopus aliquando in ipſa ordinabatur. Scribitur enim*, *quòd etiamſi eſſet Byzantium ciuitas*, *quæ per ſe regeretur*, *ſed à Seuero tamen Romanorum Imperatore obſeſſa eſt*, & *Perintbijs ſubiecta*; *eſt autem Perintbus Heraclea*. Ita Balſamon, cui concinit Ioannes Zonaras in ſcholio ad eundem canonem: *Erat ſiquidem vrbs antiqua Byzantium*, *quæ ſuis legibus vſa eſt*. *Seuero autem Romanorum Imperatore per Romanos obſeſſa*, & *bellum per triennium paſſa*, *tandem ciuibus in ea rerum neceſſariarum inopia laborantibus*, *capta eſt*, & *mœnia quidem eius ſolo æquata*, *iuraque ciuilia ablata*, & *ipſa Perintbijs ſubiecta fuit*. *Eſt verò Perintbus*, *quæ alio nomine Heraclea*. *Atq; binc Heracleenſi Antiſtiti Patriarchæ ordinatio attribuitur*, *vt per quem Epiſcopo Byzantino manus ſunt impoſitæ*.

3. A tertio itaque ſæculo cœpit Heraclea eſſe Prouinciæ Europæ Metropolis, ſub qua Byzantium fuit ciuitas Epiſcopalis etiam tempore Nicæni Concilij, quo viuebat Metrophanes Byzantinus Epiſcopus. Enimuerò dum ſacrum Nicænum Concilium canone 6. ſuam tribus thronis Patriarchalibus, Romano nimirum, Alexandrino, & Antiocheno poteſtatem in ſubiectas Diœceſes confirmat, addit de cæteris Prouincijs: *Suis priuilegia ſeruentur Eccleſijs*. Quibus verbis Exarchis, Epheſino Aſiæ, Cæſareenſi Cappadociæ Ponti, Heracleenſi Thraciæ Diœceſes confirmat, ſinguliſque Metropolitanis iura ſua in Prouin-

uincias conſeruat, neque throno Conſtantinopolitano vllum honoris gradum præ cæteris tribuit. His omnibus perſpectis conſtat, Byzantium nullam honoris prærogatiuam habuiſſe tempore Nicæni Concilij, quod Paulino, & Iuliano Conſulibus anno vulgari 325. celebratum fuit, ſed Heracleenſi tanquam Metropolitano paruiſſe, quamdiù Byzantij nomen obtinuit. Obtinuit autem vſque ad annum 326. quo Conſtantinus Magnus ſedem regni Byzantium transferre ſtatuit, Ciuitatiſque nomine mutato Vrbem illam in Conſtantinopolim commutauit, quam breuiſſimo tempore exſtructam Deiparæ dedicauit, celebratis anno 330. eiuſdem Vrbis encænijs, de quibus Faſti ſub nomine Idatij habent: *Gallicano, & Symmacho Conſulibus. His Conſulibus dedicata eſt Conſtantinopolis die quinta Idus Maias.* Et auctor Chronici Alexandrini indictione 3. ijſdem Gallicano, & Symmacho Conſulibus: *Anno 301. poſt aſſumptum in cælum Dominum 25. Imperij ipſius anno Conſtantinus religioſiſſimus Conſtantini iunioris Auguſti, & Conſtantij, atque Conſtantis Cæſarum pater, Vrbem maximam, illuſtrem, & felicem condidit, ſenatu illuſtrauit, & Conſtantinopolim nuncupauit quinto Idus Maias, die lunæ, indictione 3. cum priùs Byzantium vocaretur, nunc nouam Romam vocari præcepit.* Et Socrates libro 1. capite 16. de eadem Vrbe: *Quam quidem Byzantium anteà appellatam magnoperè amplificauit, & ingentibus cinctam muris, varijsque ædificijs ornatam Reginæ Vrbium Romæ exæquans Conſtantinopolim nominauit, vtque noua Roma vocaretur, lege ſanxit.* Et Sozomenus libro 2. cap. 3. *Quam quidem Vrbem Romæ æqualem eſſe, & principatus conſortium obtinere conſtituit.*

4. Similia plura inuenies apud ſcriptores antiquos, ex quibus ſchiſmatici Græci ſomniarunt, thronum Apoſtolicum cum primatus honore à Conſtantino Magno ex veteri Roma ad nouam eiuſdem nominis Vrbem translatum fuiſſe. Error, qui nonniſi veterum lectione indiget, vt corrigatur: neque enim Socrates ipſe, neque Sozomenus, qui Conſtantinopoli ſcripſerunt, de alio Principatu, Conſtantinopolim tranſlato, loquuntur, quàm de principatu terreno, & Romano Imperio. Et hoc eſt, quod voluerunt, quando Conſtantinopolim Romæ æquatam, & in conſortium Principatus aſſumptam fuiſſe tradiderunt. Qua de re habet auctor Chronici Alexandrini loco ſuperiùs citato: *Conſtantinus Vrbi ab Europæ Prouincia, ſeu Metropoli illius Heraclea auulſæ præfecit Præfectum Prætorio, Prætorem item Vrbis, & reliquos maiores Magiſtratus.* Quæ de Præfecto Prætorio hìc habet

auctor, de Præfecto Vrbis anno 359. Conſtantinopoli ad inſtar Romæ præpoſito intelligenda ſunt; teſtatur enim D. Hieronymus in Chronico: *Honoratus ex Præfecto Prætorio Galliarum primus Conſtantinopoli Præfectus Vrbis Præfectus*. Et Faſti ſub nomine Idatij, Euſebio, & Hypatio Conſulibus: *Ipſo anno primùm proceſſit Conſtantinopolim Præfectus Vrbis nomine Honoratus die 3. Idus Decembris*. Et Socrates lib. 2. cap. 41. de Conſtantio Imperatore ex Occidente Conſtantinopolim reuerſo: *Eo etiam tempore*, inquit, *Præfectum Vrbis Conſtantinopolitanæ primum conſtituit Honoratum, extincto Proconſulatus officio*. Eadem habet Sozomenus lib. 4. capite 23. Vnde manifeſtè apparet, ad annum 359. Euſebio, & Hypatio Conſulibus Præfecturam Vrbis Conſtantinopolitanę à Conſtantio inſtitutam fuiſſe.

5. Cum itaque nouo Magiſtratu aucta Vrbs Regia in dies illuſtrior euaderet, cœperunt eiuſdem Vrbis Epiſcopi maiorem dignitatis Eccleſiaſticæ honorem ambire, effeceitque Nectarius anno 381. in Concilio Conſtantinopolitano, vt ab Orientalibus Epiſcopis can. 3. Sedi Conſtantinopolitanæ concederentur τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης Ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην *priores honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, eò quòd ſit ipſa* (Vrbs Conſtantinopolitana) *noua Roma*. Priores honoris partes Vrbis Regiæ Epiſcopo concedunt 150. Patres, qui Concilio Conſtantinopolitano adfuerunt, primatus verò iura in alias Prouincias non tribuunt: adeoque ſicut Concilium Hieroſolymitano Epiſcopo honorem tribuerat, *ſalua propriæ Metropolis dignitate*; ita & ipſi primas honoris C.P.no concederent, ſalua tamen Metropolitanorum Exarchorum ac Patriarcharum in ſubiectas ipſis Eccleſias poteſtate. Idq; patet ex eodem canone, quo ſtatuerant, vt Aſianæ, Ponti, & Thraciarum Diœceſeon Epiſcopi ea, quæ in Diœceſibus ſuis erant, gubernarent: *Aſianæ quoquè Diœceſeos Epiſcopi ea ſolùm, quæ ſunt in Aſiana Diœceſi, diſpenſent; nec non & Ponti Epiſcopi ea tantùm, quæ ſunt in Ponto; & Thraciarum, quæ in Thracijs ſunt, gubernent*. Quibus verbis Concilium Conſtantinopolitanum manifeſtè indicat, nullam iuriſdictionem in tres illas Diœceſes Epiſcopo Conſtantinopolitano conceſſam fuiſſe, ſed tantùm honoris gradum præ cæteris Epiſcopis.

6. Hæc quidem Patres Concilij Conſtantinopolitani, cuius tamen canon neque à Damaſo Papa, neque ab ipſius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus admiſſus fuit, vt ex infrà dicendis patebit. Cæterùm Epiſcopos Conſtantinopolitanos ſolo honoris titulo minimè contentos fuiſſe, ſed pau-

paulatim vicinas Prouincias, & Diœceſes inuaſiſſe, ac iuriſdictionem in ijs arripuiſſe, nonnulli ipſius Diui Ioannis Chryſoſtomi exemplo probare contendunt. Ex eo enim ad finem quarti ſæculi inuaſionem conſuetudine firmatam fuiſſe, probare voluit Philippus Presbyter Conſtantinopolitanus, aſſerens actione vndecima Concilij Chalcedonenſis: *Sanctæ memoriæ Ioannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus quindecim Epiſcopos depoſuit profectus in Aſiam, & pro eis alios ordinauit.* De Gerontio per Helladium Cæſareæ Cappadocum Exarchum, ordinato Nicomedienſi Antiſtite refert Sozomenus lib. 8. capite 6. *D. Ambroſium ſcripſiſſe Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano, vt Gerontio Sacerdotium ademeret, nec ſe, & Eccleſiaſticam diſciplinam contumelia affici pateretur. Verùm Nectarius, quamuis omni ſtudio id perficere conatus nunquam tamen id obtinere potuit, vniuerſis ſimul Nicomedienſibus ei fortiter reſiſtentibus. Ioannes verò cum illum depoſuiſſet, eius loco Panſophium ordinauit.* Ex quo loco haberetur quoquè, Ioannem Chryſoſtomum ordinaſſe Bithyniæ Metropolitanum, qui ſub Diœceſis Ponticæ Exarcho Cæſareenſi conſtitutus erat, neque Vrbem dumtaxat Regiam cura ac ſolicitudine gubernaſſe, ſed, vt addit Theodoretus lib. 5. cap. 28. *vniuerſam quoquè Thraciam, quæ in ſex Prouincias diuiſa eſt, & Aſiam totam, quæ ab vndecim Præſidibus regitur; Ponticam prætereàq; ſdem legibus exornaſſe.*

7. Hæc cum referantur à Sozomeno, & Theodoreto ſcriptoribus Græcis, qui paulò poſt D. Chryſoſtomum floruerunt, de facto dubitari vix poteſt, licèt de auctoritate, qua Chryſoſtomus ſimilia peregit, dubitari poſſe videatur. Quandoquidem enim D. Chryſoſtomus ad finem vitæ ſemper defendit canones, qui prohibent, *ne Epiſcopi ad Eccleſias, quæ ſunt vltra ſuas Diœceſes, ſuoſque limites, accedant*; & Epiphanio Salaminenſi in Cypro Epiſcopo ordinationes presbyterorum in Eccleſia Conſtantinopolitana vſurpanti teſte Socrate lib. 6. cap. 14. ipſe Chryſoſtomus obiecit: *Multa contra regulas agis, ò Epiphani, qui primùm quidem in Eccleſijs ſub diſpoſitione mea conſtitutis, ordinationem feceris, deinde iniuſſu meo ex tua ipſius auctoritate in ijſdem Eccleſijs miſſarum ſolemnia celebraueris.* Ex his enim veriſimile fit, Chryſoſtomum, quod in Epiphanio culpabat, non commiſiſſe in aliorum Eccleſijs. Vnde Ioannes Morinus exercit. 14. de Patriarcharum, & Primatum origine putat, Chryſoſtomum depoſitiones, & ordinationes Epiſcoporum in Aſia, Ponto, & Thracia, nullatenus priuata auctoritate aggreſſum fuiſſe, ſed Romani Pontificis indultu, cuius vices, ſicut egerat

ân-

anteà Lucifer Calaritanus in creando Patriarcha Antiocheno, ita & agebat Chryſoſtomus in Diœceſibus ſuprà citatis. Hæc producit Morinus, qui nullum aliud teſtimonium in huius rei confirmationem adducit, prout adducere potuiſſet, quod modò nos protulimus de Gerontio Nicomedienſi Epiſcopo, de quo refert Sozomenus libro 8. capite 6. quòd Ambroſius ſcripſerit ad Nectarium Chryſoſtomi prędeceſſorem, vt Gerontio Nicomedienſi Epiſcopo Sacerdotium adimeret; id quod Ambroſius nunquam feciſſet, niſi Nectario à Sede Apoſtolica facultas data fuiſſet. Quanamque alia authoritate, quàm ſuperiorum id feciſſet homo ſanctus, & non minùs in regulis, & canonibus Eccleſiaſticis, quàm in Scriptura, & traditione verſatus? Cum itaque ex Scriptura, traditione, regulis, & canonibus Eccleſiæ conſtaret, non eſſe tranſgrediendos terminos, quos Patres poſuerunt, & ſuperiorum authoritate ſtatuendum eſſe, quod extra proprios terminos fieri debet; Ambroſius autem totius Eccleſiæ rectorem agnoſceret Romanum Pontificem: eius omninò mandata Ambroſius ad Nectarium pertuliſſe credendus eſt. Nec enim Ambroſius ipſe vllam in Nicomedienſem Epiſcopum auctoritatem obtinebat, vt de illo deponendo ſententiam ferret, & in Gerontij locum Panſophium ordinari iuberet. Nulla itaque alia auctoritate, quàm Sedis Apoſtolicæ D. Chryſoſtomus Gerontium depoſuit, & Panſophium Nicomedienſem Epiſcopum creauit. Ideòque cum Gerontij ſectatores Ioannem accuſare cœpiſſent, *quòd rerum nouarum in Eccleſijs auctor fuiſſet, & contra morem, inſtitutumque maiorum ordinationum iura immutaſſet*; addit Sozomenus, quòd *præ dolore animi, & indignatione, ea quoquè reprehendebat, quæ omnium iudicio præclarè geſta erant à Ioanne*. Præclarè enim geſta non fuiſſent, ſi priuata auctoritate ordinationum iura immutaſſet.

8. Iniquæ vſurpationi Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum occaſionem dediſſe ſanctum Chryſoſtomum deponendo, & ordinando Vicaria Sedis Apoſtolicæ auctoritate Epiſcopos in Aſia, Ponto, & Thracia, ſcripſit Morinus ſuprà, adiungens *omnia mala exempla à bonis initijs orta eſſe*. Neque ante D. Chryſoſtomum facilè inuenies, ab Epiſcopo Conſtantinopolitano ordinatum aliquem fuiſſe ex Aſiæ, Ponti, & Thraciæ Prouincijs. Primum exemplum refertur de Siſinnio, qui tertius fuit poſt Chryſoſtomum, de quo Socrates lib. 7. capite 28. *Mortuo Cyzicenorum Epiſcopo Siſinnius Proclum illius Vrbis Antiſtitem ordinauit. Sed dum ille eò profectionem parat, præuertentes eum Cyziceni, Dalmatium quendam monaſticæ profeſſionis virum ſibi Epiſcopum*

con-

*conſtituerunt. Idque ab illis factum eſt, contempta lege, quæ ſancitum eſt, ne præter ſententiam Epiſcopi Conſtantinopolitani vlla fiat ſacerdotis ordinatio. Porrò legem iſtam ideò neglexerunt, quòd ſolius Attici perſonę hęc prærogatiua conceſſa eſſe videretur.* Cardinalis Baronius ad annum 426. notat, Attico in primis conceſſam fuiſſe ordinationem Epiſcopi Cyziceni, non ex canone aliquo generalis Concilij, ſed cuiuſdam legis auctoritate, quam ſe ignorare fatetur. Exemplum verò D. Chryſoſtomi locum opinandi facit, quòd Atticus demandata ſibi auctoritate Apoſtolicæ Sedis Vicaria ſit vſus, adeòque ſolius Attici perſonæ hæc prærogatiua competierit, vt dicebant Cyziceni, qui proinde Procli ordinationem priuata Siſinnij auctoritate factam pro alieni iuris vſurpatione habuerunt. Cum autem Proclus ſpe obtinendi Epiſcopatum hac ratione tunc fruſtratus ad Sedem Conſtantinopolitanam promotus fuiſſet, Siſinnij veſtigia inſecutus eſt, & oblatam à Cæſareenſibus occaſionem arripuit, & teſte Socrate lib. 7. cap. 48. Thalaſſium Epiſcopum Cæſareenſem conſecrauit. Sicque auctoritatem ab Epiſcopis, & Clero ſpontè, vel precariò delatam auidè amplexi ſunt Epiſcopi Conſtantinopolitani, vt vlteriùs probari poteſt ex ijs, quæ Euſebius Ancyræ Galatiæ Metropolita dixit in ſacro Chalcedonenſi Concilio actione 16. Agebatur de Petro Gangrenſi Epiſcopo, qui teſtatus erat, ſe cum tribus prædeceſſoribus ſuis à regię Ciuitatis Epiſcopo Conſtantinopoli fuiſſe ordinatum. Cui reſpondit Euſebius Ancyræ: *Ante Petrum, qui fuit, ego ordinaui; omnis enim ciuitas ad me venit in Ancyra, decreta portantes. Reſpondi eis dicens: Ego non ſum ex ijs, qui ordinare deſiderant. Commemorabant verò mihi priores, qui fuerant ordinati ab Epiſcopo Ancyranorum, duos, aut tres. Ego dixi: Quæcumque mihi dicatis, ego me ipſum iudicio non ſubmitto. Poſt hæc veniunt rogantes beatum Proclum.* Quibus ex verbis ſatis clarè apparet, quòd Gangrenſes Epiſcopi ſui ordinationem Conſtantinopolitano Antiſtiti detulerint.

9. Quòd autem ratione ordinationum Epiſcopo Conſtantinopolitano Patriarchatus delatus ſit, ex ijs, quæ eadem actione 16. Chalcedonenſi dicta, ſtatutaque fuerunt, facilè colligitur. Rogati enim Epiſcopi, num ſpontè tres Exarchatus Conſtantinopolitano Epiſcopo ſubiecerant, reſpondit inter alios Romanus Myrorum Epiſcopus: *Ego gratum habeo ſub ſede Conſtantinopolitana eſſe, quoniam & ipſe me honorauit, & ipſe me ordinauit.* Et infrà: *Seleucus Epiſcopus Amaſiæ dixit ...... Ante me tres ſunt ab hac Sede ordinati Epiſcopi: & inueniens hanc conſequentiam & ego*

*ego ſecutus ſum, & nunc propria voluntate feci, ſub hac ſede eſſe volens*. Et infrà: *Petrus Epiſcopus Gangrorum dixit... Ante me tres ſunt ordinati à Sede Regiæ Ciuitatis, & ego poſt tantos ſimiliter*.. *Critonianus E. Aphrod. dixit ..... Ex propria voluntate ſubſcripſi, ſequens intentionem ſanctorum Patrum, & debitor huius Sedis exiſtens, à qua & ego ordinatus ſum, & priores mei, & omne patrocinium Eccleſiæ noſtræ promeretur*. Hæc variarum Prouinciarum Epiſcopi, ex quibus Iudices Chalcedonenſis Concilij Epiſcopo Conſtantinopolitano auctoritatem Patriarchalem adiudicarunt. *Glorioſiſſimi* enim *iudices dixerunt*: *Ex his quæ geſta ſunt, & ab vnoquoque depoſita, perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundùm canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari: oportere autem ſanctiſſimum Archiepiſcopum Regiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ eiſdem primatibus honoris & ipſum dignum eſſe, & poteſtatem habere ordinare Metropolitas in Aſiana, & Pontica, & Thracia Diœceſibus, ſecundùm hunc modum, vt decreto facto à clericis vnius cuiuſque Metropolis, & poſſeſſoribus, atque Clariſſimis Viris, ſuper hæc à Reuerendiſſimis Epiſcopis Prouinciæ omnibus, aut pluribus, eligatur is, quem præfati Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopi dignum eſſe probauerint. Referatur autem ab omnibus eligentibus ſanctiſſimo Archiepiſcopo Regiæ Conſtantinopolis, vt penes eum ſit, ſi velit, hunc qui electus eſt, aduenire, & hìc ordinari, an ſecundùm eius permiſſionem in Prouincia Epiſcopatus mereri decretum: vniuſcuiuſque tamen Ciuitatis ſanctiſſimos Epiſcopos ordinari ab omnibus, aut pluribus Prouinciæ reuerendiſſimis Epiſcopis, poteſtatem habente Metropolitano ſecundùm Patrum regulas definitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus ſanctiſſimo Archiepiſcopo Regiæ Conſtantinopolis. Hæc à nobis inſpecta ſunt &c.* Ex quibus omnibus confirmatur, quod iam ſæpiùs de alijs Patriarchis annotauimus, certum, & indubitatum eſſe, quòd inter iura Patriarchica præcipuum ſit ius ordinandi Metropolitas, & Epiſcopos.

10. Tacendum tamen non eſt, hoc ius Patriarchicum nequaquàm pacificè ceſſiſſe Anatolio Conſtantinopolitano, qui tunc Chalcedonenſi Concilio aderat. Enimuerò plures præfato IudicumChalcedonenſium decreto obſtiterunt, inter quos non modò Aſiæ Epiſcopi, vt probari poteſt ex actione XI. ſed etiam Sedis Apoſtolicæ legati numerandi ſunt, vt conſtat ex act. 16. vbi palàm profeſſi ſunt, ſe nequaquàm Sedis Conſtantinopolitanæ Patriarchatum in tres Exarchatus probare.

Se-

*Sedes Apoſtolica*, inquiunt, *præcepit nobis præſentibus omnia fieri, & ideò quæcumq; in præiudicium canonum, vel regularum heſterna die geſta ſunt nobis abſentibus, ſublimitatem veſtram petimus, vt circumduci iubeatis; ſin aliàs, contradictio noſtra his geſtis inhæreat, vt nouerimus, quid Apoſtolico viro vniuerſalis Eccleſiæ Papæ referre debeamus, vt ipſe aut de ſuæ Sedis iniuria, aut de canonum euerſione poſſit ferre ſententiam.* Hæc Legati Leonis Primi, qui & ipſe Anatolij ambitum repreſſit, ſcribens epiſtola 55. ad Pulcheriam Auguſtam: *Superbum nimis eſt, & immoderatum, vltra fines proprios tendere, & antiquitate calcata alienum ius velle præripere, atque vt vnius creſcat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare primatus, quietiſque prouincijs, & olim S. Synodi Nicænæ moderatione diſpoſitis, bellum notæ perturbationis inferre.* Eadem ſcripſit ad Marcianum Auguſtum, eadem ad Anatolium ipſum elata ad cælum voce conqueſtus eſt his verbis: *In totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio.* Idque toties iterauit, vt Marcianus Auguſtus antiquæ Romæ Epiſcopum Leonem tanquam veritatis propugnatorem ſuſpexerit, eiuſque zelum laudauerit, & Anatolius vela vertens culpam omnem in alios coniecerit; ſicque durante Marciani Imperio ſtatus Eccleſiæ in antiquo ordine permanſerit, vt nouatoribus Acacianis improperauerit Gelaſius I. epiſt. 13. ad Dardaniæ Epiſcopos: *Audiant Marcianum eiuſdem Principem ciuitatis, poſtquàm pro augumento Vrbis ipſius Sacerdotis interceſſor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, ſanctæ memoriæ Papam Leonem ſummis laudibus proſecutum, quòd canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpeſſus. Audiant Anatolium eiuſdem Sedis Antiſtitem, Clerum potiùs Conſtantinopolitanū, quàm ſe tentaſſe talia confitentem, atque in Apoſtolici Præſulis totum dicentem poſitum poteſtate. Ipſum B. Papam Leonem Sedis Apoſtolicæ Preſulem, cuius Synodus Chalcedonenſis auctoritate firmata eſt, quidquid vltrà quàm ab eodem pro fide, & communione Catholica, atque Apoſtolica illic agendum conſtaret eſſe delegatum per occaſionem Congregationis illius, præter Nicænos canones noua videretur actione tentatum, competenti reſutatione vacuaſſe.*

11. Licèt autem hæc fecerit, & obtinuerit Leo I. non tamen extincta fuit poſterorum ambitio: nam, vt Gelaſius loco citato inſinuat, nouandi ſpiritus reuixit ſub Acacio tempore Simplicij Papæ, cuius Legatus Probus Canuſinæ Vrbis Epiſcopus, *Leone Principe tunc potente præſens docuit, nullatenus poſſe tentari.* Addit & ipſe Gelaſius contra Acacianos

nos: *Riſimus, quòd prærogatiuam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit Regiæ ciuitatis*. Idque Gelaſius conſtanter tenuit epiſtola ad Dardaniæ Epiſcopos, aſſerens Calendionem Antiochenum fuiſſe *tertiæ Sedis Epiſcopum*, quòd nimirùm Alexandrinum ſecundæ, & Romanum primæ Sedis Epiſcopos haberet. *Si certè*, inquit ibidem, *de dignitate agitur, ciuitatum ſecundæ Sedis, & tertiæ maior eſt dignitas Sacerdotum, quàm eius ciuitatis, quæ non ſolùm inter Sedes minimè numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum iura cenſetur*. Ita Gelaſius de ciuitatis Conſtantinopolitanæ Epiſcopo: ita ſubſequentes Pontifices Gregorius Magnus, Nicolaus Primus, alijque, qui conceſſum Conſtantinopolitano Epiſcopo à Synodo Chalcedonenſi priuilegium agnoſcere noluerunt. Noluit Romana Eccleſia probare inuaſionem Conſtantinopolitani Epiſcopi, qua non modò Aſiam, Pontum, & Thraciam, ſed alias quoquè regiones, & Prouincias à Romano Patriarchatu auulſas ſibi ſubdere tentauit. Enimuerò cum Stephanus Lariſſæ in Theſſalia Metropolitanus ab æmulis accuſaretur coram Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano, idem Epiphanius cauſam iudicandam aſſumpſit, & Stephanum communione priuauit. Quamobrem Stephanus anno 531. Romam ad Bonifacium Secundum confugit, & Theſſaliam non ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum, ſed ad Romanum potiùs ſpectaſſe docuit: quod idem in Synodo Romana ſub Bonifacio Secundo ex Damaſi, Siricij, Innocentij, Bonifacij Primi, Cæleſtini, Xyſti, & Leonis Magni litteris oſtendit Theodoſius Echinenſis in Theſſalia Epiſcopus, aſſerens, *Sedem Apoſtolicam ſpecialiter gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vindicaſſe*: adeòque Epiphanium iura Patriarchatus Romani inuaſiſſe, prout ſucceſſores Epiphanij tempore Leonis Sapientis inuaſerant totam Græciam, ſiue Illyricum Occidentale, ipſamque Siciliam, vt patet ex Notitia ſub Photio, & Leone Sapiente conſcripta, quam edidimus in Commentario ad Concilium Antiochenum, vbi: *Auulſi ſunt autem à Romana Diœceſi, throno Conſtantinopolitano nunc ſubiecti Metropolitæ, & qui ſub eis ſunt Epiſcopi, 1. Theſſalonicæ, 2. Syracuſæ, 3. Corinthi, 4. Regij, 5. Nicopolis, 6. Athenarum, 7. Patrarum, 8. Nouarum Patrarum. Hi adiecti ſunt Synodo Conſtantinopolitanę, propterea quòd Papa veteris Romæ ſub gentibus detentus eſt, ſicut ab Orientali Diœceſi auulſus eſt Metropolita Seleuciæ Iſauriæ, & ipſe cum ſuis viginti quatuor Epiſcopis ſub Conſtantinopolitano agit*. Eadem videre eſt in Notitia à Nilo Doxapatrio de quinque thronis Patriarchalibus an. 1143. ad Rogerium Siciliæ Regem conſcri-

Synodus Romana ſub Bonifacio. Romana Hiſtoria bipartita, à Luca Holſtenio edita.

ſcri-

ſcripta, in qua vltra Metropoles Illyrici, & Siciliæ habentur Rhegium Calabriæ cum quindecim, & S. Seuerina Calabriæ cum quinque ſuffraganeis Eccleſijs.

12. Omitto gentes illas, quas vltra Romani quondam Imperij terminos conſtitutas nouiter ad fidem conuerſas Sedes Conſtantinopolitana ſibi ſubiecit, vt de Bulgaris ante octo fermè ſæcula ſæpiùs conqueſti ſunt Romani Pontifices. Sæculo XII. Doxapatrius his verbis Patriarchatus Conſtantinopolitani limites deſcribit: *Ab Illyrico vſque ad Propontidem, in qua eſt Conſtantinopolis, indeque vſque ad Cherſonem, & Chazariam, & Chaldiam, & Gothiam, & Abaſgiam, & Iberiam, & Alaniam, namque in eam à Patriarcha Metropolitæ mittuntur; ſed & omnes Iſtriæ adiacentes ciuitates ipſi ſubijciuntur: necnon & Danubij fluminis, & Cappadociæ Vrbes, & partes Armeniæ, & Cyclades inſulæ, & reliquæ omnes, quæ ſubſunt Imperio Conſtantinopolitano; multæ illæ quidem, & maximæ Inſulæ duę, Creta, & Eubęa, in qua eſt Euripus; ſed & Peloponeſus, & Gręcia ..... Quinimò & in Magna Ruſſia à Patriarcha Conſtantinopolitano Metropolita mittitur.* Enumerat poſt hæc Metropoles 65. & Archiepiſcopatus 34. qui Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditi erant. Tot nimirum Prouincias, quas Romani olim Barbaris annumerabant; tot regiones, quæ alijs thronis Patriarchalibus paruerant; tot Diœceſes, quæ Exarchis Aſiæ, Ponti, & Thraciæ ſubiectæ fuerant, abſorbuit ambitus Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, qui Regiæ Vrbis ſplendore elati Oecumenici Patriarchæ titulum arripuerunt; & vt nihil throno ſuo deeſſet, primas partes & honoris, & poteſtatis Romanis Pontificibus abnegare, ſibique vendicare tentarunt. Superuacaneum eſſet ſchiſmaticorum hac de re deliria repetere, quæ alibi ſæpiùs refutamus. Synodus Conſtantinopolitana ſub Nectario meminit *gradus honoris*, qui Regiæ Vrbis Epiſcopo deferendus eſt, ſed ita vt Romano Epiſcopo poſtponatur. Synodus Chalcedonenſis, quæ poteſtatem Conſtantinopolitano Epiſcopo in tres Exarchatus tribuit, ita priuilegiorum nouæ Romæ meminit, vt omnem primatum veteris Romæ Pontifici competere profeſſa ſit. Vnde Iuſtinianus Imperator Nouella 130. agnouit, *ex ſanctarum Synodorum placitis ſanctiſſimum veteris Romæ Papam totius Eccleſiaſtici ordinis principem eſſe; Conſtantinopolitanum verò Epiſcopum ſecundum ab Apoſtolica veteris Romę Sede locum obtinere.* Citat hæc verba Ioannes Zonaras in Commentario ad canonem tertium Conſtantinopolitanum, qui & idem probat ex canone 36. Trullano. Neque aliud vnquam voluit

Græcorum Eccleſia, quamdiù Catholica fuit, & communione Sedi Apoſtolicæ ſociata extitit. Cęterùm hæc ſufficiant de Patriarchatu Conſtantinopolitano, quantum ad illuſtrandam antiquitatem ſpectat. Si enim poſteriora, ac recentiora tempora perſcrutemur, eam venerationem Patriarchæ Conſtantinopolitano cæteri detulerunt, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, vt eum veluti Patrem ac Dominum agnoſcant, proprijs priuilegijs valè indicto, abiectaque Eccleſiaſtici pectoris conſtantia pro ſuarum Eccleſiarum iure; & quicquid iuſſerit Byzantinus Patriarcha in tribus alijs Patriarchatibus, illud ſine contradictione ferè amplectantur. Quod fortè contigit ex calamitate temporum, cum ſcilicet ex alijs ſedibus ad Imperatoris aulam confugiendum eſſet; tunc enim ab ipſo Principe deuoluta ea omnia ad Regiæ Vrbis Epiſcopum ſenſim ad eam amplitudinem & exiſtimationem eum extulerunt, vt caput omnium & haberi, & dici cœperit: adeoque vt in Occidente Romano Pontifici Primatum concedunt; ita in Oriente Græcus Patriarcha Conſtantinopolitanus Primatum obtineat. Sed hoc extra leges omnes Eccleſiaſticas, & extra iura propria Patriarchalia, ſupra quæ non ineſt ipſi alia poteſtas, vt Romano. Reſtat vt de Patriarchatu Romano agamus, quod ſequenti Diſſertatione generatim, ac ſpeciatim pręſtabimus.

DIS-

# DISSERTATIO SEXTA.

## *De iure Patriarchatus Romani.*

*Patriarchatus Romani termini non exprimitur canone ſexto Nicæno, quamuis eum canonem ita interpretetur Ruffinus Aquileienſis preſbyter doctrina conſpicuus, vt iuxta Nicænum Concilium intra Suburbicarios limites coarctetur.*

FACILLIMVM eſſet ex plurimis Prouincijs, quæ Patriarchis orientalibus olim parebant, colligere Patriarchatus Romani terminos, niſi noua noſtro ſæculo ab hæreticis mota quæſtio in Scholas Catholicorum irrepſiſſet. Audiuimus à ſacroſancto Nicæno Concilio probari vetuſtam regiminis Eccleſiaſtici diſciplinam: *Antiqua* nimirum *conſuetudo ſeruetur per Aegyptum, Libyam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt.* Terminos Diœceſis Alexandrinæ aſſignat Nicænum Concilium, ſed de Romanæ Diœceſis limitibus nihil ſtatuit. Hinc mota eſt quæſtio, an, & quales terminos Patriarchatus Romanus habuerit? Difficultas plurimùm aucta eſt ex perplexa Ruffini Aquileienſis presbyteri interpretatione, qui tempore D. Hieronymi lib. 10. hiſtoriæ cap. 6. canonem his verbis explicauit: *Vt apud Alexandriam, & in Vrbe Roma vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Aegypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat.* Hinc diſputationis origo de Suburbicarijs tanta animorum contentione hoc ſæculo in Gallia controuerſis, de quibus ſpeciatim agendum eſt ſequenti capite.

CA-

# CAPVT PRIMVM.

## *De Suburbicarijs.*

1. *Adſertur Salmaſij opinio de Suburbicarijs intra* 100. *ab Vrbe lapides conſtitutis, quam impugnauit Iacobus Sirmondus.*

2. *Oſtenditur* 1. *ex Sirmondo contra Salmaſium, Præfectum Vrbi nec habuiſſe Diœceſim, nec Prouinciam, ſed Regiones, quæ ſucceſſu temporis Prouinciæ dictæ ſunt, fueruntque numero* 10. *reliquis Italiæ Prouincijs Vicario parentibus. Ex quibus manifeſtè refellitur Salmaſius, Suburbicarias intra quatuor Prouincias coërcens.*

3. *Ex dictis oſtenditur, magìs à vero aberraſſe Salmaſium, dum Patriarchalem Romani Pontificis poteſtatem intra* 100. *ad Vrbe lapides coarctauit. Nam Prouincias latiùs diffuſas fuiſſe, probat de Marca ex antiqua Vaticani Notitia à Baronio in Annalibus publicata.*

4. *Licèt Suburbicariæ latiùs patuerint, de ijs tamen rectè canonem Nicænum explicatum fuiſſe à Ruffino, probat de Marca ſupponens canonem Nicænum de iure Patriarchico egiſſe, idque occaſione Meletij iura Patriarchatus Alexandrini quoad ordinationes Epiſcoporum inuadentis.*

5. *Hoc ſuppoſito aſſerit de Marca, de ordinationibus comparationem inſtitui inter Romanum, & Alexandrinum Epiſcopos his canonis verbis:* Parilis mós eſt: *cumque Romanus ordinationes exerceret in loca Suburbicaria, hinc Ruffinum rectè interpretatum fuiſſe canonem de Suburbicarijs.*

6. *Id vlteriùs confirmat de Marca ex varijs teſtimonijs, quæ Pontifices iura ordinationum per Suburbicaria loca exercuiſſe demonſtrant.*

7. *Concluſio Domini de Marca, quæ breuiter defendit Ruffinum, cuius mentem de Patriarchali poteſtate ita explicat, vt Primatui Pontificio nullatenus obſtet.*

1. PRodijt anno 1618. liber anonymus in Gallijs, quem ex Pariſienſium Archiepiſcopo de Marca lib. 1. cap. 3. §. 6. conſtat fuiſſe Salmaſij eruditi hæretici, qui duo quædam excogitauit pro Canonis Nicæni cum Ruffino conciliatione: *Primò hoc canone nullam iuris Patriarchici mentionem fieri; ſed tantùm Alexandrinum, & Antiochenum Epiſcopum in ijs, quæ ad ius Metropoliticum pertinent, cum Epiſcopo Romano conferri. Alterum verò, Metropolim Romanam Ruffini temporibus circa annum* 400. *ijs Prouincijs definitam (Piceno ſcilicet, Tuſcia, Latio, & Valeria) quæ Suburbicariæ dicebantur, quòd à iuriſdictione Præfecti Vrbi penderent, & ad centeſimum ab Vrbe lapidem porrigebantur.* Sic mentem Salmaſij proponit de Marca, ante quem contra Salmaſium egit vir eruditus Iacobus Sirmondus libro Pariſijs anno 1618. edito, cui hanc inſcriptionem præfixit: *Cenſura coniecturæ Anonymi Scriptoris de Suburbicarijs regionibus, & Eccleſijs.* Duo in ea refellit Sirmondus; primò Anonymi ſententiam de ipſius Præfecti Vrbi in Suburbicarias iuriſdictione; ſecundò eiuſdem comparationem cum Romano Pontifice.

2. De primo oſtendit contra Salmaſium, Præfectum Vrbi non ha-

habuiſſe Diœceſim intra 100. ab Vrbe lapides; cum Notitia declaret tantum 13. Diœceſes ſub quatuor Præfectis Prętorio fuiſſe inſtitutas, & inter illas nullam Diœceſim Præfecto Vrbi aſſignari, ſed nec aſſignari potuiſſe, cum Diœceſis plures Prouincias contineat, & plures Prouincię intra 100. paſſuum millia nullatenus extiterint. Sirmondi prolixioris diſcurſus hoc eſt compendium par. 1. c. 2. *Præfectum Vrbi, nec Diœceſim habuiſſe, nec Prouinciam; ſub eius diſpoſitione adminiſtrationes varias fuiſſe, at nullam Prouincialem. Suburbicarias ad alium pertinere.* Explicat hæc omnia cap. 4. & ait: *Meminiſſe oportet Vicarios Præfecti Prætorio in Italia duos fuiſſe: Vicarium Vrbis Romæ, & Vicarium Italiæ. Vicarij Vrbis Romæ ſedem Romanā fuiſſe, compertum eſt. Vicarij Italiæ ſtatio Mediolanum, vt ex Paulino presbytero in Ambroſij vita intelligimus, & ex Marcellini libro rerum geſtarum 27. cum de tribus Apparitoribus poteſtatis Vicariæ per Italiam Valentini iuſſu cæſis agit, & Mediolani locum, vbi ſepulti ſunt,* Ad innocentes *appellari ſcribit. Inter boſce duos Vicarios diuiſæ omnes Italiæ regiones, ac prouinciæ fuerunt; hoc diſcrimine appellationis, quòd quæ ſub Vicario erant Italiæ, præcipuo titulo Italicæ Regiones, & Prouinciæ vocabantur: reliquæ Vrbicariæ, & Suburbicarię, quia in Vicariæ Vrbis erant poteſtate.* Quænam autem hæ fuerint, quæ Vrbanæ Vicariæ parerent, indicat Notitia his verbis: *Sub diſpoſitione V. S. Vicarij Vrbis Romæ Prouinciæ infraſcriptæ: Conſulares 1. Campaniæ, 2. Tuſciæ, & Vmbriæ, 3. Piceni Suburbicarij, 4. Sicilię: Correctores 1. Apulię, & Calabrię, 2. Brutiorum, & Lucanię: Pręſides 1. Samnij, 2. Sardinię, 3. Corſicę, 4. Valerię.* Ex quibus colligit Sirmondus reliquas Prouincias, quæ ſuberant Vicario Italiæ, fuiſſe Venetias, & Iſtriam, Aemiliam, Liguriam, Flaminiam, & Picenum Annonarium. *Nunc ergò* (addit ibidem Sirmondus) *Vrbicarias regiones, & Suburbicarias appellari eas conſueuiſſe, quæ Vrbis Vicario parerent, Valentiniani ſanè Codice eodem lex tertia declarat, in qua per Vrbicarias regiones inhibitum à ſe vſum equorum ſcribit, quem per Apuliam, & Calabriam, per Brutios, & Lucaniam, atque Samnium vetuerat, quæ omnes Prouincie erant Vicarij Vrbis.* Ex his concludit cap. 5. quàm malè Salmaſius regiones Suburbicarias ad has quatuor redigat, Tuſciam Suburbicariam, Picenum Suburbicarium, Latium vetus, Latium nouum. *Non puto*, inquit Sirmondus, *Chimæram ipſam poëtarum commentitiam magìs videri poſſe, quàm abſurda, & aliena ſunt, quæ hoc capite continentur.*

3. Cum hæc latiùs probaſſet Sirmondus, parte 2. agit de compara-

paratione Romani Pontificis cum Præfecto Vrbis, quoad Regiones Suburbicarias: & capite 3. in Salmaſij dictis id arguit, quòd Epiſcopi Romani Diœceſim cum Præfectura Vrbana intra centeſimum ab Vrbe lapidem coarctauerit, aitque cap. 4. *Quàm futilis, & caſſa fuerit Diœceſis Romanæ cum Præfectura Vrbana comparatio, ex ijs, quæ dicta ſunt, intelligi licuit.* Futilem planè comparationem etiam exiſtimauit Eminentiſſimus Cardinalis Perronius, & de libro Salmaſij anno 1618. Francofurti apud Ioannem Carolum Vnck edito plurimùm ſequenti anno gloriantes in Gallia hæreticos irriſit ſcribens c. 33. aduersùs Angliæ Regem: *Spero quamprimùm me finem impoſiturum ipſorum tragœdiæ, & mutandum triumphum &c.* Perronius deſiderio ſuo quidem defuit, vtpotè qui viam vniuerſæ carnis ingreſſus fuit eodem anno 1618. 5. Septembris: at cauſam reſumpſit Pariſienſium Archiepiſcopus de Marca, qui plurima à Sirmondo mutuatus hæc de Suburbicariorum limitibus lib. 1. cap. 3. §. 12. ſcribit contra Salmaſij de mente Ruffini coniecturam: *Neque enim exiſtimo, Ruffini ætate Regionibus illis Suburbicarijs ad centeſimum vſque lapidem fuiſſe circumſcriptos. Vetat namque Notitia illa Vaticana vetus* (hęc extat apud Baronium ad annum 1057.) *quæ 69. Epiſcopatus, ex quibus Romana Prouincia conflata erat, nobis exhibet: qui quidem non ſolùm Latinam Regionem, ſeu Campaniam recentiorem ad Sinueſſam, Marſos ſeu Valeriam, Picenum, & Tuſciam Suburbicariam complectebantur, ſed etiam Tuſciam Annonariam, Vmbriam, & Picenum Annonarium.* Adducit in margine de Marca Baronium, qui Tomo XI. ad annum citatum ex antiquo Vaticano Codice ſacrorum rituum deſcribit formam tempore D. Petri Damiani, hoc eſt anno 1057. obſeruatam: & numeratis Eccleſijs titularibus Cardinalium, & 22. Vrbis Abbatibus, addit ſuffraganeos Romani Pontificis nulli alteri Primati, vel Archiepiſcopo ſubiectos, & frequenter ad Synodos Romanas vocatos ex Campania 10. ex Marſis 6. ex Tuſcia 21. ex Vmbria & Marchia Spoleti 24. ſimul 61. Epiſcopos, qui ex pluribus, quàm Salmaſius citauerat, Prouincijs Suburbicarijs Romam conueniebant. Vnd erectè colligit de Marca, Salmaſium malè interpretatum fuiſſe mentem Ruffini.

4. Aliud itaque per Suburbicaria loca intellexit Ruffinus, quem vt rectè canonem Nicęnum interpretatum fuiſſe probaret de Marca, ſupponit libro 1. cap. 3. §. 12. Alexandrini Epiſcopi auctoritatem cum Romani poteſtate hoc canone potiſſimùm comparari in iure ordinandorum Epiſcoporum, eò quòd Alexandrini Epiſcopi auctoritas in ordinandis om-

omnibus Aegypti Epiſcopis aduersùs Meletianos hoc canone 6. Nicæno firmata ſit: *Vt*, inquit, *ſatentur omnes eruditi*, & *egregiè probatur ex epiſtola Synodica Concilij*. Et de hac canonis 6. cauſa conueniunt Leo Allatius libro 1. de Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ conſenſione cap. 12. num. 1. & Chriſtianus Lupus parte 1. ad hunc canonem 6. ſcribens: *Conditus eſt enim canon ad reparanda Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarchica priuilegia per Meletium Lycopolitanum Epiſcopum inuaſa, læſa, mutilata. Meletius, vti habemus in ſecunda Apologia S. Athanaſij, ob idololatricum in Diocletiani Auguſti perſecutione lapſum*, & *exceſſus alios à S. Petro Alexandrino Patriarcha ſynodaliter damnatus, ſchiſma fecit; neque tantùm excuſſit obedientiam, ſed inſuper teſte Theodoreto lib. 1. capite 4. exercuit tyrannidem contra Primatem Alexandrinum, iuxta Gelaſium Cyzicenum contra priuilegia Sedis Alexandrinæ, ambitione, inquit Athanaſius, vt rebus præeſſet. Thebaidis, ac vicinæ Aegypti prouincias, omneque illic ius Patriarchicum inuaſit, nouum ſe illic oſtentauit Patriarcham: firmandi ſui cauſa coniurationem iniit cum Arianis anteà inimicis. Graues hac de re querelas ad Synodum depoſuit Alexander Patriarcha, eiſque datus eſt præſens canon, plenè reſtaurans illius Patriarchicam poteſtatem*. Hæc Lupus, & quidem conſona epiſtolæ Concilij Nicæni ad Eccleſias Aegypti, Libyæ, & Pentapolis tranſmiſſæ. *Quæ per petulantiā Meletij geſta ſunt*, inquiunt Patres Niceni, & *eorum, qui ab eo ſunt ordinati, etiam ex hac parte, quæ placuerunt Synodo, Eccleſijs prædictis inſinuantur: Meletium* (nimirum) *manere quidem in propria ciuitate, nullam verò omnimodis habere poteſtatem neque eligendi, neque ordinandi, nec in Prouincia, nec in qualibet ciuitate videri, purumque nomen tantummodo poſſidere. Eos autem, qui ab ipſo ſunt conſtituti, myſtica ordinatione firmatos habere honorem*, & *miniſterium: vt tamen ſequentes ſint modis omnibus vniuerſorum in ſingulis Parochijs*, & *Eccleſijs à chariſſimo*, & *comminiſtro noſtro Alexandro conſecratorum*; & *vt his nulla poteſtas ſit, placitos ſibi eligere, aut nomina eorum præferre, aut omninò aliquid agere præter voluntatem Eccleſiæ Catholicæ præſulis Alexandri. Gratia namque Dei*, & *orationibus veſtris, in nullo ſchiſmate repertos, ſed ſine macula in Catholica*, & *Apoſtolica Eccleſia permanentes, dignum eſt poteſtatem habere eligendi quemlibet*, & *nomina eorum dandi, qui Clero ſunt digni*, & *abſolutè facere omnia ſecundùm legem*, & *ſanctionem Eccleſiæ. Siquem verò contigerit requieſcere in Eccleſia, tunc prouehi in honorem de-*

*functi eos, qui nuper aſſumpti ſunt, ſolummodò ſi videantur digni, & populus eos elegerit condecernente ſimul, & deſignante maximè Alexandriæ Ciuitatis Epiſcopo. Hoc itaque alijs quidem conceſſum eſt omnibus: in perſona verò Meletij nequaquam eadem placuerunt propter priorem indiſciplinationem eius, & propter procacitatis eius, ac petulantiæ voluntatem, ne vlla daretur authoritas, vel poteſtas homini, qui poſſet rurſus eaſdem indiſciplinationes inſtruere. Hæc ſunt præcipua, & competentia Aegypto, & ſanctiſſimæ Alexandrinorum Eccleſiæ.* Hucuſque litteræ Synodicæ ſacroſancti Concilij Nicæni, ex quibus patet, ſequentia canonis 6. verba, *Conſuetudo ſeruetur, per Aegyptum, Libyam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem*, potiſſimùm de ordinatione Epiſcoporum intelligenda eſſe.

5. Hiſce ſuppoſitis contendit D. de Marca, ſimilitudinem Alexandrini cum Romano ordinationes Epiſcoporum reſpicere. Nam cum certum ſit, Romanum Epiſcopum non omnes Occidentalium Epiſcoporum ordinationes ſibi retinuiſſe, quin etiam conſtet, per aliquod tempus non aſſumpſiſſe ordinationes omnium Metropolitanorum, ait, rectè Ruffinum canonem ſextum intellexiſſe de Suburbicarijs Regionibus, in quibus Patriarcha Romanus ſibi ſemper ordinationes reſeruauit.

„ Illud enim (inquit de Marca lib. 1. cap. 7. §. 3.) nulli dubium eſſe poterit, quin Epiſcoporum ordinationes non ſolùm in Prouincia Romana, quo iure quamplures Metropolitani potiebantur, ſed etiam in vicinis quibuſdam Prouincijs obtineret. De Prouincijs Vrbicarijs, ideſt, de Prouincijs illis 10. quæ Vicario Vrbis parebant, & per Campaniam, Brutios, Apuliam, Calabriam, ad Siciliam vſque protendebantur, non eſt dubitandi locus. Vt enim Diœceſis Orientalis addicta fuit Antiocheno Epiſcopo à Nicæna Synodo, vnde iura ordinationum ſequebantur, quemadmodum nos docuit Innocentius: ita etiam Diœceſis Vrbicaria ſaltem Vrbis Epiſcopo conceſſa fuit à Synodo Nicæna, vnde etiam ordinationum iura per decem illas prouincias conſtituuntur.

6. Aliud argumentum addit de Marca ex veteris diſciplinæ axiomate deſumptum, vt eius Synodo ſeſe ſiſterent Epiſcopi, cuius arbitratu ordinati erant: vnde profectum eſt, vt *pertinere ad alicuius Concilium, vel ad conſecrationem*, promiſcuè & paſſim dicantur Epiſcopi, qui à Primatibus ſuis pendent; & hinc eſſe illud Iuſtiniani, qui conſtituit Nouella 137. capite 4. *Conuenire apud beatiſſimos Patriarchas illos*,

*los, qui ab ipſis ordinati ſunt, & qui non habent ius alios Epiſcopos ordinandi, vt apud ſanctiſſimos Metropolitas cuiuſque Prouinciæ eos, qui ab eis ſunt ordinati.* Quam conſtitutionem ita Photius in Nomocanone tit. 8.
,, cap. 8. interpretatur, vt Me-
,, tropolitanorum Synodi apud
,, Patriarchas, & Epiſcoporum
,, apud Metropolitas cogi de-
,, beant. Iam verò omnium Regionum Vrbicariarum Epiſcopos ad Romani Epiſcopi Concilium, & eiuſdem ordinationem pertinere, patet ex Cæleſtino Pontifice, qui Apuliæ, & Calabriæ ordinationes ſibi vendicauit, dum vniuerſis Epiſcopis per Apuliam, & Calabriam conſtitutis ſcripſit: *Audiuimus, quaſdam proprijs deſtitutas rectoribus Ciuitates Epiſcopos petere ſibi velle de laicis, tantumque faſtigium tam vile credere, vt hoc his, qui non Deo, ſed ſæculo militauerunt, exiſtiment nos poſſe conferre, non ſolùm male de ſuis clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, iudicantes, ſed de nobis peſſimè, quos credunt hoc poſſe facere, ſentientes.* De Campania, & Brutijs idem habet D. Athanaſius epiſtola ad ſolitarios, vbi allegat Epiſcopos Synodi Romanæ ſecum communicantes è *magna Roma, Italiaque vniuerſa, ex Calabria, Apulia, Campania, Brutijs.* Idem de Epiſcopis Sardiniæ, & Siciliæ conſtat ex datis ad eos per Diuum Gregorium Magnum in regeſto ſuo litteris; & ſic de alijs, vt ſuo loco oſtendemus.

7. Ex quibus tandem concludit de Marca lib. 1. capite 7.
,, §. 6. Vt explicatio canonis 6.
,, in pauca contrahatur, rectiſ-
,, ſimè, & vſu recepto Ruffinus
,, componi inter ſe Alexandri-
,, num, & Romanum Epiſco-
,, pum in eo ſcripſit, quòd ille
,, Aegyptiacæ Diœceſeos ἐξουσίαν
,, habere debeat eodem iure, quo
,, Epiſcopus Romanus vtebatur
,, in Diœceſi Vrbicaria, ſeu, vt
,, Ruffinus elegantiſſimè loqui-
,, tur, in Eccleſijs Suburbicarijs,
,, id eſt in ijs Eccleſijs, quæ de-
,, cem Prouincijs Suburbicarijs
,, continebantur. Earum enim
,, Prouinciarum & Synodus, &
,, ordinatio, & plena liberaque
,, adminiſtratio ad Epiſcopum
,, Romanum pertinebat, vt E-
,, piſcopo Alexandrino in Ae-
,, gyptiaca Diœceſi, & Antio-
,, cheno in Orientali. Sapien-
,, ter autem Ruffinus compara-
,, tionem his finibus coërcuit:
,, quia ſcilicet vberiori iure frue-
,, batur Romanus Pontifex,
,, quàm cæteri Diœceſeon ſin-
,, gularum Exarchi; etenim &
,, *plures maioreſque Diœceſes*
,, *tenebat*, vt cum Synodo Are-
,, latenſi loquar, & principatum
,, totius Eccleſiæ gerebat: in qui-
,, bus duobus capitibus duos il-
,, los Patriarchas cum Romano
,, non componi, Ruffinus cen-
,, ſuit, ſed tantùm ratione habi-
,, ta Eccleſiarum Suburbicaria-
,, rum.

,, rum. Plura de canonis 6. Nicæni, prout à Ruffino explicatur, intelligentia, diſſeruit Ioannes Launoius libro hac de re edito, quem noui libelli editione contra Henricum Valeſium propugnauit anno 1671. in quibus plerumque mentem Ruffini interpretatur de ordinationibus intra Prouincias Suburbicarias, quas decem Notitia Imperij enumerat. Hinc tamen ne quis concludat, per ſacrum canonem euerſum eſſe Romani Pontificis Primatum. Per- ,, ſpicere (inquit contra hæreti- ,, cos Pariſienſium Archiepiſco- ,, pus de Marca loco citato) de- ,, buerunt mores antiquos hoc ,, canone firmari, atque adeò ,, totam, quantacumque erat, ,, Romani Pontificis authorita- ,, tem. Quarè prudenter Ruffi- ,, nus, non in omnibus articu- ,, lis, ſed in eo iure Patriarchi- ,, co, quod obtinebat in Diœ- ,, ceſi Vrbicaria, Romanum ,, Pontificem cum Alexandrino ,, Epiſcopo conferri adnotauit. Poſito itaque ſenſu Ruffini, non reijcitur Primatus, vt nuper quoquè obſeruatum fuit in theſi ſub D. Iacobo Benigno Boſſuet Epiſcopo Condonenſi Sereniſſ. Galliæ Delphini Præceptore, & Doctore Sorbonico anno 1675. in Sorbona propugnata. *Canone 6.* inquit, *fruſtrà abutuntur hæretici, vt primariam Cathedræ Romanæ dignitatem conuellant, & ſi Ruffini expoſitio reijciatur, nec Suburbicariæ Eccleſiæ per totum Orbem, vel etiam Occidentem protendantur.*

# CAPVT SECVNDVM.

*Ruffini expoſitionem de Suburbicarijs, ſi illæ ſumantur pro decem Prouincijs in Notitia expreſſis, non conuenire menti Nicænæ Synodi.*

1. *Stante Ruffini interpretatione ſatisfieri quidem poteſt hæreticis, non tamen peritis, cum conſtet, mentem Ruffini non concinere menti Nicænæ Synodi.*

2. *Profertur canon 6. Concilij Nicæni, in quo nulla omninò fit mentio Suburbicariarum.*

3. *Oſtenditur, quòd temeritas Meletij in alterius Prouincijs ordinationes vſurpantis, cauſam præbuerit huic canoni.*

4. *Hinc tamen non ſequitur, agi à Nicæno Concilio de ſolis ordinationibus, cum de omni iure Patriarchico in eo canone egiſſe certum ſit.*

5. *Patriarcharum nomen tempore Nicæni Concilij ignotum, ſed res ipſa notiſſima; & in eo à iure Metropolitico diſtincta, quòd Patriarchæ ſuprà ipſos Metropolitas eſſent conſtituti.*

6. *Ex his omnibus oſtenduntur errare, qui Patriarchatus Romani iura intra decem Prouincias coërcent, adeò vt Ruffinus explodendus eſſet, ſi eius interpretatio alium ſenſum non admitteret.*

7. *Quòdſi tamen Ruffini paraphraſim quis admittere vellet, intelligenda eſſet iuxta*

Ni-

*Nicænum de iure Patriarchico per vniuerſas Occidentis Eccleſias, quæ Suburbicariæ quodammodo vocari poſſunt, vt oſtenditur tum ex alijs, tum ex Sirmondo.*

1. HAereticis paraphraſim Ruffini contra Primatum Pontificis vrgentibus ſatisfacere quidem poſſet interpretatio, quam Pariſienſium Archiepiſcopus contra ineptias Salmaſij adduxit, ſi Ruffinus ea intendiſſet, quę ipſum intendiſſe putat de Marca. Sed cum Ruffinus generaliter dicat à Concilio Nicæno canone 6. ſtatutum fuiſſe, *vt apud Alexandriam, & in Vrbe Roma vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Aegypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat*, neque vllatenus limitet ad ordinationum iura: quis non videt de mente Ruffini coniecturas potiùs adferri, quàm certum quid exprimi? Probandam ſibi propoſuerat Ioannes Launoius rectam canonis 6. Nicæni intelligentiam, & multum laboris adhibuit in ſenſu inueſtigando, qui ita verbis Ruffini aptaretur, vt menti Nicænæ Synodi non repugnaret. Sed quis dicet, ſenſum tanto labore inueſtigatum fuiſſe iuxta mentem Ruffini? Notat ſanè doctiſſimus Valeſius in obſeruationibus ad nouam hiſtoriæ Socratis, & Sozomeni verſionem cap. 1. de canone 6. Nicæno, quòd cum doctiſſimi homines de Eccleſijs, ac regionibus Suburbicarijs acriùs inter ſe contenderent, Ruffini interpretationum potiùs, quàm canonis ipſius verba expoſuerint; & illos quidem, qui decem Suburbicarias Prouincias in Notitia enumeratas, à Ruffino per Suburbicaria loca intelligi volunt, mentem Nicæni Concilij nullatenus attigiſſe probat Valeſius, cuius non quidem defenſionem ſuſcipiam contra Diſſertationis propugnationem à Ioanne Launoio Pariſijs anno 1671. editam, ſed quę vir doctiſſimus rectè obſeruauit, adferam: & ſicut ea, quæ rectè à Launoio ſcripta ſunt, adducam; ita illa, quæ ab eodem non rectè obſeruata ſunt, refellam.

2. Primò itaque interpretationem Ruffini omittendam putamus, quippe quæ veriùs, vt optimè notat Valeſius, paraphraſis ſit, quàm verſio. Patet id ex canonis genuinis verbis, quæ Dionyſius Exiguus ita ex græco latinè vertit: *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Aegyptum, Libyam, & Pentapolim, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt: ſimiliter autem & apud Antiochiam, cæteraſque Prouincias ſua priuilegia ſeruentur Eccleſijs. Illud autem generaliter clarum eſt, quòd ſi quis præter Metropolitani ſententiam fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definiuit, Epiſcopum eſſe non oportere.* Hęc genuina canonis verba, in quibus Ruffini paraphraſis ne quidem per vmbram conſpicitur. Vnde rectè ſcripſit Leo Allatius in libro primo

de

de conſenſione Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ cap. 12. num. 4. *Quid hic Vrbicaria, & Suburbicaria ſomniamus, de quibus nec veſtigium in verbis Concilij?*

3. Secundò admitti poteſt cum Launoio, temeritatem Meletij cauſam huic canoni præbuiſſe: Quidquid enim Valeſius cap. 8. repugnare videatur, hoc tamen ſufficienter oſtenſum eſt capite præcedenti ex epiſtola Nicæni Concilij. Vnde non malè Ioannes Launoius in Diſſertationis ſuæ propugnatione ad relati capitis 8. diſcuſſionem in ſui fauorem adducit hæc verba Iacobi Sirmondi in Aduentoria par. 2. cap. 1. *Ex Synodi ipſius ad Epiſcopos Aegypti epiſtola, quam lib. 1. cap. 9. recitat Theodoretus, diſcere poteras, Meletiani ſchiſmatis cauſa editum fuiſſe, ob Meletium Lycopolis Epiſcopum, qui, vt narrat Epiphanius hæreſi 68. clericos paſſim, Epiſcopos, & presbyteros, ac diaconos inſtituebat, priuataſque ſeorſim Eccleſias erigebat. Quæ cum aduersùs Epiſcopi Alexandrini iura tentari viderentur, morem antiquum retineri Synodus iuſſit, vt Epiſcopus Alexandriæ per Aegyptum, Libyam, ac Pentapolim ſummam habeat poteſtatem; parique modo & Antiochiæ, & cæteris in Prouincijs ſua Metropolitanis iura ſeruari.*

4. Tertiò hinc tamen non ſequitur, quòd Synodus Nicæna de ſolis ordinationibus egerit. Nam, vt benè obſeruat Valeſius cap. 2. *non de ſolâ ordinatione hîc agitur, de omni iure Patriarchico.* Quod ipſum rectè probauit cap. 5. his verbis: *Si Patres Nicæni Concilij de ſola ordinatione agere voluiſſent, nomen ordinationis omninò poſuiſſent in hoc capite, & reliqua omnia excepiſſent: id enim ratio poſtulat. Atqui ordinationis nullam prorsùs mentionem fecère, immò verò generaliter locuti ſunt.* Ordinationis itaque nomen addi debuerat in canone, ſi ad mentem Ruffini interpretandus fuiſſet de poteſtate ordinationum per Suburbicarias tantummodo Prouincias. Cum autem canon nihil limitet, ſed è contra generaliter ſtatuat; quis non videt occaſione deſumpta ex vſurpata per Meletium ordinationum auctoritate in Patriarchatu Alexandrino, generaliter prouiſum fuiſſe omni iuri Patriarchico, ne vlli Patriarcharum, vel maiorum Sedium quidquam iuris periret? Et hoc ipſum patet ex Antiocheno Epiſcopo, & alijs trium Autocephalicorum Sedibus, quibus, licèt nihil commune haberent cum ſchiſmate Meletiano, tamen ſua quæque priuilegia tributa ſunt, quæ antiquitùs obſeruari ſolebant. Quarè, vt rectè adnotauit Valeſius cap. 6. *cum Nicæni Patres antiquas conſuetudines in Aegypto firmauerint, apparet, eos non de ſola ordinatione locutos eſſe, ſed de omnibus Eccleſiaſticis negotijs. Omnes certè Aegypti Epiſcopi ita ſemper*

hunc

*hunc canonē intellexerunt: quemadmodum diſcimus ex Concilio Chalcedonenſi actione 4. vbi Henricus Epiſcopus Aegypti nomine* Epiſcoporum totius Prouinciæ ita dicit: *De epiſtola autem ſanctiſſimi & Deo amiciſſimi Archiepiſcopi Romani Leonis, ſciunt omnes ſanctiſſimi Patres noſtri, quia in omnibus expectamus ſententiam ſanctiſſimi Archiepiſcopi, & petimus veſtram clementiam expectare Præſidis noſtri præſentiam, quia eum in omnibus ſequimur. Nam & ſanctiſſimi Patres, qui in Nicæna congregati ſunt 318. hanc regulam dederunt, vt ſequatur omnis Aegyptiaca Diœceſis Archiepiſcopum magnæ Vrbis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubiacente Epiſcopo.* Hæc & alia Valeſij argumenta tantum valuerunt, vt Ioannes Launoius in Diſſertationis propugnatione ingenuè confeſſus ſit, ſe nunquam dixiſſe, *Nicænos Patres in canone 6. de ordinatione ſola locutos eſſe.* Quinimò in Valeſianę capitis 6. diſcuſſione fatetur, ſe idem ſentire ex laudato Epiſcoporum Aegyptiorum teſtimonio, & ad caput 8. declarat hanc eſſe ſuam ſententiam: *Comparationem, quæ inter Alexandrinum, & Romanum Epiſcopum inſtituitur, pręſertim conſiſtere in ordinandis Antiſtitibus, presbyteris, & diaconis, præſertim aio, non tantùm.* Quibus ſignificat Launoius, canone 6. Nicæno, non tantùm de ordinationibus, ſed de omni iure Patriarchico agere, prout ſæpiùs quoquè docuit D. de Marca, pręſertim autem lib. 1. cap. 3. §. 7. *Nullus*, inquiens, *apud me eſt dubitationi locus, quin tres illi Epiſcopi inter ſe inuicem, quod ad ius Patriarchicum attinet, hoc canone componantur.*

5. Quartò licèt Patriarcharum nomen diù poſt tempora Concilij Nicæni vſurpari cœperit, vt obſeruat Launoius, rem tamen ipſam ante Concilium Nicænum extitiſſe, rectè docet Valeſius capite 4. Neque hìc indagandum, an tres primæ Sedes, quas poſteriora ſæcula Patriarchales vocarunt, à Metropolitanis fuerint poteſtate diuerſæ, cum ex dictis præcedenti Diſſertatione facilè quiſque perſpiciat, in eo Patriarchas fuiſſe a binitio Eccleſiæ à Metropolitis diſtinctos, quòd, vt ait Valeſius cap. 2. & 3. Metropolita quidem præſit vni Prouinciæ, Patriarcha verò regat integram Diœceſim, adeòque & plures Metropolitas ſub ſe habeat, vt quaſi Metropolita Metropolitanorum vocari poſſit. Oſtendimus ſanè, in ſingulis fermè Prouincijs ab Apoſtolis Metropoles ciuitates delectas fuiſſe pro Metropolitanorum Sedibus. Cumque nemo dubitare poſſit, quin plures Metropolitæ Apoſtolico decreto in Prouincijs Aegypti, Libyæ, & Pentapolis inſtituti ſint, rectè ſequitur, ſacroſanctum Nicænum Concilium confirmaſſe inſtitutionem Sedis Alexan-

xandrinæ tam ſupra Metropolitanos, quàm ſupra Epiſcopos, dum ſtatuit: *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Aegyptum, Libyam, & Pentapolim, vt Alexandrinus omnium horum habeat poteſtatem.* Idem probari poteſt de Antiocheno Epiſcopo, cuius priuilegia, dum ſalua voluit Nicænum Concilium, poteſtatem in totam Orientis Diœceſim eidem confirmauit, vt atteſtatur Concilium Conſtantinopolitanum Primum canone 2. quo Primatus honorem iuxta regulas Nicææ conſtitutas ſuper Orientis Epiſcopos, & Metropolitas Antiochenæ Eccleſiæ adiudicat. Vnde D. Hieronymus in epiſtola ad Pammachium de erroribus Ioannis Hieroſolymitani ſcripſit, iuxta Nicænum Concilium totam Paleſtinam, in qua Hieroſolyma ſub Cæſareenſi Metropoli conſtituta erat, fuiſſe Diœceſis Orientalis Prouinciam, & Antiocheno Epiſcopo ſubiectam: *Ni fallor*, inquit Diuus Hieronymus, *hoc ibi decernitur, vt Paleſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia.*

6. His omnibus præmiſſis, ſequitur, manifeſtè errare eos, qui canonem 6. Nicænum interpretantur de poteſtate Sedis Romanæ in Suburbicarias Eccleſias, quæ continentur decem Prouincijs in Notitia expreſſis. Licèt enim occaſione iuris Patriarchici quoad ordinationes per Meletium læſi, editus ſit canon 6. Nicænus, oſtendimus tamen, non de ſolo ordinationum iure, ſed de omni alio Patriarchico ſtatutũ fuiſſe: cumq; iura Patriarchalia Antiochenus, & Alexandrinus Epiſcopi in plures Prouincias obtinerent; nemo dicet iura Patriarchalia Romani Antiſtitis intra vnam Prouinciam ex decem Regionibus conflatam, quæ parte Italiæ continentur, fuiſſe coarctata. Quod nos quoquè probauimus ſuprà. Aliud enim eſt Romani Epiſcopi tanquam Metropolitani Prouincia, aliud eius tanquam Patriarchæ Diœceſis. Prouincia Romana ad decem Regiones Italiæ, quæ Siciliam, & Sardiniam complectebantur, ſeſe extendebat. Diœceſes Patriarchatus Romani toto Occidente patebant, neque intra decem regiones arctatas fuiſſe quiſquam Catholicorum, niſi ab omnibus peritis explodi velit, aſſerere poſſit, cum teſte à ſæculis conſuetudine Romanus Epiſcopus Patriarchalia ſua iura longiùs, latiùſque exercuerit. Nemo ergò rectè Nicænum Concilium interpretabitur de coarctanda poteſtate Patriarchali Romana intra Suburbicarias tantummodò Eccleſias. Quarè cum Synodus Nicæna agens de pleno iure Patriarchico Romano intelligi non poſſit de Suburbicarijs Eccleſijs, tanquam illius iuris localibus terminis: quomodo Ruffini expoſitio poteſt & prudens cenſeri, & recta, vt cenſuit Pariſienſium Archiepiſcopus de Marca? Sanè Ruffini interpretationi adſtricta non eſt Romana Eccleſia,

cuius

cuius extitit inimicus, vtpotè ab eius Pontifice Anaſtaſio notatus, vt patet ex Anaſtaſij ad Ioannem epiſtola 30. cuius quoquè meminit D. Hieronymus in Rufinum Apologia ſecunda. Notandum proinde illud Nicolai Cœffeteau electi à Rege Maſſilienſis Epiſcopi in opere contra Marcum Antonium de Dominis Archiepiſcopum Spalatenſem, *hìc multa aſferri poſſe ad eleuandam fidem Rufini*. Plura habet Eminentiſſimus Cardinalis Perronius contra Angliæ Regem cap. 33. de Ruffini pharaphraſi: dicit namque eſſe cæcitatem voluntariam, vbi habemus authentica Nicæni exemplaria, velle inhærere verſioni dubiæ alicuius, quem conſtat ob ſuos errores excommunicatum fuiſſe, & quem aliunde D. Hieronymus affirmat fuiſſe peſſimum interpretem, vt vel ex hoc Diui Hieronymi loco Apologiæ ſecundæ contra ipſum Ruffinum inſerto colligitur: *Omne iter dictionis tuæ, abſque Palladis arte ſalebris, & voraginibus vitiorum inciditur.* Quod adeò notum credebat Ioſephus Scaliger, vt exclamarit: *Quis ignorat inſcitiam Ruffini?* Immeritò igitur Ioannes Launoius in Diſſertationis propugnatione ad cap. 7. contra Henricum Valeſium Ruffini authoritatem extollere ſtudet, & vrgere præſumit.

7. Quòd ſi tamen aliquis Ruffini paraphraſim amplectendam putet, iuxta mentem Nicęni Concilij, qua antiqua Eccleſiarum conſuetudo ex inſtituto Apoſtolico orta firmatur, intelligi deberet Ruffinus, quòd Apoſtolorum Princeps Petrus in totius Regni Aegyptiaci Metropoli Alexandria Sedem maiorem inſtituendam duxit. Vnde, vt latiùs ſuprà oſtendimus, Sanctus Marcus D. Petri diſcipulus ex eiuſdem authoritate Alexandriam pergens ad inſtar Sedis Patriarchalis Romanæ Patriarchatum inſtituit; idque Nicænum Concilium canone 6. his verbis exprimit: *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Aegyptum, Libyam, & Pentapolim, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt*. Idem enim eſt, ac ſi diceret, Sedes Patriarchalis Alexandrina Apoſtolorum tempore inſtituta eſt inſtar Sedis Patriarchalis Romanæ. Sed Sedes Romana habet poteſtatem ſuper omnes Prouincias totius Occidentis iuri ſuo patriarchico ſubiectas. Itaque & Alexandrina poteſtatem habere debet ſupra prouincias Aegypti, Libyæ, & Pentapolis, ſuo iuri Patriarchico ſubditas. Et iuxta hunc genuinum canonis ſenſum interpretandus eſſet Rufinus, vt per Suburbicarias intellexerit totius Occidentis Eccleſias ſpeciali iure Epiſcopo Romano ſubditas. *Per Suburbicarias enim Eccleſias*, inquit Valeſius capite 7. *intelligit Ruffinus eas, quæ ſunt ſub Epiſcopo Vrbis Romæ. Nam Suburbi-*

*bicariæ Eccleſiæ eodem modo dicuntur, quo Suburbicariæ Prouinciæ. Vt ergo Suburbicariæ Prouinciæ appellantur, quæ erant ſub Vicario Vrbis Romæ; ſic Eccleſiæ Suburbicariæ dicuntur à Ruffino, quæcumque ſubiacebant Epiſcopo Vrbis Romæ: & quemadmodum Prouinciæ Suburbicarię peculiarem conſtituebant Diœceſim Vicariæ Vrbis Romæ; ita Eccleſiæ Suburbicariæ Diœceſim conſtituunt Epiſcopi Romani.* Ne verò quiſquam putaret, hunc eſſe primùm aut à me, aut à Valeſio excogitatum Ruffinianæ expoſitionis ſenſum; idē ante nos obſeruarunt Cardinalis Perronius contra Angliæ Regem cap. 33. & Nicolaus Cœffetau electus per Chriſtaniſſimum Regem Maſſilienſis Epiſcopus parte 2. contra Spalatenſem lib. 4. cap. 2. qui rationem adiungit, eò quòd Epiſcopus Romanus à Paulino epiſtola 2. & à S. Optato Mileuitano lib. 1. *Vrbicus* vocatus eſt, omnes Occidentis Eccleſias ipſi ſubiectas Suburbicarias à Ruffino vocatas eſſe. Accedit Iacobus Sirmondus Diſſertatione 2. de Suburbicarijs cap. 4. qui Salmaſium refellens: *Tantum abeſt*, inquit, *vt Suburbicarÿ vocem hoc loco reſpuam, vt noua tibi auctoritate confirmaturus ſim antiquiſſimæ Nicænorum canonum editionis in Bibliotheca Vaticana, vbi ſextum hunc, de quo agimus, hoc titulo & exordio conceptum memini:* De Primatu Eccleſiæ Romanæ, & aliarum ciuitatum Epiſcopis. Antiqui moris eſt, vt Epiſcopus Vrbis Romæ habeat principatum: vt Suburbicaria loca, & omnem Prouinciam ſua ſolicitudine gubernet. *Nunc ergò animum aduerte: iam vides ni fallor, aut diffidere ab ſe interpretes iſtos, aut vnum, atque idem in explicanda Romanæ Diœceſis amplitudine voluiſſe diffidere. Si quid ſapis, non dices; ergò idem voluere. Quarè Suburbicarias Eccleſias Ruffinus cum dixit, omnes Eccleſias, quæ vniuerſæ Romanæ Diœceſi, quam Prouinciam hic alter vocat, continentur, hoc eſt totius Occidentis Eccleſias complexus eſt. At Suburbicariæ, inquis, Regiones, aut Prouinciæ tam latè non patent. Quid tum? Quàm multa ſunt eiuſmodi vocabula, quæ pro rei adiunctæ modo ſignificationem variant? Iidemne ſunt fines, ac termini Orientis, cum Comitem Orientis audiuimus, & cum Præfectum Pretorio Orientis? Eademne Aſiæ, cum Proconſul Aſiæ nominatur, & cum Vicarius Diœceſis Aſianæ? Eademne Italia, quæ à Vicario Italiæ regitur, & quæ à Præfecto Pretorio Italię adminiſtratur? Quod bis ergò, alijſque ſexcentis vſus tulit, cur in Suburbicarijs, quæ dicuntur, idem non faciat, vt quemadmodum Suburbicarię regiones tua quidem ſententia eæ dictæ ſunt, quę Præfecto Vrbi, vt ego interpretor, quæ Vicario parebant? ita Suburbicarię Eccleſiæ ritè nomi-*

*minentur omnes, quę in Vrbis Epiſcopi ſint Diœceſi, ac poteſtate?* Hæc Sirmondus, cuius diſcurſum libuit integrum tranſcribere, quia libellus rarus eſt, & in Gallijs auctor omnium ore celebratus. Demùm concludit Chriſtianus Lupus parte prima ad hunc canonem: *Non vacat de Suburbicarijs Romani Imperij Prouincijs diſputare, atque ex illis quærere naturam Suburbicariarum Eccleſiarum. Eam iam audiuimus non eſſe aliud, quàm eos, qui Romæ ſubditi, ideſt qui ſubditi ſunt iuri Patriarchico Eccleſiæ Romanę, nempè totum Occidentem, Septemtrionem, Africam, atque Illyricum.* Sic vir ille eruditus vno, alteroue verbo hanc quæſtionem à ſe repulit, cui participato aliorum labore tantùm hoc capite inſudatum eſt. Ex quo patet, quòd ſi canon Nicænus comparationem inſtituat inter Alexandrinum Epiſcopum, & Romanum de iure Patriarchatus, certum ſit, non egiſſe de Romani Epiſcopi tanquam Metropolitani iure in Suburbicarias Prouincias, ſed de iure Romani Patriarchatus in totum Occidentem, vt pluribus ſubſequentibus capitibus euincemus, oſtendendo primùm, quòd Romanus Epiſcopus ſit totius Occidentalis Patriarcha, ſubinde verò, quòd iura Patriarchalia in totum Occidentem exercuerit.

# CAPVT TERTIVM.

## *Quòd Romanus Epiſcopus ſit Patriarcha totius Occidentis.*

*1. Canon 6. Nicænus agit de Patriarchatu Romano, neque Suburbicariarum Prouinciarum meminit. Græcus epitomator, & Ariſtenus laudantur, at duo nuperi ſcriptores refellendi ſuſcipiuntur.*

*2. Patriarchatus Romanus in totum Occidentem probatur 1. ex Concilio Arelatenſi Primo ſcribente ad Sanctum Syluestrum:* qui maiores Diœceſes tenes, *oſtenditurque contra Decanum Londinenſem, Diœceſis nomen tempore Nicæni Concilij vſurpatum à Conſtantino Magno; & non de Eccleſijs, ſed maioribus Occidentis Diœceſibus ſcripſiſſe Patres Arelatenſes, contra nuperum ſcriptorem Gallum monſtratur.*

*3. Probatur 2. teſtimonio Diui Baſilij M. quo Romanus Epiſcopus Occidentalium Coryphæus vocatur, qui titulus non honoris tantùm, ſed etiam auctoritatis indicium præbet, vt contra nuperum ſcriptorem ex alijs quoque Baſilij locis oſtenditur.*

*4. Tertiò ex teſtimonijs D. Hieronymi, quod vltimum non eſt ex ijs, quæ in prima editione attulimus.*

*5. Quartò ex Diuo Auguſtino.*

*6. Quintò ex Innocentio Primo, ex cuius teſtimonijs de ſex Diœceſibus Occidentis Romano Patriarchæ ſubiectis conſtat.*

*7. Sextò ex Stephano Lariſſenſi, & Theodoſio Echinenſi.*

*8. Septimò ex Iuſtiniano Imperatore.*

*9. Octauò ex Synodo Generali Sexta.*

*10. Nonò ex D. Ioanne Damaſceno, & Theodoro Studita.*

*11. Decimò ex Synodo Generali Octaua.*

*12. Vndecimò ex Zonara, & Balſamone.*

*13. Duodecimò ex Græcis Schiſmaticis, Barlaam monacho, Macario Ancyrano, & Nilo Theſſalonicenſi.*

*14 Decimo tertiò ex Nilo Doxapatrio, quocum Leo Allatius etiam Thraciam ad Romanum Patriarchatum ſpectaſſe putat.*

*15. Thraciam tamen non fuiſſe ſub Patriar-*

*triarcha Romano, probatur.*

16. *Decimo quartò ex Leonis Sapientis Noticia per Sirmondum exhibita, cui Peronij Cardinalis contra Iacobum Angliæ Regem, & ipſius Iacobi Regis teſtimonia adduntur.*

1. REctè Leo Allatius lib. 1. cap. 12. num. 4. canonem 6. Nicænum interpretaturus obſeruat, ius Patriarchale ibidem ſtabilitum eſſe, nullamque Vrbicariarum aut Suburbicariarum Eccleſiarum mentionem fieri: *Quid hic Vrbicaria, & Suburbicaria ſomniamus*, inquit, *de quibus nec veſtigium eſt in verbis Concilij? Hac ratione interpretes, cum inter poteſtatem abſolutam Pontificiam & Patriarchalem non diſtinxiſſent, exiſtimantes Concilium de Primatu Papæ agere, nec intelligentes, quomodo fieri poſſet, vt eadem auctoritas Alexandrino, atque Romano tribu.retur; alia atque alia commenti ſunt, quę planè omnia remanent, ſi de Patriarchali poteſtate, vt certè debent intelligi, exponantur.* Fauent huic Leonis Allatij obſeruationi antiquiores Græci, & inter cæteros ignotus mihi canonum epitomator, qui canonem ſextum Nicænum ita refert: *Aegypti, & Libyæ, & Pentapoleos Alexandrinus dominium habeat; & Romanus eorum, quæ ſub ditione Romana ſunt, & Antiochenus, & reliqui propriorum.* Alexius quoquè Ariſtenus, qui ita prædictum canonem commentatur: *Vnumquemque Patriarcham proprijs priuilegijs contentum eſſe oportet, & neminem ex ipſis Prouinciam aliam, quæ anteà à principio non erat, ſub manu ſua ſibi vendicare.* Ex his enim patet, antiquiores canonum Collectores de trium Patriarcharum poteſtate canonum 6. Nicænum intellexiſſe. Quod cum ita eſſe, in ſuperioribus monſtratum ſit, vbi de Alexandrini, & Antiocheni Patriarchatus terminis tractauimus; reſtat ſolùm Romani Patriarchatus limites inueſtigare, quod hoc capite & ſequentibus ita præſtabimus, vt ſimul duorum recentiorum ſcripta refutanda ſuſcipiamus. Cum enim poſt priorem Antiquitatis illuſtratæ editionem, in qua oſtendimus, Romanum Patriarchatum per totum Occidentem extendi, reperti ſint in Anglia Eduardus Stillingfleet Decanus Londinenſis, & in Gallia Ellies du Pin Doctor Pariſienſis, qui Patriarchatum Romanum intra Suburbicarios limites coërcere tentarunt; primuſque eorum ex profeſsò hanc materiam contra me tractarit in libro de Originibus Britannicis, operæ pretium me facturum exiſtimaui, ſi quæ ab ipſis opponuntur, eodem tempore adferam, quo antiquorum teſtimonia pro Patriarchatu Romano in totum Occidentem adducam.

2. Vnum ex præcipuis teſtimonijs, quod in priori Antiquitatis editione attuli, ex Concilio Arelatenſi primo deſumptum eſt, quod

quod anno 314. ſcripſit ad Sanctum Silueſtrum, cum maiores Diœceſes tenere. *Qui*, inquit, *maiores Diœceſes tenes*. Ita in epiſtola Synodica confeſſores Epiſcopi ex omni Gallia, Britannia, Hiſpania, Africa, & Italia ante tempora Nicæni Concilij Arelatæ adunati, vt nullum aut antiquius, aut grauius teſtimonium deſiderari poſſit pro Patriarchatu Romani Pontificis in ſex Diœceſes, quibus tunc Eccleſia in Occidente conſtabat. Hoc teſtimonio, quo Pariſienſis Archiepiſcopus de Marca lib. 1. cap. 4. §. 1. Patriarchatum Romanum in omnes Occidentis Eccleſias exhiberi fatetur, ſe vrgeri videns Decanus Londinenſis pag. 130. commentatur ad prædicta Concilij Arelatenſis verba: *Quoad voces*, maiores Diœceſes, *dubium eſt, an Conſtantinus tempore Synodi Arelatenſis diſtribuerat Imperium in Diœceſes? Et veriſimilius eſt, nec id factum fuiſſe tempore Nicænæ, cum ibi ſola mentio fiat Prouinciarum, non Diœceſeon. Quod ſi verum ſit, corruptus fuit iſte locus in iſta expreſſione, ſicut certum eſt corruptum fuiſſe in alijs. Admiſſo tamen locum eſſe ſincerum, nihil inde deducitur, niſi quòd Epiſcopus Romanus haberet Diœceſim maioris extenſionis, quàm alij Epiſcopi Occidentales, quod non negatur*. Et alibi expreſsè tradit, legendum eſſe, *qui maiorem Diœceſim tenes*. Hæc auctor ille, cuius errores in Diſſertatione de Patriarchali, & Metropolitica poteſtate anno 1687. Romæ edita refutauimus oſtendentes, diuiſionem Imperij in Diœceſes Concilio Nicæno poſteriorem non eſſe, idque patere ex epiſtola ipſius Conſtantini, quę tempore Nicæni Concilij ſcripta eſt, in qua expreſſa mentio fit Aſianæ, & Ponticæ Diœceſis. Cum enim monſtrare vellet, præcipuas totius Orbis Catholici Regiones in celebrando Paſchatis feſto conuenire, ait: Κατὰ τὴν Ῥωμαίων πόλιν, Ἰταλίαν τε, καὶ Ἀφρικὴν πᾶσαν, * Σπανίαν τε, καὶ Γαλλίαν, Βρεττανίαν, Αἴγυπτόν τε, καὶ Λιβύας, Ἑλλάδα τε ὅλην, Ἀσιανήν τε διοίκησιν, καὶ Ποντικὴν, καὶ Κιλικίαν μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ συμφώνῳ φυλάττεσθαι γνώμῃ. *In Vrbe Roma, in Italia, in Africa, in Hiſpania, in Gallia, & Britannia, in Aegypto, ac Libya, & vniuerſa Græcia, in Diœceſi Aſiatica, & Pontica, in Cilicia denique, vna, & conſentiente ſententia conſeruatur*. Vbi vides, *Aſianam & Ponticam Diœceſes* à Conſtantino ipſo nominari, adeòque Diœceſis nomen tempore Concilij Nicæni in vſu fuiſſe, falſumque eſſe, quod ibidem Prouinciarum dumtaxat mentio fiat. Cum igitur tempore Concilij Nicæni Diœceſes fuerint, & tempore Arelatenſis Concilij à Patribus ad Sylueſtrum Papam ſcriptum ſit, *qui maiores Diœceſes tenes*: neceſſe eſt, Diœceſes quoquè tunc fuiſſe, nullaſque alias eſſe poſſe, niſi quas Notitia Imperij exhibet, ſex nimi-

* Socr. l. 1. c. 9. Valeſij. Γερμανίας, Γαλλίας, Βρεττανίας, Λιβύων.

mirum Occidentales, Africanam, Illyricanam, Italicam, Hiſpanicam, Gallicam, & Britannicam, quibus Diœceſibus Occidens, prout ab Oriente diſtinguitur, iam inde à temporibus Hadriani Imperatoris, cuius diuiſionem Imperij Conſtantinus ſecutus eſt, conſtitit, vt ex ſuprà dictis facilè patebit. Nullatenus igitur dubitandum, quin de his maioribus Imperij Diœceſibus loquuti ſint Patres Arelatenſes, dum ad Sanctum Syluestrum ſcripſerunt, *qui maiores Diœceſes tenes*. Neque audiendus eſt auctor libri de Diſciplina Eccleſiæ, dum ſcripſit, quod Diœceſeos nomen hìc ſtrictè non ſumatur pro Imperij Diœceſibus, ſed potiùs pro ſingulis ijs Prouincijs, quas Romanus Pontifex regebat, vt ſenſus eſſet: *Tu qui maioribus praes Occidentis Eccleſijs, cæteris Paſchæ diem per litteras ſignificabis.* Non enim ſcribunt Patres, *maioribus Eccleſijs*, ſed, *maioribus Diœceſibus*. In Suburbicarijs quoq; regionibus vna Romana ex maioribus Occidentis ciuitatibus reperiebatur; plures, ſi fortè Capuam excipias, non inuenies: vt ſi de maioribus Occidentis Eccleſijs Patrum Arelatenſiũ verba intelligenda eſſent, non de Regionibus Suburbicarijs, ſed de cæteris Occidentis Prouincijs, in quibus Theſſalonicenſis, Carthaginenſis, Mediolanenſis, Arelatenſis, aliæque maiores Eccleſiæ ſitę erant, intelligi deberent.

3. Aliud teſtimonium deſumptum fuit ex Magno Baſilio Cæſarienſi Cappadociæ Exarcho: epiſt. enim 10. vt obſeruat Pariſienſium Archiepiſcopus de Marca lib. 1. capite 4. num. 2. conceptis verbis Epiſcopum Romanum *Occidentalium Coryphæum* eſſe ſcribit, ideſt illius Eccleſiæ Principem. Obijt autem Baſilius, iuxta Lucam Holſtenium in Diagrammate Chronotactico, ſub Pontificatu Damaſi anno 378. ante quod tempus Romanus Epiſcopus pro totius Occidentis Patriarcha agnoſcebatur etiam ab Orientalibus, vt fidem facit Baſilij teſtimonium. Quid ad hæc Decanus Londinenſis? Aſſerit, Baſilium tantùm ſignificare Sedis dignitatem, non ius Patriarchale. Et auctor libri de Diſciplina Eccleſiæ locum illum Baſilij nihil ad propoſitum pertinere ſcribit. *Nam*, inquit, *ſi per vocem illam Occidentalis Eccleſiæ principem intelligant eum, qui inter Occidentales primus eſt, & bonore cæteros antecellit, quod propriè per nomen κορυφαῖος deſignatur; hoc ſenſu Romanum Pontificem tunc Occidentalis Eccleſiæ principem fuiſſe, quis dubitet? Verùm ſi per Principem Occidentis eum intelligant, qui totum Occidentem regit Exarchatus, ſeu quod idem olim fuit, Patriarchatus iure, Romanum Pontificem hoc ſenſu Principem fuiſſe inficior, idque Baſilium exiſtimaſſe nego.* κορυφαῖον *enim appellat hoc in loco Romanum Epiſcopum non*

*in*

*in laudem, ſed potiùs in vituperium, Occidentalium faſtum incuſans. Sin autem, inquit, ira Dei permanſerit, quale vobis auxilium ab Occidentalium ſuperbia, & faſtu aderit? Qui veritatem neque norunt, neque dicere ſuſtinent, verùm falſis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrarunt, nempè cum ijs, qui veritatem ipſis annuntiant, contendentes, hæreſim autem per ſe ipſos ſtabilientes. Ego ſanè volebam ad eorum Anteſignanum* κορυφαῖον *ſcribere*. Huc vſque auctor ille, qui non in laudem, ſed in vituperium Romanum Epiſcopum appellari dicit. Quaſi Baſilius non verè, & manifeſtè ſcripſiſſet, Occidentalium Coryphæum eſſe Romanum Epiſcopum, & ideò ad illum potiùs, quàm ad alium ex Occidentalibus Epiſcopis litteras mittere voluiſſet. *Volebam*, inquit, *ad eorum Anteſignanum ſcribere*. Romanum Epiſcopum igitur Occidentalium Coryphæum ſiue Anteſignanum credidit. Quòd ſi Baſilius illa epiſtola Occidentales Apollinaris hæretici fraude deceptos arguit, idque obeſſe credatur; legi poteſt eiuſdem epiſtola 48. ad Athanaſium, vbi de Occidentalibus ſcribit: *ſe vnam olim nouiſſe auxilij viam, quæ res Eccleſijs noſtris cum Occidentalibus Epiſcopis conſpirat, & conuenit. Si namque voluerint illi eundem zelum, quo contra vnum, & alterum, qui in Occidente diffamabatur, vſi ſunt, & pro noſtrarum partium incolatu ſoliciti demonſtrare: fortè fiet aliquid, quod proderit communiter omnibus*. Plura ibidem adiungit Baſilius, hortaturque Athanaſium, vt ipſe apud Occidentales intercedere velit: itaque ex hac epiſtola non ſolùm habetur, Diuum Baſilium credidiſſe, vnicam auxilij obtinendi viam in Occidentalibus ſitam fuiſſe, ſed & perpetuò Occidentales ab Orientalibus diſiunxiſſe, eoque ſenſu Romanum Epiſcopum Occidentalium Coryphæum tamquam peculiare illorum caput vocaſſe, quòd illum pro Paariarcha, cui Occidentis Diœceſes ſuberant, haberet.

4. Sequitur tertiò teſtimonium D. Hieronymi presbyteri, qui tempore Damaſi Papæ in epiſtola ad Marcum ſcripſit, *hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Aegypto, hoc eſt cum Damaſo, Petroque condemnent. Quid apertius?* (inquit Pariſienſis Archiepiſcopus de Marca lib. 1. cap. 4. §. 2.) *Vt Aegyptum tamquam ſpecialem Alexandrini Patriarchæ Diœceſim Petro Alexandriæ Epiſcopo tribuit Hieronymus: ita & Damaſo Epiſcopo Romæ ſolum Occidentem*. Et ante ipſum Iacobus Sirmondus de Suburbicarijs par. 2. cap. 3. *Quid aliud intelligi voluit, quàm vt Petri Alexandrini Aegyptum, ſic Damaſi Epiſcopi Romani Diœceſim fuiſſe Occidentem? Specialis ergò, & Patriarchalis, vt ita dicam*

*cam Epiſcopi Romani Diœceſis Occidens fuit, quatenus is Patriarcha erat, quo nomine cum Alexandrino, atque Antiocheno in Nicænæ Synodi canone comparatur.* Sirmondi ſententiam confirmare videtur D. Hieronymus libro aduersùs Vigilantium his verbis: *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Aegypti, & Sedis Apoſtolicæ?* Hìc enim Hieronymus trium Patriarchatuum diſtinctos limites indicat, Orientis nimirum, cui Patriarcha Antiochenus; Aegypti, cui Alexandrinus Patriarcha; & Occidentis, cui Patriarcha Romanus præerat. Neque hæc argumenta ſunt longè quæſita, vt contendunt Decanus Londinenſis, & auctor libri de Diſciplina Eccleſiæ. Enimuerò qui Orientis Eccleſias, tanquam ab Aegypti, & Sedis Apoſtolicæ Eccleſijs diſtinctas commemorat, earumque tanquam in varia corpora collectarum meminit, eiſdem capita aliqua præfecta fuiſſe innuit. Id autem eſt, quod de Hieronymo dicimus, quòd nimirum Orientalis Diœceſis Eccleſijs Antiochenum Patriarcham tanquam caput ſpeciale præpoſitum fuiſſe innuat, ſicut loco ſuperiùs citato Aegyptiacæ Diœceſi Petrum Alexandrinum, & Occidentis Diœceſibus Marcum Romanum Patriarcham præpoſitos fuiſſe manifeſtè indicauerat.

5. Accedit quartò D. Auguſtinus Sanctorum Patrum Coryphæus, qui vbi contra Pelagium adduxiſſet teſtimonia S. Cypriani ex Africa; Irenæi, Reticij, Hilarij ex Gallia; Olympij ex Hyſpania; & Ambroſij ex Italia, pergit lib. 1. contra Iulianum cap. 2. *An ideò contemnendos putas, quia Occidentalis Eccleſiæ ſunt omnes, nec vllus in eis eſt commemoratus Orientis Epiſcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci ſint, nos Latini? Puto, tibi eam partem Orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.* Eccleſia, inquit de Marca, nulla eſt alia, quàm Occidentalis, cuius ſolius hoc in loco mentionem facit Auguſtinus, vt fruſtrà ſint nouatores, qui ad Romanam hæc verba referunt, cuius ne meminit quidem Auguſtinus. Certum itaque, hoc loco Auguſtinum agere de Innocentio Primo tanquam ſpeciali iure Occidentis Eccleſijs præfecto, adeòque tanquam Patriarcha Occidentali; longeque à vero alienum eſt, quod cum Decano Londinenſi tradit auctor libri de Diſciplina Eccleſiæ, nihil inde aliud concludi poſſe, quàm Pontificem Romanum inter Occidentis Epiſcopos primũ eſſe. Agit namque Auguſtinus de Innocentij in Occidentis Eccleſias auctoritate, cui Iulianus obedire debuiſſet, adeoque non

de

de primo honoris gradu, ſed ſpeciali iuriſdictionis primatu, ratione cuius Occidentali Eccleſiæ beatus Innocentius præſidebat. Hæc D. Auguſtini ſententia fuit, quam Innocentius ipſe clarioribus verbis probat, quàm vt à quoquam negari valeat.

6. Sanè Innocentius D. Auguſtino contemporaneus epiſtola ad Decentium Eugubinum oſtenſurus, non modò vniuerſam ſub cælo Eccleſiam Sedis Apoſtolicæ iudicio ſubiectam eſſe, ſed Occidentis præſertim Eccleſias ſpecialitèr ad eam de fidei quæſtionibus referre debere, rationem adiungit his verbis: *Præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interiacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi aut quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes: aut legant, ſi in ijs Prouincijs alius Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam inueniunt, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe non dubium eſt, ne, dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* Clariùs, vt puto, indicare non poterat Innocentius Patriarchalem Romanam in totum Occidentem poteſtatem; neque id negare potuit Decanus Londinenſis, ideòque Innocentij teſtimonium, quod in alium ſenſum torquere nequiuit, impugnandum ſuſcepit. Verùm cum Innocentium potiùs audire debeamus, qui initio quinti ſæculi ſcripſit, & quam à prædeceſſoribus ſuis auctoritatem hæreditauerat, meliùs nouit, quàm Decanus Londinenſis hoc ſæculo natus, omiſſis, quæ ipſe hìc erroneè commentatur, adiungam ea, quæ obſeruat Pariſienſium Archiepiſcopus de Marca loco ſæpiùs citato: *Planè caput inſtitutarum in Occidente Eccleſiarum Romanam Eccleſiam Innocentius vult haberi.* Additque, tantùm calculo Patriarchatus Romani deeſſe Illyricanæ Diœceſeos Eccleſias, quas tamen ſub Romano fuiſſe probat ex ipſius Innocentij epiſtola 12. ad Ruſum Theſſalonicenſem ſuum per Illyricum Vicarium, vbi profitetur ſeſe relationem ex Illyrico accepiſſe: *Aduerti Sedi Apoſtolicæ, ad quam relatio tanquam ad caput currebat &c.* Et ne vllum de Illyrico dubium ſuperſit, notanda ſunt, quæ habentur in Synodo Romana ſub Bonifacio II. anno Domini 531. in cauſâ Stephani Lariſſæ Theſſaliæ Metropolitæ.

7. Edidit hanc Synodum Lucas Holſtenius, qui in notis Concilij ita ſcripſit: *Stephanus Lariſſenſis Epiſcopus Theſſaliæ Metropolita legitimè, ac regulariter electus, & ordinatus, mox Probiani ſuffraganei ſui aliorumque improborum factione irregulariter Epiſcopatu priuatus ab Epiphanio Patriarcha Conſtantinopoli-*

*tano, Sedem Apoſtolicam appellat, & lugubrem calamitatum ſuarum hiſtoriam duobus libellis prætexens, reſtitui petit. In ſecundo verò illorum libellorum profitetur Stephanus Lariſſenſis, ſeſe recuſaſſe Sedis Conſtantinopolitanæ iudicium, eò quòd Apoſtolicam Sedem, id eſt veſtram beatitudinem cauſas noſtræ Prouinciæ & audire conuenit, & finire*. Plura addit, quibus probat, Theſſaliæ, & alias Illyrici Prouincias poteſtati Patriarchali Romanæ iuxta conſuetudinem antiquitùs obſeruatam, & canonibus firmatam, ſubiectas fuiſſe. Vnde ſeſſione 2. dixit ad Bonifacium 2. Theodoſius Echinenſis Ciuitatis Epiſcopus: *Ex relectione libellorum veſtra cognouit beatitudo, quæ acta ſunt contra ſanctos canones, & ordinationem Deceſſorum veſtrorum. Nam conſtat, venerandos Sedis veſtræ Pontifices, quamuis in toto mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi vindicet principatum, & ſolam Eccleſiaſticis in cauſis vndiq; appellare neceſſe ſit, ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vindicaſſe. Diligenter* (ſubdit in huius loci annotatione Lucas Holſtenius) *obſeruanda ſunt hæc verba. In his enim clariſſimè diſtinguitur duplex in Romano Pontifice poteſtas: prior vniuerſalis in omnem Eccleſiam iure ſupremi Primatus, & officio Paſtoris Oecumenicæ rei competens: altera conueniens eidem tamquam peculiari Patriarchæ totius Eccleſiæ Occidentalis, ad cuius Diœceſim Illyrici quoquè Eccleſiæ pertinerent*. Hæc Lucas Holſtenius in illo libro, quem poſt eius mortem edidit Eminentiſſimus Cardinalis Barbarinus, qui illum Alexandro Septimo nuncupauit, adiuncta ad eumdem præfatione, qua librum laudibus extollit, ſibique plurimùm placere innuit.

8. Idem probatur ex Imperatore Iuſtiniano, qui anno 541. quinque Patriarchas recenſens, primo loco meminit Patriarchæ Heſperiæ, ſeu Occidentis. Sic Nouella 109. de priuilegijs dotis hæretic. *Totius orbis terrarum Patriarchæ, ſcilicet Heſperiæ & Romæ, & huius Regiæ ciuitatis, & Alexandriæ, & Theopoleos, & Hieroſolymorum, & omnes, qui ſub eis conſtituti ſunt, ſanctiſſimi Epiſcopi Apoſtolicam prædicant fidem, atque traditionem*. Per Heſperiam, vt rectè animaduertit de Marca, malè intelligitur Italia, cum Iuſtinianus totum orbem Catholicum in quinque Patriarchatus partiatur, & orbis totius Epiſcopos ſub quinque Patriarchis conſtitutos dicat. Itaque cum Occidentales prouinciæ iuxta computum Iuſtiniani alicui debeant ſubeſſe, & nulli Patriarchæ Orientis ſubiectæ fuerint; conſequens eſt, per Heſperiam Occidentem ſignificari, cui congruit non ſolùm communis illius verbi vſurpatio, ſed & ipſa Iuſtiniani Scrimgeriana editio, quæ

Patriarchatum Romanum non diuidit in Heſperiam, & Romam, ſed vno membro complectitur legens: *Occidentalis Romæ*. Præclarum eſt hoc Iuſtiniani Imperatoris teſtimonium, præclara quoquè, quæ ex Synodo Romana ſub Bonifacio II. & Innocentio I. adduximus, quæ tamen omnia, vti & ſequentia teſtimonia inſigni aſtutia auctor libri de Diſciplina Eccleſiæ omiſit, quòd videret, ijs errorem ſuum de coarctata intra Suburbicarios limites Patriarchæ Romani poteſtate penitùs euerti. Dolendum tamen eſt, ſcriptores reperiri, qui malunt lectori ſuo illudere, quàm veritatem fateri.

9. Idem quoquè apparet ex Synodo Generali VI. actione 18. vbi petitur à Principe, vt acta Concilij tranſmittantur *quinque Patriarchalibus Sedibus*. Porrò ijſdem tranſmiſſa fuiſſe, colligitur ex ſubſequentibus. Nam acta Synodalia miſit Princeps quinque Patriarchalibus Sedibus hoc modo: *Apoſtolicæ Sedi ſancti, ac Principis Apoſtolorum Petri, nempè Agathoni ſanctiſſimo Papæ ſenioris Romæ; Sedi ſanctiſſimæ Catholicæ & Apoſtolicæ magnæ Eccleſiæ Conſtantinopoleos &c.* Quæ etiam confirmantur ab Agathone Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diacono in peroratione Synodi VI. vbi de actis: *Quin & quinque Patriarchalibus Sedibus tradita*. Ex quibus patet, Romanum Epiſcopum à quatuor Orientis Patriarchis tanquam Patriarcham Occidentis fuiſſe diſtinctum, idque vt per eum Synodus VI. in partibus Occidentis promulgaretur.

10. Deindè ex D. Ioanne Damaſceno, qui obijt circa annum 740. in oratione aduersùs impium Imperatorem Conſtantinum, vbi refellit eius contra ſacras imagines Conſtantinopolitanum Concilium, nec paſſus eſt haberi Oecumenicum. *Nam quæſo te*, inquit, *quis ei Patriarcharum inuentus eſt intereſſe? Romanus ire noluit &c.* Ecce primum Patriarcharum nuncupat Romanum, vtiq; Occidentis, & poſteà quinque Sedium Patriarchalium meminit. *Ea*, inquit, *Synodus ſit, cum quinque Sedes Patriarchales vnam ſanxerint fidem*. Similia colliguntur ex venerando Studiani Monaſterij Abbate Theodoro, qui epiſtola ad Leonem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Cancellarium dicit, Concilium conuocandum eſſe, cui ſi nolint intereſſe Patriarcharum Vicarij, ſtudendum eſſe, vt adſit Romani Patriarchæ Vicarius; & tunc alios quoquè comparituros: *Si fieri non poſſit, vt ab aliјs Patriarchis adſint Vicarij, quod certè fieri poteſt, ſi velit Imperator, Occidentalem intereſſe*. Vbi expreſsè magnus Theodorus Studita Romanum Epiſcopum dicit Patriarcham Occidentis.

11. Ex Synodo generali VIII. quæ quinque Sedium Patriarcha-

lium meminit, & artic. 6. ad Photiani ſchiſmatis Epiſcopos locutus eſt Baſilius Auguſtus: *Ecce audiſtis ſenſum Patriarcharum, tam Romani, quàm Hieroſolymitani; quid vobis videtur ad hæc?* Alia omitto, cum iam dicta ſufficienter firmentur canone 17. huius Synodi Octauæ, quo canon 6. Nicænus de Patriarchatus Occidentalis poteſtate explicatur: *Sancta & vniuerſalis Nicæna Synodus antiquam conſuetudinem iubet ſeruari per Aegyptum, & prouincias, quæ ſub ipſa ſunt, ita vt horum omnium Alexandrinus Epiſcopus habeat poteſtatem, dicens, quia & in Romanorum ciuitate huiuſmodi mos præualuit. Qua pro cauſa & hæc magna & ſancta Synodus tam in ſeniori, & noua Roma, quàm in Sede Antiochiæ, & Hieroſolymorum, priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſeruari, ita vt earum præſules vniuerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſo promouentur, & ſiue per manus impoſitionem, ſiue per pallij dationem Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem, videlicet ad conuocandum eos vrgente neceſſitate ad Synodalem conuentum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cùm fama eos ſuper quibuſdam delictis forſitan accuſauerit.* Ita canon 17. Synodi Generalis VIII. ex verſione Anaſtaſij Bibliothecarij, qui Synodo interfuit. Vnde non ſolùm colligitur, Romanum Epiſcopum fuiſſe Patriarcham totius Occidentis, cuius Metropolitæ ex Apoſtolico inſtituto ad Romani ordinationẽ ſpectabant, ſed inſuper 6. canonem Nicænum & locutum fuiſſe de poteſtate Patriarchali Romana in totum Occidentem, & de iure non tantùm ordinationis, ſed pleno Patriarchico in ſubiectos Epiſcopos, egiſſe, vt ſuprà ex ipſo D. de Marca oſtendimus. Licèt autem ſufficere potuiſſet auctoritas Concilij Generalis, cui, vt rectè ſcripſit Valeſius cap. 3. nefas eſt refragari, addo tamen Græcos canonum interpretes, & plurimos ex ipſis Schiſmaticis id ipſum clarè, & ingenuè profitentes.

12. Ex Zonara in expoſitione ſexti canonis Nicæni: *Antiquas conſuetudines, quod alijs quoquè poſterioribus canonum, legumque ciuilium decretis cautum eſt, retineri vult canon. Alexandrinum igitur Epiſcopum ijs, qui in Aegypto, Libya, & Pentapoli ſunt, præſidere iubet. Antiochenum ſubiectis ſibi Prouincijs, Syriæ nimirum, Cœleſyriæ, Ciliciæ vtrique, & Meſopotamiæ; & alios Epiſcopos ſuis quemque regionibus præeſſe: quemadmodùm & Eccleſiæ Romanæ Præſes in Occidentales Prouincias principatum antiqua conſuetudine obtinet.* Ita ex Græco habes apud Leonem Allatium lib. 1. de conſenſione Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ cap. 12. Zonaræ autem concinit Theodorus Balſa-

mon

mon in Photij Nomocanonẽ,ideſt quãdam canonum, & legum compilationẽ àPhotio Patriarcha Conſtantinopolitano compoſitam, vbi Balſamon ad canonem ſextum Nicænum ita adnotauit: *Sextus, & ſeptimus canon ſtatuunt, quatuor Patriarchas, videlicet Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, &c.* Errat Balſamon de Patriarcha Hieroſolymitano, qui per Nicęnum nullatenùs inſtitutus eſt; interim & illius, & Antiocheni, & Alexandrini Patriarcharum Prouincias longè & latè patentes (intra Orientis tamen terminos concluſas) enumerat, & ſubdit: *Quoniam & Romanus Epiſcopus præeſt Occidentalibus Prouincijs.* Ita Balſamon, qui poſt Zonaram præſtantiſſimus canonum interpres habetur apud Græcos.

13. Idem habent Schiſmatici Gręci ferè omnes apud Leonem Allatium libro 1. cap. 9. num. 3. vbi citat Barlaam Monachum de primatu Papæ cap. 11. *Iam verò ſolas Occidentales Eccleſias Papæ gubernationi à ſanctis Patribus fuiſſe commendatas &c.* Macarium Ancyranum contra Barlaamum & Acindynum: *Propter hoc itaque poſſumus cognoſcere, non omnes Epiſcopo Romano ſubijci, ſed tantùm Occidentales, exceptis ijs, qui in Africa ſunt.* Et Nilum Theſſalonicenſem de primatu Papæ, qui ex canone 6. Nicæno colligit, Romano Epiſcopo Occidentem ſubijci: *Quodque*, inquit, *Romano Epiſcopo hoc datum eſt, videlicet vt Occidentalibus præſit.* Schiſmatici ſunt, qui loquuntur, quibus etſi Romani Pontificis in totum Orbem primatus diſplicebat, & ideò certis Prouinciarum terminis eius iuriſdictionem circumſcribere fruſtrà conati ſunt; Patriarchalem tamen in Occidentis Prouincias dignitatem neutiquam reiecerunt, ſed Romano Epiſcopo totius OccidentisPatriarchatum vnanimi voce, & ſententia tribuendum eſſe duxerunt.

14. Citat quoquè Leo Allatius lib. 1. cap. 10. Nilum Archimandritam cognomento Doxapatrium tractatu de quinque thronis Patriarchalibus anno 1043. ad Rogerium SiciliçRegem tranſmiſſo, ex quo operæ pretium erit hìc Occidentalis Patriarchatus terminos adducere. Edidit poſt mortem Allatij hunc Doxapatrij librum græcolatinum in Sylloge variorum opuſculorum Stephanus le Moyne, & in eo ſcribit Doxapatrius, Europam, Occidentem ſcilicet, Romano Pontifici ceſſiſſe. Κατεῖχε μὲν οὖν ὁ Ρώμης πᾶσαν τὴν Εὐρώπην &c. *Poſſidebat itaque Romanus Europam vniuerſam*, inquit, *ad confinia vſque Mazorum, & Gallorum, Hiſpaniæ, Franciæ, & Illyrici vſque ad Gadira, & columnas Herculeas, Oceanum, qui in occaſum ſolis vergit, in quo ſunt demortuæ aquæ, & paludoſæ, & inſula propè fines Oceani*

*hominibus abundans, & eſt Chriſtianorũ vniuerſa multitudo, vſq; ad Rauennam, Longobardos, & Theſſalonicam, & Sclauos, Abaros, & Scythas, ad Danubium fluuium Eccleſiaſtica confinia extendit, & Macariam poſſidet, & partem regionum Occidentalium, partem Siciliæ, & Calabriæ, in quibus perflant venti ſeptemtrio, paræas, chobeus, zephyrus occidentalis, & libonotus; & totam plagam Occidentalem vſque ad Byzantium, & Inſulas omnes interiacentes, nempè Sardiniam, Siciliam, Cretam, Euboeam, & ipſam Maioricam, & Peloponeſum, & Helladem vniuerſam, & Prouincias, ac ciuitates omnes Europæ, necnon Hiſpaniam, & ſuperiores Alpes, & quæ vltra has extenduntur, & inſulas Britannicas vſque ad Occidentalem Oceanum, & Gadira, & Columnas Herculeas; necnon inferiores Gallias, quæ Italiæ ſunt, ſiue Lombardiam, quæ nunc dicitur Longibardia, & Apuliam, & Calabriam, & Campaniam omnem; item Prouinciam Byzaciæ, in qua eſt Carthago, & Mauritianiam, & Venetiam, & Prouincias, quæ vltra ſinum Hadriaticum ſeſe effundunt, nempe Pannoniam, & totum Illyricum, Macedoniam, & Thraciam, in qua eſt Byzantium, & quæ vltrà ſeſe extendunt, Regiones Occidentales. Hæc omnia Romano ſubdebantur.* Hucuſque Doxapatrius, qui Thraciam quoquè ſub Patriarchatu Romano collocat, quod ipſum tuetur Leo Allatius libro 1. cap. 10. num. 2. vbi putat antiquiſſimam eſſe Orbis Romani diuiſionem, in Africam, Aſiam, & Europam, & in tribus illis partibus inſtitutos fuiſſe tres Patriar-,, chas, vnde ſequi dicit ipſe, vt ,, Prouinciæ Thracica, & Pon-,, tica, & Aſiana Patriarchæ illi ,, ceſſerint, cui pars ea orbis, in ,, qua ipſæ erant, adſcripta fue-,, rat. Thracia ergò Europæ ter-,, minus, Occidentis quoquè ter-,, minus fuit. Et ſic probat ex ipſorum ſchiſmaticorum ſcriptis, Thraciam initio Eccleſiæ paruiſſe Romano Patriarchæ etiam ipſius Theodoſij ſenioris æuo, vt tradit in additionibus, & iterum confirmare ſtudet lib. 1. cap. 11.

15. At pace eruditi Allatij dictum ſit, Thracia paruit Romano Epiſcopo vt Pontifici, nunquam vt Patriarchæ. Diuiſionem orbis in Aſiam, Africam, & Europam aliquatenus ſecuti ſunt Apoſtoli. Orientis, & Occidentis meminerunt ſcriptores antiqui. Diœceſes quinque ſub Præfecto Prætorio paruiſſe, oſtendimus ſuprà; in Oriente, & Aegypto inſtitutos Patriarchas à Principe Apoſtolorum Petro; & in Aſia, Ponto, & Thracia Exarchos fuiſſe nulli Patriarchæ ſubiectos, ex varijs antiquitatis monimentis oſtendimus. Hinc Nicænum Concilium canone 6. poſt firmatas Sedes Patriarchales ſtatuit, *vt ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſijs.*

Hoc

Hoc enim non ſuppoſititius, ſed germanus canon ſecundus Concilij Generalis II. clariſſimè ſignificat, cui licèt derogare ſtuduerit Concilium Chalcedonenſe, dum canone 28. tres Autocephalos Primates Patriarchatui Conſtantinopolitano ſubiecit; contrà tamen, egit, & ſcripſit Leo Magnus, qui epiſtola 53. ad Anatolium conqueritur, quòd per ſupradictum canonem 28. *omnes Metropolitani Epiſcopi honore priuantur*. Et litteris ad Pulcheriam Auguſtam ſcribit id eſſe, *vt vnius creſcat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare primatus, quietiſque prouincijs, & olim ſanctæ Synodi moderatione diſpoſitis bellum nouæ perturbationis inferre*. Similia repetit epiſt. 54. ad Marcianum Auguſtum ſtatuens, *ne conuellantur Prouincialium iura Primatum, nec priuilegijs antiquitùs inſtitutis Metropolitani fraudentur Antiſtites*. Ex quibus omnibus manifeſtum fit, tres illos Thraciæ, Aſiæ, & Ponti Metropolitas fuiſſe Autocephalos Primates, neminique vt Patriarchæ ſubditos. Vnde & à Leone I. non arguuntur Patres Chalcedonenſes, quòd ſui, vel alterius cuiuſcumque Patriarchatus iura impugnata ſint, ſed aliorum dumtaxat Antiſtitum. Conſtat itaque Thraciam non fuiſſe ſub Romano Epiſcopo vt Patriarcha. Neque neceſſe eſt Patriarchatus terminos plus æquo extendere: ſuis contentus eſt Romanus Epiſcopus. In quo Latini, & Græci conueniunt.

16. Porrò ex præfatis Græcorum teſtimonijs apparet, virum eruditum Iacobum Sirmondum rectè ſcripſiſſe Diſſertatione 2. de Suburbicarijs cap. 3. ſe vltra Zonaram citare potuiſſe Balſamonem, & reliquos eiuſdem canonis „ Græcos interpretes, niſi ſuper„ uacaneum eſſet, cum omnes „ idem dicant, ſingulorum ver„ ba recenſere. Leonem verò „ Sapientem non præteribo, à „ quo hoc ampliùs diſcere potes, „ quod multorum quidem Pon„ tificum epiſtolæ declarant, ſed „ his tibi ægrum ſit perſuaderi, „ quàm latè ſuſa hæc, quam „ Romanæ Eccleſiæ fuiſſe dixi„ mus, Occidentis Diœceſis fue„ rit, vtque multas etiam Ma„ cedoniæ, Epiri, Achaiæ, Pe„ loponeſi Metropoles contine„ ret, quæ inde auulſæ ad Con„ ſtantinopolitanam poſteà Se„ dem tranſlatæ ſint. Sic enim „ ſcribit in Diatypoſi, ſeu No„ titia Epiſcoporum, qui Patri„ archę Conſtantinopolitano pa„ rebant. Auulſi à Diœceſi Ro„ mana, iamque throno Con„ ſtantinopolitano ſubiecti Me„ tropolitani, Theſſalonicenſis, „ Corinthius, Nicopolitanus, „ Athenienſis, & Patrenſis. Vi„ des (pergit contra Salmaſium „ Sirmondus) vt auulſas à Diœ„ ceſi Romana tot Prouincias „ non diſſimulet? In ea igitur „ anteà fuerant .... vt poſt tam „ il-

„ illuſtre documentum, quoad-„ uſque ſe per Orientis quoquè „ Imperium Diœceſis Romana „ porrexerit, obſcurum eſſe non „ poſſit. Vltra Occidentalis Imperij terminos Diœceſes Patriarchatus Romani ſeſe extendebant, eaſque omnes Hincmarus Metropolita Rhemenſis ſpecialem Pontificis Diœceſim appellat, vt eruditè probat Sirmondus, pro certò ſupponens, totum Occidentem ipſius Patriarchatui fuiſſe ſubiectum. Idque adeò notum orbi Catholico exiſtimat Galliarum ſplendor Perronius, vt capite 33. contra Angliæ Regem vrgeat: *Quis diſcipulus in ſcolis ignorat, Papam vltra dignitatem capitis Eccleſiæ obtinuiſſe Patriarchatum Occidentis? Neque ipſe Iacobus Angliæ Rex id negare potuit, cum in litteris, quas pro iuramento fidelitatis ad omnes Principes miſit, ſcripſerit: Scio, Patriarchas in Eccleſia primitiua extitiſſe, & inſtitutionem illam ordinis, & diſcriminis cauſa amplexor: ſed & inter illos de principatu magna contentione certatum eſt. Quod ſi in eo quæſito adhuc verteretur, meo lubens ſuffragio primum locum Epiſcopo Romano deferrem: ego Occidentalis Rex Occidentali Patriarchæ adhęrerem.* Atque hæc ſufficiant, vt ex ijs cognoſcere poſſit Decanus Londinenſis, pro Patriarchatu Occidentali facere complura antiquorum teſtimonia, neque ius Romani Patriarchæ ex vſu dumtaxat probatum à nobis fuiſſe, aut etiamnum probari, prout ipſe cenſendum proponit.

Perronius. Y a t'il ſi ſimple eſcolier, qui ne ſache, que le Pape laiſſant la qualitè de Chef de l'Egliſe à part, eſtoit Patriarche d'Occident? Iacobus VIII. Angliæ Rex.

# CAPVT QVARTVM.

## *Quòd Epiſcopus Romanus iura Patriarchalia per totum Occidentem exercuerit.*

*Quòd ius Patriarchicum præcipuè conſtet in ijs, vt Epiſcopos ſibi ſubditos ad Concilium euocet, ordinationes Epiſcoporum celebret, & de maioribus cauſis iudicium ferat. Quæ omnia Romano Epiſcopo competunt per Occidentem vniuerſum.*

ANtequàm oſtendamus, Romanum Epiſcopum iura Patriarchalia per totum Occidentem exercuiſſe, priùs aſſignanda ſunt ipſa iura Patriarchica ex canone 17. Synodi Generalis VIII. quo decernitur, vt tam in ſeniori, & noua Roma, quàm in alijs Sedibus Patriarchicis priſca conſuetudo in omnibus conſeruetur, ita ut earum præſules *primò vniuerſis ſibi ſubiectis Metropolitis ſiue per manus impoſitionem, ſiue per pallij dationem Epiſcopalis dignitatis firmitatem tribuant: ſecundò ad conuocandos eos vrgente neceſſitate ad Synodalem conuentum poteſtatem habeant; demùm*

de

*de maioribus cauſis, quales ſunt Metropolitanorum &c. iudicium ferant.* Vbi notanda contra Ioannem Launoium hæc canonis verba: *Priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſeruari.* His enim claré innuitur, ex veteri Eccleſiæ more laudata iura Patriarchis competere. Negat hoc quidem Launoius: ſed cum Generali Concilio ante 800. annos in Oriente celebrato, magìs de Eccleſiæ conſuetudine credendum ſit, quàm priuato Doctori, qui noſtro tempore in Gallia ſcripſit; tenendum eſt, ſemper hæc iura ab ipſis Eccleſiæ cunabulis ex Apoſtolico inſtituto Concilij Nicæni canone roborato cœpiſſe, Patriarchiſque fuiſſe contributa; vt rectè ad hunc canonem ſcripſerit Pariſienſium Archiepiſcopus de Marca lib. 1. cap. 6. §. 2. ius Patriarchæ in eo verſari: *Vt Epiſcopos ſibi ſubditos ad Concilium euocet, ordinationes Epiſcoporum celebret, & de maioribus cauſis iudicium ferat.* Singula iura à Patriarchis obſeruata fuiſſe, facilè ex ijs, quæ ſuperiori Diſſertatione dicta ſunt, colliguntur: reſtat vt oſtendamus, eadem iura à Romano Patriarcha per Occidentem vniuerſum executioni mandata fuiſſe, quod de tribus iuribus Patriarchicis, tribus ſequentibus articulis monſtrabimus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

### *De exercitio iuris Patriarchici Romani in ordinandis Occidentis Metropolitis, & firmandis ſuo iudicio Epiſcoporum electionibus.*

1. *Sanctum Petrum eiuſque ſucceſſores per totum Occidentem ius ordinationum exercuiſſe, probatur teſtimonio Innocentij Primi.*

2. *Non ſemper hoc ius per ſe vbique exercuiſſe, conſtat ex teſtimonio D. Cypriani, cui concinit canon 4. Nicæni Concilij.*

3. *Hinc tamen non ſequitur, quòd Patriarchæ Romano ius ipſum non competat, nam hoc ipſi vendicat Nicænum Concilium, & Innocentius Primus.*

4. *In Regionibus Suburbicarijs Epiſcopos Romanos ordinaſſe Antiſtites, nemo dubitat.*

5. *In reliquis Italiæ partibus nunc ordinationes Metropolitanorum gratioſè indulſiſſe, nunc iterum ſibi reſeruaſſe, probatur ex Eccleſijs Rauennatenſi, Mediolanenſi, & Aquileienſi.*

6. *In Diœceſi Illyricana à temporibus Siricij Papæ ordinationes commiſſas fuiſſe Theſſalonicenſium Metropolitis tanquam Sedis Apoſtolicæ per Illyricum Vicarijs, oſtenditurque ex Siricio, Bonifacio Primo, & Leone Magno.*

7. *Quandoque Romanos Pontifices, vt Salonitani Metropolitæ ordinatio Sedi Apoſtolicæ reſtitueretur, inſtitiſſe probatur ex Gregorio Magno, & Ioanne VIII.*

8. *Idem de Bulgaria ex Nicolao Primo, qui voluit, vt eius Metropolita pallium peteret à Sede Apoſtolica.*

9. *Præter Italos, & Illyricanos, complures Epiſcopos olim à Romanis Pontificibus conſecratos fuiſſe, ex libro Pontificali probatur.*

10. *De Britannia conſtat ex plurimorum teſtimonijs, & Gregorio Magno, ac Honorio Primo.*

11. *De Gallia habemus varia teſtimonia, & varia tempora, quibus nunc Metro-*

*politæ à ſuis ſuffraganeis ordinabantur, nunc pallia à Sede Apoſtolica petere debebant: quod vltimum ab Arelatenſi Epiſcopo à temporibus Gregorij Magni obſeruatum, & decreto Synodico ad omnes Galliarum metropolitas oſtendit Bonifacius Moguntinus.*

12. *Quid de Africa ſtatuendum ſit, variant periti. Poſito tamen, quòd Romanus Epiſcopus pro exercitio gratioſè indulſerit, tamen ius ſuum retinuiſſe, probatur ex Sancto Optato, cuius locum explicat Gabriel Albaſpineus.*

13. *Ex dictis adundè conſtat contra D. de Marca, Nicænum Concilium non tantùm egiſſe de ordinationibus intra Suburbicarias.*

14. *Conſtat enim ipſo de Marca fatente, Romanos Epiſcopos ius Patriarchicum per totum Occidentem obtinuiſſe.*

15. *Canon 6. Nicænus non agit de iuris exercitio, ſed potiùs de ipſo iure, & poteſtate Patriarchica, quæ parilis eſſe poterat inter Alexandrinum, & Romanum Patriarchas, licèt iuris exercitium non eodem omninò modo in vtriuſque Diœceſibus tempore Concilij Nicæni obtinuerit.*

16. *Quomodo autem ex iure Patriarchatus Romani deduci poſſit ipſum iuris exercitium pro Patriarchatu Alexandrino, contra Decanum Londinenſem oſtenditur.*

1. INitio naſcentis Eccleſiæ omnes Occidentis Epiſcopos à Principe Apoſtolorum Petro, eiuſque ſucceſſoribus fuiſſe inſtitutos, clarè teſtatur Innocentius Primus, modeſtiſſimus Eccleſiæ Pontifex epiſt. 1. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum. *Cum*, inquit, *ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam* (ſupple, vt ante monuimus, *Illyricum, Inſulaſque interiacentes*) *nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi aut quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes*. Nihil addi debet ad verba huius ſanctiſſimi Pontificis, cum apertè teſtetur, ordinationes totius Occidentis primùm à Sede Apoſtolica peractas fuiſſe. Quod bene obſeruandum eſt, cum ad ius Patriarchale acquirendum inſtitutio Eccleſiarum ſufficere antiquitùs diceretur, ſicque Sedes Alexandrina ius Patriarchale in Aethiopiam acquiſiuerit, quia teſte Rufino B. Athanaſius ad eam Frumentium Antiſtitem miſit, qui Aethiopiæ Eccleſias inſtituit; vt Diſſertatione de Patriarchali, & Metropolitica dignitate contra Decanum Londinenſem monſtrauimus.

2. Licèt autem ius ordinandi Epiſcopos ex inſtituto Apoſtolico per Occidentem vniuerſum Petrus exercuerit, ſuiſque in Sede Patriarchali ſucceſſoribus reliquerit; hinc tamen non ſequitur, illud ſemper per ſe ipſos exercuiſſe, cum de ſæculi tertij conſuetudine teſtetur D. Cyprianus lib. 1. epiſtola 4. *Diligenter de traditione diuina, & Apoſtolica obſeruatione ſeruandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoquè, & ferè per Prouincias vniuerſas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem Prouinciæ proximi quique conueniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente: quæ ſingulorum vitam pleniſſimè nouit, & vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini Col-*

gæ

*gæ noſtri ordinatione, vt de vniuerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum, qui in præſentia conuenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, iudicio Epiſcopatus ei daretur.* Dum Eccleſijs vbique per Imperij Prouincias inſtitutis primis Eccleſiæ temporibus ſub Imperatorum tyrannide incommodum nimis fuiſſet vndecunque ad Sedes Patriarchales pergere: datum eſt Metropolitis, vt cum ſuæ Prouinciæ Epiſcopis in defuncti locum eligerent ſucceſſorem, & tribus ſaltem præſentibus Epiſcopis, cæteris per ſcripta conſenſum præſtantibus, eius conſecrationem peragerent, vt ex priſca Eccleſiæ conſuetudine decernit ſacræ Nicænæ Synodi canon 4. *Epiſcopum conuenit maximè quidem ab omnibus, qui ſunt in Prouincia, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in id ipſum conuenientibus, & abſentibus quoquè pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum, quę geruntur, per vnamquamque Prouinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo.*

13. Hinc tamen ne inferas, nullam in ordinationibus Patriarchas ſibi retinuiſſe auctoritatem. Enimuerò canon 6. Nicænus agens de iure Patriarchico trium præcipuarum Sedium, & iure Autocephalico Primatum, addit: *Illud autem generaliter clarum eſt, quòd ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definiuit, Epiſcopum eſſe non oportere.* Ad quæ canonis verba rectè adnotauit Chriſtianus Lupus parte 1. non agi de Metropolitano vnius Prouinciæ, ſed integræ Diœceſis, quem poſteriora ſæcula Patriarcham vocarunt: cum enim canon 4. egiſſet de Metropolitis Prouinciæ; credendum non eſt, de eodem egiſſe canonem 6. nam idem fruſtrà ſecundò decreuiſſet. *Vnde*, inquit Lupus, *per Metropolitanum non iam, quomodo quartus canon intelligens vnius Prouinciæ, ſed totius Diœceſis Patriarcham, ſeu Primatem Autocephalum.* Idem contra Ioannem Launoium habet Henricus Valeſius cap. 2. *Cum* (inquiens) *poteſtas Metropolitanorum in capite illo 4. abundè ſtabilita eſſet, quid opus erat rurſus in 6. canone de Metropolitanis dicere? Prorſus inanis, ac ſuperflua eſſet hæc repetitio, quæ in viros tam graues cadere non poteſt. Præterea in hoc capite 6. agitur de Epiſcopis, qui regunt Diœceſim, non autem de his, qui regunt vnicam Prouinciam. Atqui Metropolitani vnam dumtaxat regunt Prouinciam, ſinguli etiam præſunt Epiſcopis ſuæ Prouinciæ; Patriarchæ verò Diœceſim, ideſt multas ſibi iunctas Prouincias adminiſtrant, & ſubiectos ſibi habent*

 mul-

*multos Metropolitanos. De his igitur intelligendus eſt hic canon, non de ſimplicibus Metropolitanis*. Et ne quiſquam putet, à nobis aliter canonem intelligi, quàm intellexit antiquitas; en Innocentium I. epiſt. 18. cap. 1. ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum: *Reuoluentes auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vnam omnium per Orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum ...... arbitramur, frater chariſſime, vt ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteros non ſine permiſſu, conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum rectè ſeruabis, vt longè poſitos litteris datis ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantùm ordinant arbitratu: vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tua gratiæ ſtatuas peruenire*. Dum tam ſolicitè canonis Nicæni obſeruationem vrget pro Patriarcha Antiocheno Innocentius I. quid pro ſuo Patriarchatu aut vigebat, aut vigere debebat, non obſcurè indicat.

4. In Regionibus Suburbicarijs Pontificem ordinaſſe cunctos Antiſtites, neminem puto negaturum, cum id pateat ex Cæleſtini epiſtola ad Epiſcopos per Apuliam, & Calabriam conſtitutos, in qua ſcribit: *Audiuimus quaſdam proprijs deſtitutas rectoribus Ciuitates Epiſcopos ſibi velle petere de laicis, tantumque faſtigium tam vile credere, vt hoc his, qui non Deo, ſed ſeculo militauerunt, æſtiment nos poſſe conferre; non ſolùm malè de ſuis clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, iudicantes, ſed de nobis peſſimè, quos credunt hoc poſſe facere, ſentientes*. Vbi clarè omnium Epiſcoporum per illas Prouincias conſtitutorum ordinationes ſibi aſſerit Cæleſtinus, vt rectè obſeruat de Marca lib. 1. capite 7. § 4. Idemque de alijs Regionibus Suburbicarijs ex eo probari poteſt, quòd omnibus illis Romanus Pontifex præerat tanquam Metropolitanus, ad quem ex inſtituto Apoſtolico certum eſt, ſpectaſſe Epiſcoporum ſuffraganeorum ordinationes. Extat quidem hac de re in libro Diurno per Garnerium edito caput peculiare ſub hoc titulo: *De ordinatione Epiſcopi Suburbicarij à ſummo Pontifice*. Sed, vt alibi monuimus, nulla Suburbicarij mentio reperitur apud Lucam Holſtenium, qui hunc dumtaxat titulum exhibet: *De electione, poſtulatione, & conſecratione Epiſcoporum*; qui verus titulus eſt, & in Garnerij exemplari deſiderabatur, vt ipſe fatetur in præfatione ad librum Diurni. Ab ipſo itaque Garnerio adiunctum eſt nomen *Suburbicarij*, quod nequaquam in exemplari ſuo reperiebatur, & ab eo proindè omitti poterat, præſertim cum pateat, extra Suburbicarias regiones à Romano Pontifice ordinatos fuiſſe Epiſcopos, vt ex dicendis conſtabit.

5. Ac

5. Ac primò patet id de Eccleſia Rauennatenſi, cui Leo Magnus Petrum Chryſologum præfecit. Vt enim narrat Hieronymus de Rubeis in hiſtoria Rauennatenſi lib. 2. ad ann. 432. *Rauennates cum Archiepiſcopum ab eis creatum Romam ad Xiſtum III. Pontificem, qui Cæleſtino ſucceſſerat, vnà cum Cornelio Fori Cornelij Epiſcopo, & legatis ſuis miſiſſent, vt confirmaretur electio, Xiſto ferunt per quietem Petrum Apoſtolum, atque Apollinarem ſe oſtendiſſe, qui medium adoleſcentem haberent, prædicerentque, illum Archiepiſcopum Rauennatem vt crearet, ab Rauennatibus electum non confirmaret. Quapropter cum poſtridie Rauennates adeſſent, primò reijcit, quem elegerant, & Petrum Chryſologum Cornelij diaconum cum illius ſimilem cognouiſſet Xiſtus, quem in ſomno viderat, Archiepiſcopum Rauennatibus præficit: Rauennatibus autem id ægrè ferentibus rem omnem aperit, vnde maxima reuerentia apud omnes Petro conflata eſt.* Hactenus de Rubeis, ex quibus clarum eſt, Romanum Pontificem ius ordinationum exercuiſſe extra Suburbicarios limites, Rauenna enim erat Prouinciæ Italiæ, & eius Epiſcopus ſub Valentiniano Imperatore Metropolita effectus à Romano Pontifice ordinabatur. Archiepiſcopo autem Rauennati poſteà ius Autocephaliæ vſurpanti tamdiù Romanus Pontifex obſtitit, donec iterum *ſe priſtinæ Sedi Apoſtolicæ ſubiugauit*, vt loquitur Anaſtaſius in vita Doni Pontificis, cui accedit Luitprandus in Dono: *Huius temporis Eccleſia Rauennæ, quæ priùs acephalicum caput contra Romanam Eccleſiam erexerat, denuò fracta ceruice ſuperbiæ, Apoſtolicæ Sedi humiliata ſubiacuit.* Et hanc poteſtatem Romano Epiſcopo competiiſſe in alias Italiæ Eccleſias, colligi poteſt ex teſtimonio Pelagij I. Papæ apud Gratianum de Mediolanenſi, & Aquileienſi Epiſcopis: *Mos antiquus fuit, vt quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apoſtolico illis oneroſum fuerit ordinari: ipſi ſe inuicem Mediolanenſis, & Aquileienſis ordinare Epiſcopos debuiſſent.* Ordinationem ad Sedem Apoſtolicam iure pertinuiſſe, lucidiùs teſtari non potuit Pelagius Papa poſt ſæculi ſexti medium. Quia tamen nimis oneroſum erat pro itineris difficultate Romam accedere, gratioſè indultum fuit, vt Aquileienſis, & Mediolanenſis ſe inuicem ordinarent; quod tamen poſteà mutatum fuit, conceſſo vt à ſuffraganeis conſecrarentur, accedente Sedis Apoſtolicæ conſenſu, vt patet ex D. Gregorio Magno lib. 7. indict. 2. epiſt. 30. & lib. 8. epiſtola 65. vbi ad Mediolanenſem populum, & clerum pro electo Deuſdedit Mediolanenſi Epiſcopo reſcribit: *Diuinitatis gratia ſuffragante eum præſentium ſcriptorum auctoritate ſolemniter decer-*

*cernimus ordinari*. Sic de Mediolanenſi, & Aquileienſi Metropolitanis Gregorius, de quo Ioannes diaconus in eius vita lib. 3. cap. 7. refert: *Si quando neceſſitas ordinandi Sacerdotis obrepſit, neque Cardinales Eccleſiæ ſuæ, neque Monachos Monaſterij ſui penitus excuſauit, quò minùs illis Eccleſiam regendam committeret, qui exemplis, & verbis pariter illam ædificare meliùs potuiſſent. Nam, vt pauca de multis contingam, ex presbyteris Cardinalibus Eccleſiæ ſuæ conſecrauit Epiſcopos, Bonifacium Rhegij, Habentium Perusij, & Donatum* * *Meſſanæ Siciliæ; ex ſubdiaconibus verò Glorioſum Hoſtiæ, Fauſtum Capuæ, Petrum Trecis, & Caſtorium Arimini: at verò ex Monachis Monaſterij ſui, Marinianum Rauennæ, Maximianum Syracuſis, & Sabinum Callipoli ordinauit*. Atque hæc quidem de ordinationibus Epiſcoporum Italiæ: nunc de cęterorum Occidentalium Epiſcoporum ordinationibus agendum eſt.

* al. Domnum.

6. Ac primò quidem de Illyrico, in quo quid ante Siricium Papam obſeruatum fuerit, non ita expreſſum habemus in antiquitatis monimentis. Videtur Romam de ordinationibus referri conſuetum, ſed pleriſque mendacijs actum fuiſſe; vnde Siricius Pontifex Anyſio Theſſalonicenſi Metropolitæ vices ſuas commiſit, vt patet ex epiſtola Sîricij ad Anyſium per Lucam Holſtennium publicata: *Etiam dudum frater chariſſime per Candidianum Epiſcopum, qui nos præceſſit ad Dominum, huiuſmodi litteras dederamus, vt nulla licentia eſſet ſine conſenſu tuo in Illyrico Epiſcopos ordinare præſumere: quæ vtrum ad te peruenerint, ſcire non potui; multa enim geſta ſunt illic per contentionem ab Epiſcopis in ordinationibus faciendis, quod tua meliùs caritas nouit*. Et infrà: *Ad omnem enim huiuſmodi audaciam comprimendam vigilare debet inſtantia tua, Spiritu in te ſancto feruente: vt vel ipſe, ſi potes, vel quos iudicaueris Epiſcopos idoneos, cum litteris dirigas, dato conſenſu, qui poſſit in eius locum, qui defunctus, vel depoſitus fuerit, Catholicum Epiſcopum vita & moribus probatum, ſecundùm Nicænæ Synodi ſtatuta, vel Eccleſiæ Romanæ clericum de clero meritum ordinare*. Cum vices ſuas Anyſio concedat Siricius, poteſtatem ſibi competiiſſe ordinandi Epiſcopos Illyricæ Diœceſis, præclarè indicat. Et hunc quoquè morem retinuiſſe ſucceſſores Romanos Pontifices, apparet ex Bonifacio I. epiſtola ad vniuerſos Epiſcopos per Theſſaliam conſtitutos: *Epiſcopos per Illyricum citra conſcientiam Epiſcopi noſtri Rufi nullus ordinare præſumat*. Et rurſus in alia epiſtola ad Rufum, & cæteros Epiſcopos per Illyricum: *Nullus, vt frequenter dixi, alicuius ordinationem citra eius conſcien-*

ſcien-

*ſcientiam celebrare præſumat: cui, vt ſuprà dictum eſt, vice noſtra cuncta committimus.* Ex quibus patet, Rufum poſt Anyſium fuiſſe Theſſalonicenſem Metropolitam, & S. Bonifacij Primi per Illyricum Vicarium, cui ius ſuum commiſerat Pontifex pro ordinandis Epiſcopis. Ius igitur ordinandi Illyrici Epiſcopos Romanus Pontifex primùm habebat; cum enim nemo dare poſſit, quod non habet, quomodo ius ſuum Theſſalonicenſi Epiſcopo conceſſiſſet Bonifacius, ſi nullum ipſe habuiſſet? Poſt Bonifacium ſanè extat teſtimonium luculentiſſimũ in epiſtola Leonis Primi ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum circa Eccleſiarum regimen per Illyricum: *Quas*, inquit, *dilectioni tuæ vice noſtra committimus, beatæ recordationis Siricij exemplum ſecuti, qui ſanctæ memoriæ Anyſio prædeceſſori tuo, bene de Apoſtolica Sede tunc merito, & rebus poſt ſequentibus approbato certa tum primùm ratione commiſit.* Vnde & infrà: *Nullus te inconſulto per illas Eccleſias ordinetur Antiſtes: ita enim fiet, vt ſint de eligendis matura iudicia, dum tuæ dilectionis examinatio formidetur. Quiſquis verò de Metropolitanis Epiſcopis contra noſtram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam ſibi apud nos ſtatus ſui eſſe nouerit firmitatem, eoſque vſurpationis ſuæ rationem, qui hoc præſumpſerint, reddituros. Singulis autem Metropolitanis ſicut poteſtas iſta committitur, vt in ſuis Prouincijs ius habeant ordinandi, ita eos Metropolianos à te volumus ordinari, maturo tamen & decocto iudicio.* Refertur epiſtola apud Lucam Holſtenium in Collectione Romana parte prima, ex qua ne quiſquam inferat, à Leone ſolam Metropolitanorum ordinationem Vicario ſuo fuiſſe reſeruatam, ad aliorum quoquè Epiſcoporum Prouincialium ordinationes Vicarij ſui conſenſum requiſiuit, vt patet ex epiſtola Leonis 84. capite 6. ad eundem Anaſtaſium: *De perſona autem Epiſcopi conſecrandi, & de clerici plebiſque conſenſu Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Prouincia bene placuit, ſcire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam tua quoquè firmet auctoritas.* Et apud Lucam Holſtenium epiſtola 25. ad Epiſcopos Metropolitanos Illyrici: *Vt verò veſtræ dilectioni Prouincię ſuę ordinatio permittitur Sacerdotum; ita fratrem, & Coëpiſcopum noſtrum Anaſtaſium de ordinando Antiſtite volumus, conſulatis, cui Metropolitani Epiſcopi conſecrationem ſtatuimus reſeruari.* Cum nemo ſit, qui dubitet, Sanctum Leonem Papam, vt tenaciſſimum canonum obſeruatorem, hæc omnia conformiter ad canones ſtatuiſſe; dicendum inprimis, cum ex canone 6. Nicæno auctoritatem Patriarchalem in

or-

ordinationibus ſibi competentem Vicario ſuo per Illyricum contuliſſe ita, vt non immeritò Chriſtianus Lupus parte prima ad canonem 6. Nicænum relato Leonis Primi teſtimonio, ſubiunxerit: *Propter nimiam ab Vrbe diſtantiam, in Prouincijs illis vices ſuas Epiſcopo Theſſalonicenſi commiſerat Sedes Apoſtolica, ideòque ab illo non tantùm Metropolitanorum, ſed & Prouincialium Epiſcoporum præuiam confirmationem iubebat peti virtute canonis præſentis, ſexti nimirum Nicæni.*

7. Temporis ſucceſſu Pontifices Romanos totam hanc authoritatem non reliquiſſe Vicario per Illyricum conſtituto, licet colligere ex libri 4. epiſtola 9. Diui Gregorij Magni ad vniuerſos Epiſcopos Illyricanos, vbi ad relationem de electione Ioannis Epiſcopi omnium Epiſcoporum conſenſu peracta ſcripſit: *Proinde iuxta poſtulationis veſtræ deſiderium prædictum fratrem, & Coëpiſcopum noſtrum in eo, in quo eſt Sacerdotij ordine conſtitutus, noſtri aſſenſus auctoritate firmamus.* Sanè libro 3. epiſt. 16. ad vniuerſos Epiſcopos per Dalmatiam conſtitutos monuerat, ſeſe Salonitani Epiſcopi ordinationem Sedis Apoſtolicæ iudicio reſeruaſſe: *Præcipimus, vt nulli penitus extra conſenſum. permiſſionemque noſtram, quantum ad Epiſcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana Ciuitate manus præſumatis imponere: nec quemquam in Ciuitate aliter, quàm diximus, ordinare.* Vnde cum Leo Iſaurus Diœceſim Illyricanam Romano Patriarchæ violenter ſubtractam, ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum tranſtuliſſet, ad Clerum, & Prouinciales Dalmatiæ Epiſcopos ſcripſit Ioannes VIII. epiſtola 190. *Monemus atque hortamur, vt ad gremium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ redire ouanter attendatis, & electus à vobis canonicè Archiepiſcopus ad nos veniens gratiam Epiſcopalis conſecrationis, ſacrumque pallium à nobis more priſtino incunctanter percipiat ..... Quod ſi fortè ad Sedem Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ redire, & inde ſecundùm antiquam normam Epiſcopalem conſecrationem, ſacrumque pallium recipere contempſeritis, omni Eccleſiaſtica vos communione ſcitote penitus excommunicandos.*

8. Plurima quoquè pro reſtitutione Bulgariæ ante Ioannem VIII. eodem ſæculo nono egerat Nicolaus Primus, qui epiſtola 71. capite 73. ſcripſit ad Bulgaros: *Vos ſiuè Patriarcham, ſiue Archiepiſcopum, ſiue Epiſcopum, vobis ordinari poſtuletis, à nemine nunc velle congruentiùs, quàm à Pontifice Sedis B. Petri, à quo & Epiſcopatus, & Apoſtolatus ſumpſit initium, hunc ordinari valetis. In quo hic eſt ordo ſeruandus, vt videlicet à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſit nunc vobis Epiſcopus conſecrandus, qui, ſi Chriſti*

*ſti plebs ipſo præſtante creſcit, Archiepiſcopatus priuilegia per nos accipiat, & ita demũ Epiſcopos ſibi conſtituat, qui ei decedenti ſucceſſorem eligant: & propter itineris longitudinẽ non iam huc conſecrãdus qui electus eſt veniat, ſed hunc Epiſcopi, qui ab obeunte Archiepiſcopo conſecrati ſunt, ſimul congregati conſtituant: ſanè interim in throno non ſedentem, & præter corpus Chriſti non conſecrantem, priuſquàm pallium à Sede Romana percipiat, ſicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiſcopi ,, agere comprobantur*. Bulga- ,, ricum Regnum (ſubdit Chri- ,, ſtianus Lupus parte 5.) erat Il- ,, lyrici pars Patriarchica Diœ- ,, ceſis Romani Pontificis. Hinc ,, eius cum Epiſcopis futurum ,, Archiepiſcopum Nicolaus aſ- ,, ſerit ſpectare ad ſuam conſecra- ,, tionem, & tamen propter iti- ,, neris diſtantiam dat eis iſtud ,, ipſum priuilegium, quod ha- ,, bebant Gallicani, Germani, ,, ac aliarum ad Romanum Pa- ,, triarchatum ſpectantium Diœ- ,, ceſim Metropolitæ ac Epiſco- ,, pi, vt à ſe mutuò conſecren- ,, tur. Addo tamen, in recognitionem Patriarchatus Romani pallium ab eo ſuſcipere debuiſſe, antequàm poteſtate Epiſcopali fungerentur.

9. Quoſnam Epiſcopos Romani Pontifices extra Italiam, & Illyricum primis Eccleſiæ ſæculis crearint, defectu monimentorum haud facilè inuenitur. Refert tamen Innocentius Primus, qui initio quinti ſæculi ſedit, neminem præter Romanos Pontifices in Africa, Hiſpania, Gallia, & Britannia inſtituiſſe Epiſcopos: id quod procul dubio indicatur in antiquiſſimis Catalogis, quorum verba in Pontificali referuntur. Atque in primis de Clemente quarto Romano Pontifice: *Fecit Epiſcopos per diuerſa loca quindecim*. De Teleſphoro iuxta antiquiſſimi Codicis Florentini lectionem: *Fecit Epiſcopos per diuerſa loca tredecim*. Et vt cæteros, qui tempore perſecutionis ſederunt, omittam, de Syluestro: *Fecit Epiſcopos per diuerſa loca ſexaginta quinque*; vel vt habet lectio vulgata, *ſeptuaginta quinque*. Et de Marco: *Epiſcopos per diuerſa loca viginti ſeptem*. Et de Damaſo: *Epiſcopos per diuerſa loca ſexaginta duos*. Et de Siricio: *Epiſcopos per diuerſa loca vndecim*. Hæc auctor libri Pontificalis de Pontificibus, qui præceſſerunt Innocentium Primum, de quo ſubiungit, cum quatuor ordinationibus *feciſſe Epiſcopos per diuerſa loca quinquaginta quatuor*. Sic Innocentius, quando ſcribit de Epiſcoporum Occidentaliũ inſtitutione, non modò loquitur tanquam de re à prædeceſſoribus ſuis obſeruata, ſed etiam teſtatus eſt tanquam de re à ſe exercitata. Vix enim credibile eſt, tot Epiſcoporum Sedes in ſolis Vrbicarijs Regionibus, aut Italiæ Diœce-

receſſi; tempore vnius Pontificis vacaſſe, quot ab aliquibus Pontificibus feruntur creati Epiſcopi; multòque veriſimilius eſt, etiam inter cæteros Epiſcopos fuiſſe ſæpiùs aliquos pro cæteris Occidentis Diœceſibus ordinatos; vt ordinatos fuiſſe, quando regiones, quæ ad fidem redibant, aut conuertebantur, Epiſcopis indigebant, ex ſequentibus conſtabit.

10. Et de Britannia quidem, prout Hiberniam, & Scotiam complectitur; præclarum habemus teſtimonium D. Proſperi in Chronico, vbi ſub Conſulibus Baſſo & Antiocho refert: *Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur à Papa Cæleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur*. Et poſt S. Proſperum Venerabilis Beda libro 1. hiſtoriæ gentis Anglorum cap. 13. *Palladius ad Scotos in Chriſtum credentes à Pontifice Romanæ Eccleſiæ Cæleſtino primus mittitur Epiſcopus*. Adiungit verò Marianus Scotus lib. 2. ætate 6. ad ann. 432. *Poſt ipſum Palladium ſanctus Patritius fuit genere Brito, à ſancto Cæleſtino Papa conſecratus, & ad Archiepiſcopatum Hibernenſem mittitur: vbi per annos quadraginta ſignis, atque mirabilibus prædicans totam inſulam Hiberniam conuertit ad fidem*. Ex his omnibus teſtimonijs manifeſtum eſt, Romanos Pontifices ordinationes Anglorum Epiſcoporũ ſibi vindicaſſe, quamuis non ſemper Epiſcopos in illa Inſula per ſe crearint, ſed ordinationem alijs vice ſua commiſerint, vt Gregorius Magnus commiſit Auguſtino, quem Epiſcopum creari præcepit, Anglis vice ſua præfecir, iubens vt inſtitueret duos in Eboracenſi & Londonienſi Ciuitatibus Metropolitas, qui ſinguli duodecim haberent ſuffraganeos Epiſcopos: *Quatenus* (inquit) *Londinenſis Epiſcopus Ciuitatis ſemper impoſterum à Synodo propria debeat conſecrari, atque honoris pallium ab hac ſancta, & Apoſtolica, cui auctore Deo deſeruio, Sede percipiat*. Et priuilegium quoque Gregorij innouans Honorius I. epiſtola ad Honorium Cantuarienſem, & Paulinum Epiſcopum Eboracenſem, addit rationem: *Quia vt hæc vobis concederemus, longa terrarum, mariſque interualla, quæ inter nos & vos obſiſtunt, ad hoc nos condeſcendere coëgerunt, vt nulla poſſit Eccleſiarum veſtrarum iactura per cuiuſlibet occaſionis obtentum quoquo modo prouenire, ſed potiùs cõmiſſi vobis populi deuotionem poſſitis pleniùs propagare*. Has litteras ſuæ Anglorum hiſtoriæ inſeruit Venerabilis Beda, & commentatur lib. 2. cap. 10. *Nec ſit neceſſe ad Romanam vſque Ciuitatem per tam prolixa terrarum, & maris ſpatia pro ordinando ſemper Archiepiſcopo fatigari*. Ex quo Bedæ teſtimonio colligi poteſt, non eſſe noſtrum inuentum, ſed antiquæ Eccleſiæ documentis innixum, quòd Romanus Pontifex ideò in ple-

pleriſque regionibus, ac præſertim in Anglia ius ordinationum non ſemper exercuerit, quia gratioſè illius Inſulæ Eccleſijs ob itineris longitudinem indulſerat, vt Metropolitani eius poſſent à ſe inuicem ordinari.

11. Pro Gallia quidem habemus teſtimonium Leonis Primi epiſtola 89. cap. 6. ad Viennenſis Prouinciæ Epiſcopos, teſtantis contra Hilarij obiectionem: *Non nobis ordinationes veſtrarum prouinciarum defendimus*. Ex eo tamen concludi nequit, Galliam quoad Epiſcoporum ordinationem non pertinuiſſe ad Pontificem. Enimuerò aliud eſt vſus iuris, aliud ius ipſum per ſe alicui competens: nam vſus poteſt alijs committi retento iure, vt omnes norunt. Hinc licèt gratioſè indultum fuiſſet Galliæ, vt ipſius Epiſcopi à Metropolitano, & Metropolitani à ſuis ſuffraganeis ordinarentur; tamen non ſequeretur, ius illud non competijſſe Romano Pontifici. Scimus, Marcianum Arelatenſem Metropolitam ad inſtantiam D. Cypriani, & aliorum Epiſcoporum Galliæ à Stephano Papa deponi, & in locum ipſius alium ordinari iuſſum, quod ius ordinationum in Gallijs non obſcurè innuit. *Dirigantur* (inquit D. Cyprianus in epiſtola ad ſanctum Stephanum) *à te litteræ, quibus abſtento Marciano alius eius in locum ſubſtituatur*. De Dionyſio primo Pariſiorum Epiſcopo, alijſque habet Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſtoriæ Francorum, eos tempore Sixti Pontificis in Gallias miſſos fuiſſe. *Huius tempore*, inquit, *ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis ſancti martyris Saturnini denarrat. Ait enim: Sub Decio, & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum, ac ſummum Tholoſana Ciuitas ſanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt; Turonicis Gratianus Epiſcopus, Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus: Aruernis Stremonius Epiſcopus, Lemouicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus*. De his autem alibi ſcribit idem Gregorius, eos à Romano Epiſcopo miſſos fuiſſe, vti etiam ſcribit Vſuardus in Martyrologio ad ſeptimum Idus Octobris, vbi de Dionyſio: *Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratia directus*. Et ad Kalendas Octobris: *Ciuitate Tornaco ſancti Piatonis presbyteri & martyris, qui cum beato Dionyſio Epiſcopo, eiuſque ſocijs ab Vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetijt*. Omitto plura alia antiquorum teſtimonia, vnumque dumtaxat Hincmari Remenſis adiungam, qui opuſculo 53. capitum cap. 16. affirmat: *Poſtquàm B. Sixtus à Sixto Romanæ Sedis Pontifice primus ad Rhemenſem Metropolim fuit directus*. Hæc de primo Metropolis Rhemenſis

Epiſcopo Hincmarus, cuius tempore iam mos inualuerat, vt Metropolitanus Rhemenſis palliū ab Apoſtolica Sede reciperet, ſicut & diù ante acceperat Metropolitanus Arelatenſis, vt patet ex varijs Gregorij Magni epiſtolis. Conſuetudinem verò Arelatenſis Eccleſiæ Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus & martyr anno 742. in Synodo Galliæ à ſe coacta, & ad omnes Metropolitas extendit, vt patet ex epiſtola 105. S. Bonifacij ad Cudbertum, vbi ſcribit, in Synodali conuentu ſtatutum eſſe: *Vt Metropolitani pallia ab illa Sede* (nimirùm Apoſtolica Romana) *quærerent*. Quicquid autem Zacharias Pontifex anno 744. apud Bonifacium de Francorum hac in re mutatione conqueratur, tempore tamen Caroli Magni Francorum Regis receptus fuit pallij vſus, vt patet ex Capitularis VI. tit. 8. Vnde Nicolaus I. epiſtola 7. ad Bulgaros ſcribit, vt eorum Archiepiſcopi pallium à Sede Romana percipere debeant, *ſicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiſcopi agere comprobantur*. Hanc verò conſuetudinem Synodus Generalis VIII. can. 17. comprobauit, quo, vt obſeruat de Marca lib. 6. capite 7. §. 9. ſtatutum fuit, neceſſe eſſe, ad hoc vt Metropolitanus eſſe poſſit in poſſeſſione integra iuris Metropolitici, quòd aut à Patriarcha ſit conſecratus, aut pallium ab eo acceperit. Verba canonis ſunt: *Priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſeruari, ita vt earum præſules vniuerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promouentur, & ſiue per manus impoſitionem, ſiue per pallij dationem Epiſcoporum dignitatis firmitatem accipiunt &c.*

12. De Africæ conſuetudine pro Epiſcoporum ordinatione ab initio ſeruata, non eadem eſt opinio doctorum. Putat enim Lucas Holſtenius in annotationibus pagina 265. ſine conſenſu Vicarij Apoſtolici Epiſcopos in Africa ordinari non potuiſſe, vti diximus in Illyrico obſeruatum. Chriſtianus Lupus parte 1. ad canonem 6. Nicænum exiſtimat, non licuiſſe ordinare in Africa Epiſcopos, niſi accedente conſenſu Sedis Apoſtolicæ, adducitque hic Siricij Papæ pro Africa decretum: *Extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt primatus, nullus audeat ordinare*. Dicit itaque Lupus, *Carthaginenſis primatus ambitum hoc decreto Siricij fuiſſe correctum; Siricij enim verba ſignificant, autocephalicum Africæ primatem nullum eſſe niſi Romanum Epiſcopum, ideoque ſine eius licentia non poſſe iſtic Epiſcopos creari*. Hæc Lupus, cuius ſententiam prudentis lectoris iudicio relinquemus, cum ſufficiat ex Tertulliano adnotare, à Sede Apoſtolica miſſos fuiſſe, qui Africanam Eccleſiam primùm inſtituerunt, ideòque Romanam Eccleſiam à D. Cypriano *Matricem* vocatam fuiſſe, iureque ſuo, quod Romanus

nus Pontifex in ordinandis Africanis Epiſcopis obtinebat, tempore Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi non immeritò vti voluiſſe. Cum enim Cæcilianus Carthaginenſis Epiſcopus poſt Melchiadis Papæ iudicium Brixiæ manſiſſet, neque Carthaginem ob Donatiſtarum furorem reuerti potuiſſet; *tunc*, inquit S. Optatus Mileuitanus libro 1. contra Parmenianum, *duo Epiſcopi ad Africam miſſi ſunt, Eunomius & Olympius, vt remotis duobus vnum ordinarent. Veneruntque Carthaginem, fuerunt per* 40. *dies, vt pronuntiarent, vbi eſſet Catholica. Hoc ſeditioſa pars Donati fieri non eſt paſſa*. Ad quæ verba Gabriel Albaſpineus Aurelianenſis Epiſcopus: *Neceſſe eſt fateri, hos duos Epiſcopos Eunomium & Olympium à ſummo Pontifice fuiſſe miſſos, alioqui poteſtatem non habuiſſent alium in Africa ordinandi. Sed nota, quemadmodùm ordinatio in alijs prouincijs, & longè diſſitis poteſt celebrari à ſummo Pontifice*.

13. Porrò quamuis ex dictis ſufficienter conſtet, Romanum Pontificem quoad Epiſcoporum ordinationem ius Patriarchale per Occidentem vniuerſum obtinuiſſe; quædam tamen ex libro quarto Pariſienſium Archiepiſcopi circa interpretationem canonis ſexti „ Nicęni ſunt obſeruanda: Poteſt „ tentari (inquit de Marca) ex „ ijs, quæ dicta ſunt, ordinatio„ nem omnium Metropolitano„ rum Occidentis pertinere ad „ Romanum Pontificem, cum „ præſertim Epiſcoporum Ale„ xandriæ & Antiochiæ aucto„ ritatem Nicæna Synodus con„ ſtituat ad exemplum Epiſcopi „ Vrbis Romæ. Equidem id ne„ ceſſariò conſequitur ex ijs, quę „ dicta ſunt; ſed ita tamen, vt au„ ctoritas illa ordinandorum „ Metropolitanorum coërceatur „ intra limites Synodi Patriar„ chalis ordinariæ Epiſcopi Ro„ mani, id eſt de Metropolita„ nis tantùm accipiatur, qui Di„ œceſis Vrbicariæ finibus con„ tinentur. Legit hæc verba Chriſtianus Lupus, & parte 5. diſſertatione de Romani Epiſcopi conſecratione cap. 5. reſpondet: „ Vtinam à nemine hucuſque „ ſic fuiſſet erratum, & hic de„ nuò eſt primus Domini Ar„ chiepiſcopi error. Hos enim „ pleroſque errores iam dudum „ anteà docuit, & propter ipſos „ ab Octaua Synodo notari me„ ruit Hincmarus Metropolita „ Rhemenſis. Et infrà: Error „ eſt, quòd iſtæ ſolæ Prouinciæ „ (Suburbicariæ) ſine Eccleſia„ ſticis Metropolitis ciuiles Pro„ uinciæ fuerint proprius & to„ tius Romanæ Eccleſiæ Patri„ archatus. O miſerandum, & „ nominalem ſine Metropolitis „ Patriarchã! Omnia, quę Hinc„ marus aduerſùm Anſegiſi Se„ nonenſis Epiſcopi Apoſtolicas „ in Gallia vices, & aduerſùm „ Romanas inferioris præſertim

,, cleri appellationes pro Metro-
,, politarum iure ſcripſit, eò ten-
,, dunt, vt quiſque Gallicanus
,, Metropolita ſit autocephalus
,, ſuæ Prouinciæ Primas, nulli
,, ſubiectus Patriarchæ aut Exar-
,, cho. Eſt Rauennatum Metro-
,, politarum antiqua ſuperbia,
,, damnatiſſima apud omnes Ec-
,, cleſias. Hæc & plura doctor Louanienſis contra Pariſienſem Archiepiſcopum.

14. Interim ad Dominum de Marca reſponderi poteſt ex ijs, quæ ipſe ſcripſit de Patriarchatu Romano Occidentis; lucidè enim euertunt opinionem, qua poteſtatem Patriarchalem intra terminos Regionum Suburbicariarum coërcet. Negari namque nequit illud Lupi parte 5. ad canon. 17. quinti Romani ſub Gregorio VII. Concilij: *Omnes & Metropolitarum, & Prouincialium Epiſcoporum conſecrationes ex Apoſtolico canone ſpectant ad Patriarcham.* Hinc enim anno 325. Primum Generale Concilium adiudicat canone 6. poteſtatem ordinandi Epiſcopos per Libyam, Aegyptum, & Pentapolim Patriarchæ Alexandrino, prout latiùs explicauimus Diſſertatione præcedente. Cum verò Epiſcopus Romanus, approbante & plurimis confirmante de Marca, ſit totius Occidentis Patriarcha; qua ratione, quo fundamento negauit, authoritatem ordinandi Metropolitanos in Occidente ipſi ex Patrichatus iure competere? Neque ſanè facit ad opinionem Dominũ de Marca, quòd Romanus Epiſcopus non ſemper iure illo per Occidentis Prouincias vſus ſit: hoc enim non requiritur ad rectã intelligentiam canonis Nicæni, vt communiter errarunt hucuſque periti. Enimuerò canon agit non tam de vſu poteſtatis Patriarchicæ, quàm de iure, vel de poteſtate ipſa Patriarchali: *Antiquæ*, inquit, *conſuetudo ſeruetur per Aegyptum, Libyam, & Pentapolim: ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt.* πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν *Horum omnium habeat poteſtatem*, inquit canon, non *poteſtatis exercitium*. Adeo vt ſenſus canonis ſit: Vi Patriarchatus habet Romanus Epiſcopus in totius Occidentis Prouincias poteſtatem; cum verò Alexandrinus Patriarchatus à Sancto Marco Petri diſcipulo ad normam Romani ſit inſtitutus, Alexandrinus quoquè Epiſcopus in totius Aegypti Prouincias habere debet poteſtatem. Qui ſenſus planus eſt, nec vlli difficultati obnoxius. Aliàs profectò, ſi canonem intelligas tãtùm de iuris exercitio, cum Romanus Epiſcopus aliqua gratioſè indulſerit, neque eodem planè modo ius Patriarchicum per ſuam Diœceſim exercuerit, parilis mos neceſſariò deficit, quem Concilium Nicænum inter Alexandrinum, & Romanum conſtituit.

15. At-

15. Atque hic etiam eſt ſenſus canonis ſexti Nicæni, licèt ponamus illum de iure ordinationū contra Meletianos potiſſimùm agere; vt vel ex eo conſtat, quòd aliàs Meletiani excipere potuiſſent contra Patriarcham Alexandrinū, nullatenùs ſequi, eum in totam Diœceſim Aegypti ius ordinationum exercere potuiſſe, quia Romanus Epiſcopus intra Suburbicarias regiones Epiſcopos ordinabat. Suburbicariæ enim regiones non conſtituebant, niſi vnam Prouinciam Eccleſiaſticam, cui Romanus Epiſcopus tanquam Metropolita præerat: Aegypti verò Diœceſis plures prouincias Eccleſiaſticas complectebatur, quibus Alexandrinus vt Patriarcha præſidebat. Vt igitur parilitas à Nicæno Concilio indicata locum haberet, nihil aliud ab Alexandrino Epiſcopo vi canonis Nicæni prætendi potuiſſet, quàm ius ordinationum in propriam Prouinciam, cui tanquam Metropolitanus præpoſitus erat, ſicque Meletio, & eius ſequacibus cauſa datafuiſſet excipiendi contra Patriarcham Alexandrinum. Si enim Romanus Epiſcopus in nullum Metropolitanum iuriſdictionem exercebat, nec Alexandrinus authoritatem habuiſſet in Metropolitanos Aegypti, inter quos Meletius vnus erat, vt ex Diuo Athanaſio, & S. Epiphanio alibi oſtendimus. Atque hæc ſufficiant contra Petrum de Marca, qui ex proprijs principijs egregiè refellitur.

16. Agnouit hoc Decanus Londinenſis in libro de Originibus Britannicis, qui fatetur valere argumentum pro exercitio iuris Patriarchici in totum Occidentem, quod ex iure Patriarchali in totum Occidentem deſumitur. *Valet hoc argumentum*, inquit, *contra de Marca, qui Romanum Epiſcopum totius Occidentis Patriarcham eſſe agnoſcit; at non valet contra eos, qui eum Patriarcham Occidentis eſſe negant*. Putat proinde, me nihil effeciſſe hoc loco contra ipſum, quaſi non monſtraſſem ex pluribus antiquorum teſtimonijs, Romanum Epiſcopum toto Occidente Epiſcopos ordinaſſe, adeoque ius ſuum Patriarchale exercuiſſe. Quid enim aliud oſtendimus ex Innocentio Primo, quàm primos Italiæ, Galliarum, Hiſpaniæ, Africæ, Siciliæ, & Inſularum interiacentium Epiſcopos ab Apoſtolorum Principe Petro, aut eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus fuiſſe ordinatos? Quid aliud monſtrauimus ex D. Proſperi, aliorumque veterum teſtimonijs, quàm nouos Epiſcopos à Romano Pontifice pro Hibernia, Scotia, & Anglia creatos fuiſſe, cum regiones illæ, quæ à fide defecerant, rurſus in ea inſtitui petebant? Atqui hæc ſufficiebant, vt ius Patriarchicum obtineret Romanus Epiſcopus in Occidentis Prouincias, vt patet ex antiquo Eccleſiarum more, quo Patriarchæ in Prouincias ius acquirebant, qui primos in eas Epiſco-

ſco-

ſcopos miſerant. Id in Diſſertatione contra Decanum Londinenſem oſtendimus exemplo Athanaſij, qui cum Frumentium teſte Ruffino primum Aethiopiæ Epiſcopum ordinaſſet, Aethiopiam Patriarchatui ſuo ſubiecit. Id teſtimonio Nicolai I. in reſponſis ad Bulgarorum quæſita firmauimus. Quæ ſi non ſufficiant, dicat, obſecro, Decanus Londinenſis, quis ad regiones ſeptemtrionales Sacerdotes miſit? Quis eis primos Antiſtites dedit, niſi Romanus Patriarcha? Qui etiamnum ius Patriarchale exercet, dum ad Archiepiſcopos Occidentales pallia mittit, ſuo iudicio Epiſcoporum electiones, & nominationes confirmat. Quod qua ratione ſibi vindicarit, ex ſupradictis facilè cuiuis innoteſcet.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *De exercitio iuris Patriarchici in conuocando ad Synodum totius Occidentis Epiſcopos.*

1. *Ex priſca conſuetudine Romanus Pontifex nihil decernebat ſine conſilio cleri, vt probatur ex pluribus antiquitatis monumentis, Cleri autem cœtus, quoties conſilium inibat, vocabatur presbyterium, & ſenatus.*

2. *Sedata Ethnicorum tyrannide Italiæ Synodi authoritate Pontificia ſunt frequenter indictæ, quæ vocari potuerunt Conſiſtorium, & Sedes Apoſtolica.*

3. *In Synodis Italicis Pontifex Romanus ſupremum ius exercebat, ſuo ſolius nomine acta edens, & cuncta conſtituens, putatque Lupus, quod in Patriarchali totius Occidentis Synodo ſoli Romano Pontifici ſuffragium deciſiuum competijt.*

4. *Synodum Occidentalem ſpectaſſe ad Romanum Epiſcopum, colligitur primò ex Euſebianorum reſponſo ad Concilium Sardicenſe.*

5. *Secundò ex actis circa Concilium Ariminenſe, in quo competiſſe Romano Pontifici eandem poteſtatem, quæ Alexandrino competebat in Synodo ſuæ Diœceſis, conſtat ex pluribus.*

6. *Tertiò ex reſponſione D. Ambroſij in Concilio Aquileienſi.*

7. *Quartò id clarè probatur ex Synodo Romana ſub Damaſo, cui non ſolùm Itali, ſed & Galli adfuerunt Epiſcopi.*

8. *Quintò ex Synodis ſub Symmacho, ad quas Gallos ſpectaſſe luce clariùs edicit S. Auitus Viennenſis Archiepiſcopus.*

9. *Sextò ex Synodo Romana ſub Agathone, cui interfuerunt Galliæ, & Britanniæ Epiſcoporum legati, & ad quam ſpectaſſe vniuerſum Occidentem, ex illuſtri Agathonis Papæ teſtimonio probat Lupus, & firmat Perronius, ac de Gallia conſentit de Marca.*

10. *Septimò ex Synodo Romana ſub Stephano IV. cum duodecim Galliæ Epiſcopis celebrata.*

11. *Octauò ex Nicolao Primo, & Hincmaro Rhemenſi, cuius teſtimonium vrget Cardinalis Perronius.*

12. *Nonò ex Synodi generalis Octaui canone 17. expreſsè hac de re edito.*

13. *Laudato canone ſatisfit aduerſantium tergiuerſationibus, probaturque, nunquam Gallicanam Eccleſiam Pontifici abiudicaſſe ius euocandi Epiſcopos.*

14. *Confirmatur id fuſiùs ex Leone Nono, Diuo Bernardo, & Stephano Tornacenſi, qui non obtemperare Pontificis euocationi pro Idololatriæ, ac ariolandi ſcelere habuit.*

15. *Licèt Patriarchalem authoritatem euocandi ad Concilia Romana, & Italica, ſemper agnouerit Gallia, Patriarchalem tamen Synodum in corpore nunquam ferè dilexerunt accedere eius Epiſcopi. Hinc forma regiminis ad primæuum Eccleſiæ ſtatum reducta,*

*ſta, vt ſicut olim Pontifices cum Cleri conſilio, ita nunc cum Cardinalium Collegio res Eccleſiæ diſponant, ſiue agatur de iure, ſiue de facto.*

1. NOrunt, quotquot antiquos Eccleſiæ mores perſpectos habent, quòd Romani Epiſcopi ab initio naſcentis Eccleſiæ nihil ſtatuere ſolebant ſine Cleri conſilio; cuius rei rationem reddit Lucas Holſtenius in notis ad Romanam hiſtoriam bipartitam: *Quia*, inquit, *collatis in vnū multorum ſententijs faciliùs quod ex vſu eſt perſpicitur; Romani Pontifices, etiamſi per ſe ſoli ſumma rerum cuſtodiendarū auctoritate pollerent, ad deliberationes tamen & conſilia Eccleſiaſtica presbyteros Vrbis; & Epiſcopos, qui fortè aderant, aut è propinquo ad ipſum accerſebantur, adhibere ab antiquo conſueuere.* Patet id ex D. Cornelij epiſtola 46. olim malè Cypriano tributa, vbi agebatur de Vrbano, Sidonio, & Maximo ex ſchiſmate ad Eccleſiæ ſinum reuertentibus. Ait namque Cornelius Papa: *Omni actu ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Epiſcopi quinque, qui & bodie præſentes fuerunt, vt firmato conſilio, quid conſeruari deberet, conſenſu omnium firmaretur.* Idem teſtatur obſeruatum Siricius Papa epiſt. 11. *Facto igitur Presbyterio, conſtitit doctrinæ noſtræ, ideſt Chriſtianæ legi eſſe contraria, vnde omnium noſtrum tam presbyterorum, & diaconorum, quàm totius etiam Cleri vna lata fuit ſententia.* Et ad Bonifacij Secundi Synodum Romanam in cauſa Stephani Lariſſæ per Theſſaliam Metropolitæ, cui adfuerunt Epiſcopi quinque, presbyteri quadraginta, diaconi quatuor ex Clero Romano, notat Lucas Holſtenius ex epiſtola Vitaliani Papæ intelligi, quòd Epiſcopis ad Vrbem peregrè aduentantibus Romani Pontifices audientiam dare ſolebant in Synodo Epiſcoporum eam ob cauſam coacta: *Cuius*, inquit, *rei exemplum extat in epiſtola Innocentij Papæ edita per Sirmondum Tomo 1. Conciliorum Galliæ pag. 38. vbi Epiſcopus Hilarius & Elpidius presbyter ad Sedem Apoſtolicam commeantes, vt de diſſenſione & ſchiſmate Eccleſiarum Hiſpaniæ referrent, in conſeſſu Presbyterij auditi memorantur.* Plura eius rei teſtimonia ſuppeditat antiquitas: nam Sede vacante eam conſuetudinem à Clero Romano ſeruatam docet Cyprianus ep. 31. vbi aſſerit de cauſa lapſorum, *vt temperamenti moderamen quæretur, Clerum Vrbanum cum quibuſdam Epiſcopis vicinis Vrbi, & appropinquantibus, & quos ex alijs Prouincijs longè poſitis perſecutionis ardor eiecerat, tractaſſe.* Tractaſſe dicit, ſed ſtatuiſſe non memorat, eò quòd Cypriano Romam ſcribenti & petenti, an lapſis pœnitentibus pax eſſet impertienda? Presbyterium Romanum reſponderit: *Poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri*

*Fabiani, nondum eſt Epiſcopus propter rerum & temporum difficultates conſtitutus, qui omnia illa moderetur, & eorum, qui lapſi ſunt, poſſit cum auctoritate & cum conſilio habere rationem.* Clero Romano ſeorſim ſumpto non competebat diſcernendi auctoritas, quia ipſo fatente auctoritas illa competebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtiti, qui cum conſilio Cleri auctoritatem exercebat. Et hic Clerus, vt obſeruat Iuſtellus in notis ad Codicem canonum Eccleſiæ vniuerſæ, à S. Ignatio epiſtola ad Trallianos vocatur *Cœtus ſacer, Conſiliarij, & Conſeſſores Epiſcopi*; & à Pio Primo ad Iuſtum Viennenſem Epiſcopum, *Senatus pauper Chriſti apud Romam conſtitutus*; & à Diuo Hieronymo epiſtola ad Ruſticum: *Eccleſia habet Senatum Cœtum presbyterorum.* Subindè appellatus fuit hic Senatus *Conpresbyterium.*

2. Præter hoc presbyterium plurima Epiſcoporum Concilia poſt ſedatam Ethnicorum tyrannidem, coacta fuerunt ex Italiæ Prouincijs, aut regionibus. Ad finem ſæculi tertij ampliorem Romæ Synodum habitam fuiſſe in cauſa Pauli Samoſateni Antiochię Epiſcopi, colligi poteſt ex mandato Aureliani Imperatoris, qui, dum Paulus bis à Concilio Antiocheno damnatus de ſede Epiſcopali cedere recuſaret, interpellatus hac de re, inquit Euſebius libro 7. cap. 24. *precepit, vt domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ, & Vrbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præſcriberent.* Conſenſu hoc Imperatoris obtento pro adunando Italiæ Concilio facilè conijcere licet, numeroſam Italicorum Epiſcoporum Synodum celebratam fuiſſe: quot tamen Epiſcopi ei adfuerint, latet, & ignoratur. Certiùs conſtat de numero Epiſcoporum, qui Romano Concilio ſub Iulio I. in cauſa D. Athanaſij interfuerunt, de quo idem Athanaſius initio Apologiæ ſecundæ: *Fuerunt autem in eo conſeſſu pluſquam quinquaginta Epiſcopi.* Epiſcopos iſtos omnes fuiſſe Italos, affirmant Ariani apud Hilarium in fragmentis lib. 1. *Athanaſius ad Iulium Romam perrexit* (inquit Euſebianorum factio in Synodica ſua epiſtola, quam nomine Sardicenſis Concilij edidit) *ſed & ad Italiæ quoſdam ipſius partis Epiſcopos, quos ſeducens per epiſtolarum falſitatem, ab ijſdem perfacilè in communionem eſt receptus.* Et ipſe Athanaſius in epiſtola ad ſolitarios enumerans regiones, quarum Epiſcopis communicabat: *E magna Roma, Italiaque vniuerſa, ex Calabria, Apulia, Campania, Brutijs.* Et Iulius Primus in epiſtola ad Orientales apud Athanaſium Apologia 2. *Nam tametſi ſolus ſim, qui ſcripſi, non meam tamen ſolius ſententiam, ſed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi.*

*pſi. Certè ad conſtitutum tempus conuenere Epiſcopi, & eius ſententiæ fuere, quam vobis iterum ſignifico.* Italorum omnium meminit Iulius procul dubio ex ijs Prouincijs congregatorum, quas enumerat Athanaſius. Et ſimiles Synodos Italicas fuiſſe à Pontificibus Romanis frequenter celebratas, primò colligitur ex Placidæ Auguſtæ epiſtola ad Theodoſium Imperatorem parte prima Concilij Chalcedonenſis cap. 26. vbi Imperatrix teſtatur, ſeſe cum ad altare B. Petri acceſſiſſet, rogatam fuiſſe à Leone I. vt à Theodoſio Generale Concilium impetraret: *Erat autem Leo*, inquit Galla Placidia Aug. *Epiſcoporum multitudine circumſeptus, quos ex innumerabilibus Ciuitatibus Italiæ pro principatu proprij loci, ſeu dignitate collegit.* Deinde ex ipſo Leone Primo epiſt. 4. ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos capite 7. *Quarè illud primitùs pro cuſtodia concordiſſimæ vnitatis exigimus, vt quia ſaluberrimè à ſanctis Patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conuentus, terni ſemper ex vobis ad diem tertium Calendarum Octobrium Romam fraterno Concilio ſociandi occurrant, & indiſſimulanter à vobis hæc conſuetudo obſeruetur.* Singulis annis Romæ Concilium haberi conſueuiſſe, teſtatur Leo Primus, qui ad illud accedere voluit tres Siciliæ Epiſcopos. Deducit verò hanc conſuetudinem ex quinto canone Nicæno, quo ſtatuitur, *annis ſingulis per vnamquamque Prouinciam bis in anno Concilia celebrari*, vnum ante quadrageſimam Paſchæ, aliud circa tempus autumni: quod omninò tempus Leo Primus menſe Octobris expreſſit. Cum itaque Leo Primus ex eo colligat conſuetudinem Romani Concilij bis in anno celebrandi, ad quorum vltimum menſis Octobris vocat Epiſcopos Siculos, conſtat de frequentia Conciliorum Italiæ ſub Romano Epiſcopo, & apparet, hæc omnia tantùm Prouincialia fuiſſe, quod quintus canon Nicænus non de Patriarchicis, ſed prouincialibus dumtaxat ſtatuerit Metropolitanorum Concilijs, vt ipſius canonis contextus clariſſimè demonſtrat. Habebat autem Romanus Epiſcopus præter Diœceſes iuris Patriarchici vicinam Romæ particularem Prouinciam, in qua Metropolitano iure gaudebat, vti preclarè animaduertit Iacobus Sirmondus parte 2. de Suburbicarijs cap. 5. qui addit ex vetere Notitia Prouinciarum Eccleſiæ, Prouinciam Romanam conſtitiſſe ex Epiſcopis ſupra ſexaginta, quibus Epiſcopus Romanus vt Metropolita præerat, ordinando, ius dicendo, & conuocando ad Concilium. Hoc autem, vt rectè animaduertit Chriſtianus Lupus parte 4. ad canonem 18. Dictatus Gregorij VII. dici poterat Romani Epiſcopi Concilium, Conſiſto-

rium, & Sedes Apoſtolica. Cui concinit Cardinalis Perronius contra Angliæ Regem cap. 25. Conſiſtorium Romanum ex Epiſcopis Vrbi Romæ vicinis conſtabat, ſine quibus Papa nihil maioris momenti iudicabat. Sicque Synodus Romana ſub Bonifacio II. dicitur celebrata in Conſiſtorio Sancti Andreæ ad diiudicandam cauſam Lariſſenſis in Theſſalia Metropolitæ.

3. Extat inter epiſtolas Diui Gregorij Magni libro 4. Regeſti Concilium Romanum à 22. Epiſcopis Italiæ celebratum: cuius acta concepta ſunt ſub nomine D. Gregorij Magni his verbis: *Quam in re conſtituo*. Neque hoc nouum, ſed ex more antiquitùs recepto ortum habuit, ſcribente ad Epiſcopos Orientales Iulio Primo apud D. Athanaſium Apologia 2. *Nam tametſi ſolus ſim, qui ſcripſi, non meam tamen ſolius ſententiam, ſed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi*. Nempè ſuo nomine cuncta Concilij acta in cauſa Athanaſij ediderat. Quem veterem Romanæ Eccleſiæ morem confirmant Patres Synodi Romanæ ſub Felice III. circa annum 484. in epiſtola Synodica ad Conſtantinopolitanos: *Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas præcipue fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, vt ſucceſſor præſulum Sedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum iuxta ſolicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem, cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium*. Atque adeò, ſubdit Pariſienſium Archiepiſcopus de Marca lib. 1. c. 6. §. 3. addunt inferiori loco eiuſdem epiſtolæ: *Felix caput noſtrũ, Papa, & Archiepiſcopus*. Et ad hunc locum reſpiciens Chriſtianus Lupus part. 4. ad can. 19. Dictatus Gregorij VII. affirmat, quòd ſicut Pontifici auctoritas agendi competebat in Presbyterio, ſic & Roman. Epiſcopus in Italica Synodo confirmationem, atq; auctoritatem omniũ agendorum habebat. „ Etenim, inquit, in hoc Ro„ manus eam ipſam habuit pote„ ſtatem, quam in ſua Alexan„ drinus Epiſcopus, ſine cuius aſ„ ſenſu nec diuiſim, nec colle„ ctim ſumpti Epiſcopi adeò ni„ hil potuerunt definire, vt nec „ Chalcedonenſi Synodo potue„ rint ſubſcribere. Et hanc à „ Meletio læſam dignitatem re„ parans Nicæna Synodus in „ exemplar dedit Romanum Pa„ triarcham: quia & Vrbis Ro„ mæ parilis mos eſt. Et hinc „ ad Eutychem hæreſiarcham „ de ſancti Flauiani Conſtanti„ nopolitani Epiſcopi dato in ſe „ Synodali damnationis iudicio „ queritantem, & auxilia ſup„ plicantem reſcripſit Sanctus „ Petrus Chryſologus Rauennæ „ Archiepiſcopus: *Nos pro ſtu„ dio pacis, & fidei extra conſen„ ſũ Romanæ Ciuitatis Epiſcopi „ fidei cauſas audire nõ poſſumus.*

Quòd

„ Quòd nempè in eius Synodo „ conſilium dumtaxat haberent „ Epiſcopi, non deciſiuum ſuffra- „ gium. Vnde, & rectè ſoluit difficultatem toties à pluribus motam contra authoritatem Pontificis, olim appellari conſuetum ad Concilium, non verò ad ſolum „ Pontificem: Omninò, inquit „ ad can. 18. Dictatus, vera eſt „ hæc per D. Petrum de Mar- „ ca tradita regula lib. 7. cap. 7. „ appellationes factas ad Patri- „ archas cenſeri etiam factas ad „ eorum Synodos, vt conſtat ex „ forma appellationis Eutyche- „ tis: quod intellige non de ple- „ na Diœceſana, ſed de ſola i- „ pſorum Prouinciali Synodo. „ Hæc enim eſt ipſorum Conſi- „ lium, & Conſiſtorium, & in „ hac etiam Iulius retractauit „ Athanaſij, atque Collegarum „ Epiſcoporum cauſam: ſic enim „ Romani Pontifices ſemper cō- „ ſueuerunt. Verùm in iſta Syn- „ odo Romanus Epiſcopus erat „ omnia, & ſolus decidebat. „ Hinc ad iſtam Synodum factæ „ appellationes palàm fiebant ad „ Sedem Apoſtolicam. Ea quip- „ pè Synodus eſt ipſa Sedes Apo- „ ſtolica. Et ne quis inconſequentiæ arguat ſuam doctrinam, docet ad canonem 21. Dictatus Gregorij Septimi eidem ius illud competijſſe in totius Diœceſis Patriarchæ Synodum, adeò vt in illa ſoli Romano Epiſcopo ſuffragium deciſiuum concedat, reliquis verò Epiſcopis nonniſi conſultiuum: quod licèt non facilè admitterem, eandem tamen omninò poteſtatem Alexandrino in totam Diœceſim tradidiſſe Nicænum Concilium can. 6. pluribus probat Chriſtianus Lupus, cuius „ hæc ſunt verba: In cunctis ad „ Romanum Patriarchatum ſpe- „ ctantibus Metropolitis, ac „ Prouincialibus Synodis vigu- „ iſſe iſtum parilem morem, do- „ cet Romana Melchiadis, non „ ex ſolis Italis, ſed etiam ex „ Gallis Epiſcopis aduersùm Do- „ natiſtas collecta, & in ſolum „ Papale nomen concepta Syn- „ odus, in qua ſolus Pontifex „ dicit: *Cenſeo*. Ita teſtatur S. „ Optatus Epiſcopus Mileuita- „ nus, quod nempè in omnem „ ſuam Patriarchalem Synodum, „ & cunctos ad ipſum ſpectan- „ tes Epiſcopos Papa haberet „ pleniſſimam poteſtatem; adeò- „ que nullus vel intra, vel extra „ ipſam haberet ſuffragium, niſi „ conſultiuum. Ita Lupus cum doctrina circa Epiſcoporum ſuffragium conſultiuum. Quod licèt difficultate non careat, in hoc veritati conſona reperitur, quòd Romanus Epiſcopus in Patriarchali Occidentali Synodo ſupremam auctoritatem exerceat, dum totius Eccleſiæ, vel aliorum Patriarchatuum cauſæ aguntur, de quibus latiùs ſuis locis agemus, cum hîc ſufficiat Concilij Patriarchatus Romani terminos indagare.

4. Porrò quia Iulius Primus in Concilio Romano dijudicarat

cau-

cauſam Athanaſij, hinc in Generali Concilio Sardicam conuocato Euſebianorum factio occaſionem cepit virus ſuum euomendi: relinquens namque Occidentis Epiſcopos, ſeorſim Concilium inijt, & ex Philippopolitano ſuo Conuenticulo ſub nomine Sardicenſis epiſtolam Synodicam diuulgauit, in qua Occidentales Sardicæ relictos his verbis impetijt: *Hanc nouitatem moliebantur inducere, quam horret vetus conſuetudo Eccleſiæ, vt in Concilio Orientales Epiſcopi, quod fortè ſtatuiſſent, ab Epiſcopis Occidentalibus refricaretur; ſimiliter quidquid Occidentalium partium Epiſcopi, ab Orientalibus ſolueretur.* Impia Euſebianorum factio animo verſabat perditionem Monarchiæ Eccleſiaſticæ. Sciebat, tres Patriarchas decreto Apoſtolico conſtitutos, & Romano Occidentem obtigiſſe. Hinc volebat Occidentalium Epiſcoporum iudicium ſolo Occidentis termino circumſcriptum, nec pro Orientalibus partibus obtinere eius ſententiam. Errabat grauiter in Romani Pontificis ſuprema per omnem Eccleſiam auctoritate, vt ſuo loco videndum eſt. Interim patet ex Euſebianorum confeſſione, Occidentis Concilia ad Romanum Patriarchatum ſpectare, pro tali dumtaxat habentes Sardicenſe Concilium, eò quòd ſeſe ab illo ſeparaſſent, & maxima pars ex Occidentalibus Epiſcopis ibidem adunata manſiſſet, quorum omnium caput per ſuos legatos extiterat Iulius Primus, vt & in illum damnationis ſententiam ferre auſi ſint: *Iulium vt principem, & ducem malorum, qui primus ianuam communionis ſceleratis, atque damnatis aperuit, cæteriſque aditum fecit ad ſoluendum iura diuina.* Per *cæteros* intelligunt Sardicenſis Concilij Præſules, qui Iulij Primi ſententiæ ſubſcripſerant.

5. Ex hoc autem Philippopolitani Conciliabuli fundamento Euſebiani Conſtantio Imperatori perſuaſerant, vt reſcriberet ad Concilium Ariminenſe illa, quæ leguntur apud Hilarium in libro fragmentorum: *Non enim de Orientalibus Epiſcopis in Concilio veſtro patitur ratio aliquid definiri. Proindè ſuper his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoſcit grauitas veſtra, tractare debetis.* Et infrà: *Aduerſùs Orientales nihil ſtatuere vos oportet, aut ſi aliquid volueritis contra eoſdem prædictis abſentibus definire, id quod fuerit vſurpatum, irrito euaneſcet effectu.* Frendebant vtique in dogma Catholicum Arianorum reliquiæ, & in ſuam partem ſubdolè traxerant Imperatorem Conſtantium: ex factionis Philippopolitanę fundamento ipſi perſuaſerant, Occidentalem Synodum nihil poſſe in Orientis Epiſcopos, vt hoc modo eorum cenſuram euaderent. Et perſuaſus Conſtantius ſcripſit ad Ariminenſe Concilium: *Non enim de*

*Orien-*

*Orientalibus Epiſcopis in Concilio veſtro patitur ratio aliquid definire*. Statuebat itaque Patriarcham Romanum Occidentis terminos tranſgredi non poſſe, adeòque nec Concilium Ariminenſe, eò quòd ex ſolis Occidentalis Patriarchatus Epiſcopis conſtabat, vt ipſum Concilium fatetur in litteris ad Conſtantium apud D. Athanaſium de Synodis: *Ariminum ex omnibus ad Occidentem poſitis Ciuitatibus in vnum conuenimus*. Et conſentit Sulpitius Seuerus libro 2. *Miſſis per Illyricum, Italiam, Africam, Hiſpanias, Galliaſque Magiſtris Officialibus, acciti atque tracti quadringenti, & aliquot ampliùs Occidentales Epiſcopi Ariminum conuenere*. Vnde facilè colligitur, hoc Concilium fuiſſe plenum Patriarchale Romanum, in quo Romano Epiſcopo, non ſolùm vt Pontifici, ſed vt Occidentis quoquè Patriarchæ Primatus competebat. Patet autem hæc veritas, tum ex pluribus, tum ex eo quòd Ariminẽſis Concilij Patribus Imp. Conſtantij minis, & tormentis ad defectionẽ inductis Damaſus Pontifex cum Romana ſub ipſo Synodo in epiſtola ad Orientales apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. ſcripſerit, irritum eſſe Concilij Ariminenſis decretum, præſertim cum formula illius compoſita eſſet, neque Epiſcopo Romano, cuius ſententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque alijs eidem conſentientibus; vel, vt habet epiſtola illa nonaginta trium Epiſcoporum apud Lucam Holſtenium in hiſtoria Romana bipartita correctiùs edita: *Cum conſtet, neque Romanum Epiſcopum, cuius ante omnes fuit expectanda ſententia, neque Vincentium ..... huiuſmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe*. *Ante omnes*, inquit Damaſi Romana Synodus; quia omnibus ibidem congregatis præerat vt Patriarcha, ſine cuius ſententia nihil omninò licebat Patriarchatus ſui Epiſcopis in cauſa fidei; ſicut nec Epiſcopis Aegyptiacis in Synodo Aegypti ſine ſententia Alexandrini. Hinc enim conſuetudinem locum habuiſſe in Patriarchatu Alexandrino oſtendit Arſenij Hypſelitarum Epiſcopi è Meletiano ſchiſmate ad Athanaſium regreſſi profeſſio: *Nos diligentes pacem, & vnanimitatem cum Eccleſia Catholica, cui tu per Dei gratiam præfectus es, volenteſque Eccleſiaſtico canoni pro veteri inſtituto ſubijci, ſcribimus tibi, Pontifex dilecte, promittimuſque in nomine Domini, nos deinceps citra tuam Metropolitani Epiſcopi ſententiam, nullum de Epiſcopis, aut alio dogmate communi, & Eccleſiaſtico decretum edituros, ſed ceſſuros canonibus anteà ſuſceptis*. Extat in ſecunda Apologia D. Athanaſij. Et pro Patriarchatu Romano ad Eutychetem reſponſio Sancti Petri Chryſologi Rauennæ Archiepiſcopi: *Nos pro ſtudio pacis, & fidei, extra conſenſum Romanæ*

*næ Ciuitatis Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus*. Rurſus pro Patriarchatu Alexandrino Epiſcopi Aegyptiaci in Concilio Chalcedonenſi, cum peteretur ab ipſis ſubſcriptio fidei: *Petimus*, inquiunt, *veſtram clementiam expectare Præſidis noſtri ſententiam, quia eum in omnibus ſequimur; quia & ſanctiſſimi Patres, qui in Nicæa congregati ſunt* 318. *banc regulam dederunt, vt ſequatur omnis Aegyptiaca Regio Archiepiſcopum magni nominis Ciuitatis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ipſi ſubiacente Epiſcopo*. Si nihil poterant Epiſcopi ſimul congregati in Concilio vniuerſali abſque ſententia Patriarchæ, id ideo fuit, quia Epiſcopi Aegyptiaci etiam in Synodo Aegyptiaca adunati nihil ſtatuere potuerant ſine licentia Patriarchæ: quod neque licuit in Concilio Patriarchali Occidentis, vt de Concilio Ariminenſi teſtatur Romana ſub Damaſo Synodus; irritum namque declarat Ariminenſe ſtatutum, cum neque Romanus Epiſcopus ei conſenſum præbuerit, *cuius ante omnes fuit expetenda ſententia*. Ita Theodoretus verſionis Valeſij.

6. Aliud de Occidentali Concilio exemplum ſuppeditat Aquileienſis ſub D. Ambroſio, Gallorum, Italorum, & Africanorum Epiſcoporum Synodus, quæ anno 380. Palladium Arrianæ factionis Epiſcopum ſine Orientalium Epiſcoporum Concilio iudicauit. Quod cum fieri non poſſe Orientales exiſtimarent, iiſdem reſpondit: *Ad Orientales Præfectus Italiæ literas dederat, vt ſi vellent conuenire, in poteſtate haberent*. Rationem verò abſentiæ Orientalium reddit D. Ambroſius: *quia ſcierunt conſuetudinem huiuſmodi, vt in Oriente eſſet Orientale Concilium, intra Occidentem Occidentalium, ideò putauerunt non eſſe veniendum*. Occidentis Concilium ab Orientali ſeparat Ambroſius, & ſeparatim celebrari conſueuiſſe affirmat, reſpiciens ad Concilium Ariminenſe Occidentale, & Seleucienſe Orientale, eodem tempore ſub Conſtantio Imperatore coacta, quem morem illo tempore Orientales retinebant Conſtantinopoli ſuum celebrantes Concilium. Id tamen grauiter tulit Romana ſub Damaſo Synodus in litteris ad Theodoſium Imperatorem, eò quòd generale Concilium Romæ indictum declinauerant, & Conſtantinopoli ſuum Orientale celebrarant. Addit, Maximum Cynicum iam fuiſſe in Italia, vt cauſam ſuam in Synodo ageret: *Quod*, inquit Romana Damaſi Synodus, *etiamſi indictum Concilium non fuiſſet, iure, & more maiorum, ſicut & ſanctæ memoriæ Athanaſius, & dudum Petrus Alexandrinæ Ciuitatis Epiſcopus, & Orientalium plerique fecerunt, vt ad Eccleſiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugiſſe iudicium videretur*.

To-

Totius Occidentis Eccleſiæ per modum vnius meminit Synodica Damaſi, ex qua facilè colligitur, Occidentem ſub vnius diſpoſitione fuiſſe ſeruatum: cuius autem alterius, quàm Romani Pontificis? ad quem D. Athanaſius, & Petrus Alexandrini Patriarchæ confugerant, vt in Romano Epiſcopo tanquam Occidentis Patriarcha totum Occidentem ſibi vnirent, & tanquam à ſummo totius Eccleſiæ Pontifice Sedi proprię reſtitutionem obtinerent.

7. Ne tamen videamur coniecturis potiùs, quàm ſolidis rationibus agere, Pariſienſis Archiepiſcopus de Marca lib. 1. cap. 7. §. 8. probat, Galliam ad Romanum Concilium pertinuiſſe: *Immò verò* (inquit) *& Legatos ſuos ad Concilium Romanum miſiſſe, cum fidei cauſa aduersùs hæreticos eſſet ſtatuenda, docet Synodus Romana ſub Damaſo apud Theodoretum.* Locus Theodoreti à Marca laudatus eſt lib. 2. cap. 22. vbi agitur de epiſtola Synodica Damaſi circa Ariminenſe Concilium ſcripta; & verſionis Valeſij verba ſunt: *Inter eos verò, qui hanc epiſtolam ſcripſerunt, principem locum obtinet Damaſus, qui tunc temporis poſt Liberium Romanæ Eccleſiæ præſidebat, vir omni genere virtutis ornatus: ſcripſerunt autem vnà cum illo litteras nonaginta Epiſcopi Romæ congregati ex Italia, & Gallia.* Litteras has correctiores edidit Lucas Holſtenius in Romana hiſtoria bipartita, vbi habent hunc titulum: *Exemplum Synodi habitæ Romæ Epiſcoporum nonaginta trium ex reſcripto Imperiali. Damaſus, Valerianus &c.*

8. Plura Romana Concilia ab anno 502. ſub Symmacho Papa Romæ celebrata fuiſſe, iiſque interfuiſſe quamplurimos Epiſcopos, acta Synodica in Tomis Conciliorum abundè demonſtrant. Vnum inter illa ex diuerſis Prouincijs anno 502. iuxta Cardinalem Baronium celebratum, cum animaduertiſſet à Theodorico Rege conuocationem factam, Patres in pleno conſeſſu per organum Epiſcoporum Aemiliæ, & Venetiarum dixerunt, *Symmachum, qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum conuocare. Quæ Concilij exprobratio* (inquit D. de Marca lib. 6. cap. 28. §. 13.) *locum habebat quoad Italiam, neque recipienda erat in alijs regnis, quia Concilium Patriarchale conuocatum eſt à Patriarcha, & à nullo alio conuocari poteſt ſecundùm canones, ideoque ad Papam Symmachum, non autem ad Regem ſpectabat euocatio Epiſcoporum Italiæ, qui per illas tempeſtates Patriarchalem Synodum Romanam conſtituebant.* Vbi duo dicit Pariſienſis Archiepiſcopus, quorũ alterum verum, alterum à veritate alienum puto. Synodi Patriarchalis conuocationem ſpectaſſe ad Patriarcham, libenter admitto; at Synodum Italicam fuiſſe Patriarchalem Romanam, conſtanter ne-

nego. Inter Synodos Romanas ſub Symmacho ordine 5. habuit ducentos decem & octo Epiſcopos: ita Tomi Conciliorum à diuerſis editi. Porrò hi omnes ex ſola Italia non conuenerunt. Subſcriptiones huius Concilij extant apud Binium, & in collectione Regia Tomo X. Enumerantur autem ex Hiſpania, Gallia, aliiſque regionibus complures Epiſcopi, adeoque non ſoli Itali, ſed Hiſpani, & Galli Epiſcopi eidem Synodo interfuerunt. Nec quidquam refert, quòd ob quoſdam Epiſcopos tunc veriſimiliter mortuos ſubſcriptiones illæ ſpectare poſſent ad aliud Concilium. Licèt enim his Concilijs ſub Symmacho nulli alij interfuiſſent, quàm Italiæ Epiſcopi, inde non ſequetur, ſolius Italiæ Synodum fuiſſe Patriarchalem Romanam. Præclarè namque fatetur S. Auitus Viennenſis Archiepiſcopus, ad Synodum Patriarchalem Romanam ita huc-uſque ſpectaſſe Galliam, vt & ipſius Galliç Epiſcopos Synodis Romanis interfuturos fuiſſe, dicat Symmachus, niſi Barbarorum inuaſio obſtitiſſet. Extat epiſtola apud Iacobum Sirmondum Tomo 1. Conciliorum Galliæ cum hac epigraphe, & exordio: *Auitus Epiſcopus Fauſto & Symmacho ſenatoribus Vrbis. Primum fuerat talis ſtatus rerum deſiderandus, vt ipſi per nos Vrbem orbi venerabilem pro dependendis diuinis, humaniſque expeteremus officijs. Sed quia iſtud iamdudum per rationem fieri poſſe ceſſauit, velimus, quod fatendum eſt, vel eò ſecuritatis accedere, vt quæ in cauſa communi ſupplicari oportet, amplitudo veſtra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognoſceret.* Viuebat S. Auitus in Gallia Viennenſis Archiepiſcopus, dum laudatæ Synodi ſub Symmacho Papa fuerunt celebratæ, & clarè fatetur id, quod doctor Louanienſis Chriſtianus Lupus obſeruat parte 4. ad canonem 20. Dictatus Gregorij VII. *Quod Romanarum euocationum prima apud Gallos remora prouenerit à Romani Imperij Lauratoribus barbaris, idq; diſertè teſtari, atq; vt miſerandam ſeruitutem lamentari Sanctum Auitum Archiepiſcopum Viennenſem.* Rectè namque conſideranti magis fauere non potuerunt citata Sancti Auiti verba. Deſiderat primæuum ſecuritatis ſtatum, quo Galliæ Epiſcopi Vrbem Romam orbi venerabilem pro dependendis diuinis, humaniſque officijs petebant. Olim itaque Galliæ Epiſcopi ad Synodum Romanam pergere conſueuerant. Addit ſuum, & totius Galliæ deſiderium, quo Romanis Symmachi Papæ Concilijs intereſſe cupiebant. Galliæ igitur Antiſtites non ſolùm pro cauſa fidei, ſed & diſciplina Eccleſiæ ad Romanum Patriarchale Concilium accedere debebant, & conſequenter ad illud ſpectabant.

9. Anno 680. Agatho Papa litteras per totum Occidentem mi-

miſit, vt ad Romanum Concilium properarent Epiſcopi, vel qui impedirentur ætate, morbo, itinerisue moleſtijs per legationem ſuo nomine deputatam accederent, vt exponerent, quid pro fide Catholica aduersùs Monothelitas decernendum eſſet. Comparuere ad litteras Agathonis centum viginti quinque Occidentis Epiſcopi, & inter alios Synodicis litteris ſubſcripti habentur: *Wilfridus Epiſcopus Eboracenſis Inſulæ Britannicæ, & Legatus Synodi per Britannias conſtitutæ: Adeodatus Epiſcopus Eccleſiæ Leucorum, Legatus Synodi per Galliarum prouincias. Felix Arelatenſis Epiſcopus, & Taurinus Telonenſis, pariter Synodorum per Gallias legati.* Vnde manifeſtum eſt, tam Galliam, quàm Britanniam ſpectaſſe ad Synodum Patriarchalem Romanam, quinimò totum Occidentem, vt facilè colligitur ex dogmatica Agathonis epiſtola, quam legatis tradidit pro Sexta Synodo Conſtantinopolim proficiſcentibus cum hocce titulo: *Agatho Epiſc. ſeruus ſeruorū Dei, cum vniuerſis Synodis ſubiacentibus Concilio Apoſtolicæ Sedis.* Et inter rationes tam tardi legatorum aduentus; *primùm quidem, quòd numeroſa Epiſcoporum noſtrorum multitudo vſque ad Oceani regiones extenditur, cuius itineris longinquitas in multi temporis curſum protelatur. Sperabamus deinde de Britannia Theodorum conſamulum, atque Coëpiſcopum noſtrum magnæ Inſulæ Britanniæ Archiepiſcopum, & Philoſophum cum alijs, qui ibidem demorantur, exinde ad noſtram humilitatem coniungere; atque diuerſos huius Concilij Epiſcopos in diuerſis regionibus conſtitutos, vt à generalitate totius Concilij noſtra ſeruilis ſuggeſtio fieret, ne ſi tantùm pars, quod agebat, recognoſceret, partem lateret, & maximè quia in medio gentium tam Longobardorum, quàm Sclauorum, necnon Francorum, Gallorum, atque Britannorum, plurimi conſamulorum noſtrorum eſſe cognoſcuntur.* Ad quæ verba Chriſtianus Lupus parte 5. Diſſertatione de Romana Epiſcoporum conſecratione ſcribit de Agathone: Palàm profitetur, Gallos, Germanos, Francos, Britannos, Illyricianos pertinere ad Patriarchale Concilium Romanæ Eccleſiæ. Porrò de Gallia id negare non potuit Pariſienſium Archiepiſcopus de Marca, qui lib. 1. capite 7. §. 8. palàm fatetur: *Et Occidentalium Synodus ſub Agathone, cui tres legati Galliarum interfuere. Quarè vt antea dicebam; apud Gallos Eccleſiæ Romanæ reuerentia eo ſemper nomine floruit, quòd eſſet communionis Eccleſiaſticæ caput per vniuerſam Eccleſiam, & ſpeciali quodam iure per omnes Occidentis Prouincias.* Per ſpeciale illius ius intelligit Patriarchale, quod antè probauerat in totum Occi-

dentem Romano Epiſcopo competere; idque adeò certum putauit Eminentiſſimus Gallicanæ Eccleſiæ Primas Cardinalis Perronius, vt cap 42. contra Angliæ Regem aſſerat : *Concilia Occidentalis Eccleſiæ Romæ babita ſub Damaſo temporibus hæreſis Macedonianæ, ſub Cæleſtino Papa aduersùs hæreſim Neſtorianorum, ſub Leone Magno contra hæreſim Eutychianorum, ſub Agathone Papa contra hæreſim Monothelitarum, cogunt quammaximè auerſos fateri, quòd Papa, ſi non vt caput Eccleſiæ vniuerſalis, ad minus tanquam Patriarcha Occidentis conuocauerit Concilia Patriarchalia Eccleſiæ Occidentalis.* Quid illuſtrius, quid expreſſius?

*Card. Peronius Les Conciles de l'Egliſe Occidentale tenus à Rome, par le Pape Damaſe au temps de l'hereſie des Macedoniens, par le Pape Celeſtin contre l'hereſie des Neſtoriens, par le Pape Leon contre l'hereſie des Eutychiens, par le Pape Agathon contre l'hereſie des Monothelites, forcent les plus obſtinez de cõfeſſer, que le Pape, ſi non comme chef de l'Egliſe vniuerſelle, pour le moins come Patriarche d'Occident conuoqua les Côciles Patriarchaux de l'Egliſe Occidentale.*

10. Anno 769. Romæ Synodum parabat Stephanus Papa Quartus, & ad illam euocaſſe Galliæ Epiſcopos, tradit Anaſtaſius Bibliothecarius apud Iacobum Sirmondum Tomo 2. Conciliorum Galliæ his verbis. *In exordio ordinationis ſuæ, quando ſanctiſſimus Præſul Pontificatus apicem aſſumpſit, direxit in Franciæ partes ad excellentes viros Pipinum, Carolum, & Carolomannum Reges Francorum, & Patricios Romanorum Sergium, ſecundicerium, & Nomenclatorem in illo tempore exiſtentem, deprecans, atque adhortans eorum excellentiam per ſuas Apoſtolicas litteras, vt aliquantos Epiſcopos gnaros, & in omnibus diuinis ſcripturis, atque ſanctorum canonum inſtitutionibus eruditos, ac peritiſſimos dirigeret in hanc Romanam Vrbem ad Concilium.* Addit Anaſtaſius, properante Sergio ad Gallias defunctũ eſſe Pipinum Regem, & Pontificem à duobus filijs Carolo, & Carolomanno impetraſſe, quod petijt: *Pro quibus miſſus eſt, ab eorum Excellentia impetrauit, dirigentes ipſi Chriſtianiſſimi Reges duodecim Epiſcopos ex ijſdem Francorum regionibus.* Notat Sirmondus, ad hoc Concilium miſſos fuiſſe ex Francia Epiſcopos, citatque ex Panuinij ſchedis Wilicarium Senonenſem, Lullum Moguntinum, Gauienum Turonenſem, Adonem Lugdunenſem, & alios Galliæ Epiſcopos, quibuſcum Stephanum Papam celebraſſe Romanum Concilium affirmat Adrianus Primus in litteris ad Carolum Magnum: *In alio*, inquit, *Concilio prædeceſſoris noſtri Stephani Papæ, vnà cum Sacerdotibus partium Franciæ, & Italiæ acto.*

11. Sæculo 9. floruit Nicolaus I. qui epiſtola 70. ad Hincmarum, & alios Galliæ Epiſcopos inter alia ſcribit de grauitate Photiani ſchiſmatis: *Pro his & ſimilibus cauſis canonicè diſcutiendis, & ritè definiendis, tam veſtram, quàm aliorum fratrum, & Coëpiſcoporum noſtrorum reuerendã ad nos conuocare vellemus præſentiam, niſi nos diuerſæ mũdi calamitates, & preſſuræ id gerere vetuiſſent.* Et infrà: *Alioqui veſtram*

*ſtram ad nos fraternitatem euocandi, & pariter de huiuſmodi quæſtionibus tractandi nobis erit omninò neceſſitas, vt videlicet iuxta priſtinam conſuetudinem nobiſcum in id ipſum apud Sanctum Petrum conuenientes communes Eccleſiæ contumelias reparemus.* Ex quibus verbis patet, veriſſimã eſſe hanc gloſſam Chriſtiani Lupi: *Nicolaus Primus conſtanter aſſerit, Gallicanos Epiſcopos ſpectare ad ſuam Patriarchalem Synodum, & ipſorum in ea præſentiam eſſe antiquam conſuetudinem.* Idque vrget Nicolaus I. eodem loco: *Præcipuè cum non ſolum propter huiuſmodi generalis Eccleſiæ negotium, ſed etiam pro ſpecialis huius Sedis exorta cauſa prædeceſſores veſtri vnà cum prædeceſſoribus noſtris hìc ſoliti ſint non immeritò conuenire.* Neque illud negarunt Gallicani Antiſtites, ſed varijs excuſationibus iter Romanum euitare conati ſunt. Dicebant ad hoc, vt Epiſcopi Romam ad Synodum properarent, quòd nulla neceſſitas vrget: & rationem addebant, quia Metropolitani bis in anno Synodos faciebant, ideòque ad Patriarchale non debebant concurrere caput. Secundò quòd à Principibus impedirentur, ne ad Synodos illas accederent. Quæ omnia grauiter tulit Nicolaus I. & literis ad Carolum Caluum datis conqueſtus eſt, ac Sedis ſuæ Patriarchicæ priuilegia contra omnes turbinum impetitiones adeò muniuit, defenditque, vt Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, quem tota Gallia tanquam acerrimum ſuæ libertatis vindicem intuetur, ac veneratur, ad Nicolaum I. in litteris apud Flodoardum in hiſtoria Eccleſiæ Rhemenſis lib. 3. cap. 13. extantibus ſcripſerit: *Dignum, & iuſtum eſt, vt quemcumque Epiſcopum Romanus Pontifex ad ſe Romam venire mandauerit, ſi infirmitas, vel grauior quæcumque neceſſitas, vel impoſſibilitas, ſicuti ſacri præfigunt canones, eum non detinuerit, ad illum venire ſtudeat, multò magis etiam is, quem pro querela ad ſe quocumque modo clamantem præſentiæ ſuæ iudicat exhibendum, & quicumque viderit, vel audierit, quòd Rex, & Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis ſummum Pontificem promptè obaudiunt, & honorant, promptiùs, & humiliùs eis ſubiecti ſui obedient.* Quæ Hincmari Metropolitæ Rhemenſis ingenua de authoritate Pontificis confeſſio adeò perſpicua viſa eſt Eminentiſſimo Cardinali Perronio, vt contra Angliæ Regem cap. 25. ſcripſerit, quamuis veteres Galli ſæpiùs oppugnarint appellationes perſonales, & minoris momenti, nunquam tamen impugnaſſe Epiſcoporum euocationes: *Et veteres noſtri Galli ſæpiùs appellationibus obſtiterunt, quæ ex Gallia Romam de minoribus, & perſonalibus cauſis deferebantur, abſque eo quòd vllo modo euocationes,* aut

Perronius. *Et nos anciens François ont ſouuent debatu les appellations de France à Rome aux cauſes mineurs, & perſonelles, ſans pretendere pour cela debatre ny les euocations, ny la ſuperiorité.*

*aut primatum impugnarent*. Addit teſtimonium Hincmari, quo impugnat minorum rerum appellationes, & pergit: *Nihilominùs vt monſtraret, quòd neque primatum, neque euocationes impugnare vellent, ibidem adiungit: Quia omnes ſenes cum iunioribus ſcimus noſtras Eccleſias, & nos Epiſcopos in primatu beati Petri ſubiectos eſſe Romano Pontifici, & ob id ſalua fide, quæ in Eccleſia ſemper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis eſt veſtræ Apoſtolicæ auctoritati obediendum*. Quibus verbis Hincmarus Rhemenſis clariſſimè indicat Epiſcopos Galliæ, dum Romam euocati fuerunt, obedire debuiſſe.

12. Nicolai Primi veſtigia inſecutus eſt Adrianus II. ius ſuum Patriarchale ab omni impoſterum tergiuerſatione Epiſcoporum Occidentalium vindicare conatus eſt, & miſſis legatis ad Synodũ Conſtantinopolitanam generalem Octauam, canone 17. de iure Patriarchico conſtitutum eſt, quo cuncta aduerſantium effugia ſublata ſunt: *Conſueuerunt Metropolitani bis in anno Synodos facere* (inquit canon 17.) *ideoque ſicut dicunt, ad Patriarchale penitus non poſſe concurrere caput. Sed ſancta hæc, & vniuerſalis Synodus nec Concilia, quæ à Metropolitanis fiunt, interdicens, multò magis illa nouit rationabiliora eſſe, ac vtiliora Metropolitanorum Concilijs, quæ à Patriarchali Sede congregantur: & idcircò hæc fieri exigit. A Metropolita quippe vnius quidem Prouinciæ diſpoſitio efficitur; à Patriarchâ verò ſæpè totius cauſa Diœceſeos diſpenſatur. Ac per hoc communis vtilitas prouidetur, propter quod & ſpeciale lucrum propter generale bonum poſtponi conuenit, cum à maioribus ſuper hæc facta aduocatio. Quamuis apud quoſdam Metropolitanorum antiqua conſuetudo, & canonica traditio per contemptum ipſorum poſtpoſita videantur, non currentibus eis ad communem profectum, quos leges Eccleſiæ ſeuerè condemnantes, omni excuſatione remota ſubiacere vocationibus proprij Patriarchæ, ſiue cùm communiter, ſiue cùm ſigillatim factæ fuerint, exigunt*. Hæc ex verſione Anaſtaſij Bibliothecarij, qui ipſi Concilio Generali VIII. interfuit. Ex quibus conſtat, à Patribus Octauæ Synodi ereptum Gallis fuiſſe primum effugium, quo nitebantur euitare Patriarchale Conciliũ. Licèt enim Galli contenderent, Prouinciales Synodos celebrari conſueuiſſe has tamen Patriarchalibus Synodis obeſſe nòn debere, Patres iudicarunt, eò quòd à Metropolita quidem vnius Prouinciç diſpoſitio efficiatur, à Patriarcha verò ſæpè totius cauſa Diœceſeos diſpenſatur, ac per hoc communis vtilitas prouidebatur. Cum itaque ſpeciale lucrum generali bono poſtponendum ſit, rectè ſtatuunt Patres, quòd ad Patriarchale Concilium accedere debuerint Epiſco-

pi,

pi, quando à Patriarchis ad illud conuocabantur.

13. Secundæ quoquè rationi de neceſſitate conſenſus Regij Patres eodem canone ſatisfaciunt; innuunt enim à Regibus plerumque ſine vlla ratione Epiſcopos detineri. Patet id ex ijs, quæ ad Adrianum II. ſcribit Hincmarus Rhemenſis: *Veſtra ſciat authoritas*, inquit, *quia nec Hincmarum (Laudunenſem Epiſcopum à dicto Pontifice euocatum) nec etiam quemlibet Epiſcoporum Diœceſeos Rhemorum, minimè autem aliarum Prouinciarum Epiſcopos, niſi dominus Rex illis præceperit, Romam, vel aliquam partem mea commendatione mittendi habeo poteſtatem. Nec ipſe ego vltra fines ſui Regni abſque illius licentia egredi valeo.* Reſpondent eodem canone: *Qui à mundi principibus ſe detineri ſine ratione cauſantur, placuit talem excuſationem omnino eſſe inualidam.* Neque Galliæ Antiſtes Hincmarus hoc negauit, qui euocandi è Gallia Epiſcopos poteſtatem Romano Pontifici ſuprà tam manifeſtè attribuit: quod ipſum impetitus à Lupo Franciſcus Boſquetus Epiſcopus Montis Peſſulani in ſuis ad Innocentij III. literas notis ante omnia docet lib. 2. epiſt. 8. *Euocandi poteſtas legibus, & canonibus eſt Patriarchis, ac Metropolitis relicta.* Idem omnino fatetur D. de Marca, nec diffiteri potuiſſet, cum hæc perpetua etiam ipſius Eccleſiæ Gallicanæ ſententia fuerit.

14. S. Benigni Deuionenſis Chronicon ad annum 1046. *Leone Papa ordinato* (inquit) *euocatus eſt ab ipſo Romæ ad Concilium domnus Lugdunenſis Archiepiſcopus Halinardus, ſimulque omnes Epiſcopi Galliæ ad pertractandum inibi de ſtatu, & correctione ſanctæ Eccleſiæ. In ipſo anno ipſe Dominus Papa perrexit in Franciam, & Rhemis habuit Concilium Epiſcoporum.* Erat hic Leo IX. ex Tullenſi in Gallia Epiſcopo creatus Pontifex, adeoque ignorare non potuit iura, & ſententiam Gallicanæ Eccleſiæ, cuius Epiſcopos dum ſuum Patriarchale Concilium vocat, ad ipſum quoquè ſpectaſſe indicat. An legitimas rationes non veniendi allegarint, vti Sanctus Fulco proximus poſt Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopus, ſeſe habuiſſe prætendit in epiſtolis ad Stephanum Papam apud Flodoardum lib. 4. hiſt. Rhemenſis; an ipſe potiùs Leo Pontifex conſilium mutarit, & in Gallias Synodum celebraturus (quod D. de Marca lib. 6. capite 28. §. 4. ex pluribus antiquitatum monimentis, Romano Epiſcopo in Gallia licere oſtendit) ſpontè perrexerit? fateor me ignorare. Habetur interim teſtimonium longè præſtantiſſimum S. Bernardi Doctoris melliflui in epiſtola 131. ad Eccleſiam Mediolanenſem: *Poteſt Romana Eccleſia à finibus terræ ſublimes quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas euo-*

*uocare, & cogere ad ſuam præſentiam, non ſemel, aut bis, ſed quoties expedire videbit.* Addo vnum Stephani Tornacenſis Epiſcopi teſtimonium: ab ipſo nimirum ſcriptam Philippi Auguſti Francorum Regis nomine epiſtolam 221. ad Alexandrum III. Pontificem pro Gulielmo Rhemenſi Archiepiſcopo auunculo ſuo ad Romanam Patriarchalem Synodum euocato: *Vocaſtis eum Pater, & vt præſentiam ſuam vobis exhiberet, ſacris veſtris apicibus inuitaſtis. Paratus erat parere, & apparere vobis, peccato ariolandi ſimulacbrum inobedientiæ comparans, & voluntatem non acquieſcendi vobis tanquam ſcelus idololatriæ deteſtans.* Exponit Regni ab eius prudentia, & conſilio dependentes ſummas neceſſitates, & adiungit: *In articulo ſummæ neceſſitatis noſtræ confidentes de præcipua dilectione veſtra retinuimus eum, clauum in oculis hoſtium noſtrorum & in latebris eorum lanceam, ſine ipſo nihil fieri æſtimantes, ſiue de pace, ſiue de bello cum hoſtibus ſit agendum. Suſcipite Pater preces noſtras, preces filij veſtri, quem à cunabulis ſemper dilexiſtis.*
„ Euocanti Pontifici non obedi-
„ re, ſubdit Lupus, pro idolo-
„ latriæ, ac ariolandi ſcelere ha-
„ bebat omnis tum Gallicana
„ Eccleſia.

15. Licèt autem hæc fuerit Gallicanæ Eccleſiæ ſententia de poteſtate Romani Patriarchæ, Patriarchalem tamen Synodum in corpore nunquam ferè dilexerunt accedere Gallicani Epiſcopi. Remoram primam audiuimus à S. Auito Viennenſi Archiepiſcopo, proueniſſe ex Barbarorum incurſionibus, hincque Leonem I. commotum fuiſſe, vt dogmaticam ſuam pro Concilio Chalcedonenſi epiſtolam potiùs in Galliam mitteret, quàm euocatis Gallorum Epiſcopis in Patriarchali Concilio Romæ ſubſcriptionem ab eis peteret. Poſt hæc autem & Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi; & plurimorum ſubſecutæ Antiſtitum excuſationes, ac querelæ cauſam præbuerunt Romanis Epiſcopis, vt Eccleſiæ controuerſias cum ſolo Cardinalium Collegio terminandas ſuſciperent. Vnde ab anno 1053. Leo IX. Cardinales taliter vocatos dicit, tanquam *cardini, quo cætera mouentur, viciniùs adhærentes*. Et ab anno 1061. ſcribit D. Petrus Damiani: *Patriarcharum & Primatum iura traſcendunt*. Et Diuus Bernardus de conſideratione ad Eugenium III. lib. 4. cap. 4. *Veniamus ad Collaterales, & Coadiutores tuos.* Sic vocat Romanæ Eccleſiæ Cardinales, additque cum eis orbem regendum: *An non eligendi de toto Orbe Orbem iudicaturi?* nihil tamen poſſe ſine Pontifice: *Poteſtatem non habent, niſi quam tu eis aut tribueris, aut permiſeris.* Et ſic intelligendum eſt, quod Otho Friſingenſis lib. 1. de geſtis Friderici cap. 17. teſta-

teſtatur dixiſſe, *Cardinales* ad Eugenium III. *Per nos tanquam per Cardines vniuerſalis Eccleſia volluitur*. Et Cardinalis Oſtienſis: *Cardinalem loco vniuerſalis Eccleſiæ ſuum habere officium*. Et Ioannes Turrecremata lib. 1. de Eccleſia capite 80. *Dominorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu ſummus Pontifex regit, diſponit, atque gubernat vniuerſalem Eccleſiam*. Volebat tempore Baſileenſis Concilij Nicolaus Cardinalis Cuſanus, ex ſingulis Prouincijs Catholicis ſingulos creari Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui tanquam legati Prouinciarum in Conſiſtorio generalis Concilij repræſentatiuo cunctam gubernarent Eccleſiam. At reſpuit hanc regulam Romana Eccleſia, & cum Cardinalibus vndecumque licet deſumptis, cuncta diſponere conſueuit. Quæ Sedis Apoſtolicæ diſciplina conuenit moribus primitiuæ Eccleſiæ dum Romani Pontifices ſolebant vel cum Clero Vrbis, vel cum Epiſcopis Italiæ cuncta diſponere. Enimuerò Cardinales ex Clero Apoſtolicæ Sedis ad Epiſcopatus Italiæ prouecti ſunt noſtris hiſce ſæculis, vt dum Pontifex in eorum Conſiſtorio cauſas Eccleſiæ diſponit, cum Concilio quaſi Italiæ cuncta diiudicet.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De exercitio iuris Patriarchici Romani in Occidentem vniuerſum ex relationibus, & iudicijs de cauſis maioribus.*

1. *Eſſe iuris Patriarchici characterem ad maiorum cauſarum relationes ferre iudicium, conſtat ex varijs antiquitatis monumentis, quæ & clarè oſtendunt Patriarchas fuiſſe olim ſuprà Metropolitas.*

2. *Hanc ſuſcipiendæ relationis, & indicandi deſuper authoritatem per totum Occidentem Romano Pontifici competere, probatur primò de Italia ex Alexandro I. Pontifice Romano.*

3. *Secundò de Illyrico ex Clemente I.*

4. *Idem probatur ex Bonifacio I. Caleſtino, & Xiſto ſummis Pontificibus.*

5. *Ex Synodo Romana ſub Bonifacio II. in qua Stephanus Lariſſæ in Theſſalia Metropolitanus probat, Illyricum ſpeciali iure ad Romanum Epiſcopum ſpectare.*

6. *Tertiò de Hiſpania ex cauſa Baſilidis, & teſtimonijs Innocentij I. Hilarij, Hormiſdæ, & Vrbani II.*

7. *Quartò de Anglia, ex Ioanne V. Venerabili Beda, beato Laufranco. & Paſchali II.*

8. *Quintò de Gallia in cauſa Martiani Arelatenſis ex Epiſcopis Galliæ, & Diuo Cypriano, ex quo oſtenditur, quod Metropolitani olim deponi nequiuerint abſque Romani Epiſcopi ſententia.*

9. *Id occaſione epiſtolarum decretalium à Riculpho per Gallias diſperſarum, in depoſitionibus quoquè Epiſcoporum ſibi vindicauit Nicolaus I. & firmat Synodus VIII.*

10. *Neque id nouum, ſed & aliquoties vſitatum Synodus Generalis VIII. præcepit obſeruari, idque iure meritò, nam Sedis Apoſtolicæ præſulibus auctoritas illa vi Patriarchatus competebat per Occidentem vniuerſum. Vnde & poſt Synodum Octauam hoc caſtè obſeruatum eſt, & ex his apparet ius Patriarchicum Romanum per Occidentem, quod Perronius, de Marca, & Sirmondus pluribus pugnarunt.*

 11. *Quam-*

11. *Quamuis Romani Epiſcopi ius Patriarchale obtinebant, Patriarchæ tamen vocari non conſueuerant, ſed Sedis Apoſtolicæ Pontifices Marca hac de re teſtimonium.*

1. Eſſe iuris Patriarchici de grauioribus cauſis ſententiam ferre, facilè colligitur ex D. Hieronymi de Ioannis Hieroſolymitani erroribus epiſtola. Adduximus Diſſertatione præcedenti verba Hieronymi, quibus arguit Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum, quòd ad Patriarcham Alexandrinum retuliſſet, conqueriturque Metropolitani Cæſareenſis iudicium prætermiſſum fuiſſe: *Ad Cæſareenſem Epiſcopum referre debueras*. Scribit ad Ioannem D. Hieronymus: *Aut ſi procul extendendum conſilium, Antiochiam potiùs dirigendæ litteræ*. Quaſi diceret, cauſam ad Cæſareenſem Epiſcopum, qui Palæſtinæ Prouinciæ Metropolitanus erat, referri debuiſſe; aut ſi res maioris erat momenti, & Metropolitani auctoritatem excedens, ad Antiochenum Epiſcopum, qui Palæſtinæ, & totius Diœceſis Orientis Patriarcha erat, non ad Alexandrinum Patriarcham litteras dirigere debuiſſe. Hanc regulam, quòd ſicut Patriarchæ Alexandrino Diœceſis Aegyptiaca, ita Patriarchæ Antiocheno Diœceſis Orientis ſubſit, confirmauit ſacroſanctum Nicænum Concilium canone 6. vbi ſub titulo antiquæ conſuetudinis laudatur, vt ſatis ſuperque in ſuperioribus oſtendimus, vbi de Patriarchatibus Orientis, & Aegypti egimus. Reſtat ſolùm vt hoc capite monſtremus, idem ius Romano Epiſcopo tanquam Patriarchæ in totum Occidentem competere, idque ex pluribus cauſis conſtare, quæ ex omni Occidente ad Romanum Pontificem relatæ fuerunt, & de quibus Romanus Pontifex iudicium tulit.

2. Ferè innumera ſunt hac de re exempla, quæ ab omnibus totius Italiæ Eccleſijs ſuppeditantur. In his tamen referendis, ne tempus perdamus, antiquiſſimum quòd ex Sicula Eccleſia deſumptū eſt, adducit auctor perantiquus, qui libro de hæreſibus capite 16. Heraclonitarum hæreſim, qua baptizati nullum peccatum committere docebantur, in partibus Siciliæ ortam fuiſſe narrat: *Heracleon*, inquit auctor, *in partibus Siciliæ incohoauit docere. Contrà hunc ſuſceperunt Epiſcopi Siculorum Euſtachius Lilybeorum, & Panormeroum Theodorus, quique omnium, qui per Siciliam erant, Epiſcoporum Synodum exorantes, geſtis eum audire decreuerunt: & vniuerſas adſertiones eius dirigentes ad ſanctum Alexandrum Vrbis Epiſcopum, rogauerunt, vt ad eum confutandum aliquid ordinaret. Tunc ſanctus Alexander ad ſingula quæque capita Hydræ ſingulos gladios Dei verbi de vagina diuinæ legis eijciens librum contra Heracleonem ordinans, feruentiſſimum ingenio Sabinianum presbyterum de-* Prædicatus de Hereſibus.

*deſtinauit, qui & ſcriptis Epiſcopi, & adſertatione ſua ita eum confutaret, vt nocte media nauis præſidio fugeret, & vltra, vbinam deueniſſet, penitùs nullus ſciret.* Plura habemus ex hoc teſtimonio, ac illud inprimis, Heracleonis cauſam diiudicatam fuiſſe ab Epiſcopis Siciliæ: deindè quod illi ipſi Epiſcopi vniuerſas Heracleonis adſertiones non in Synodo iudicarunt, ſed ex ſententia Synodi ad ſanctum Alexandrum Romanum Pontificem retulerunt, vt quid hac in re agendum eſſet, ordinaret: Alexandrum demum librum edidiſſe, quo procul dubio Heracleonis propoſitiones damnabat; & presbyterum vice ſua in Siciliam miſiſſe, qui Heracleonem deuicit, imitando hac in re Clementis prædeceſſoris ſui exemplum, qui miſſis ad inſtantiam Corinthiorum presbyteris ſchiſma iſtius Eccleſiæ extinxerat.

3. Enimuerò in illa epiſtola, quam Clemens I. circa finem primi ſæculi ad Corinthios miſit, narrat Corinthi non modicam inter fideles ortam fuiſſe diſceptationem, quæ ad ſeditionem, & ſchiſma tendebat. Cum verò Corinthij non ad aliquos ex vicinis Epiſcopis, non ad aliarum Prouinciarum Metropolitas, non Alexandriam ad Marci ſucceſſorem, non Antiochiam ad præcipuum totius Orientis Antiſtitem, ſed Romam ad Clementem Petri ſucceſſorem retuliſſent, Romana Eccleſia ad Corinthios potentiſſimã epiſtolam miſit, vt teſtis eſt D. Irenæus lib. 3. cap. 3. *Sub hoc igitur, Clemente,* inquit Irenæus, *diſſenſione non modica inter eos, qui Corinthi eſſent, fratres facta, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas litteras Corinthijs ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum.* Epiſtolam, quam Eccleſiæ Romanæ tribuit à Clemente ipſo conſcriptam fuiſſe, teſtantur ferè omnes antiqui, qui epiſtolæ mentionem fecerunt. Iuſtinus martyr ad orthodoxos reſponſione 74. καθώς φησιν ὁ μακάριος Κλήμης ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῇ. *Sicut ait B. Clemens epiſtola ad Corinthios.* Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum: Αὐτίκα ὁ Κλήμης ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῇ *Clemens in epiſtola ad Corinthios.* Omitto Origenem: περὶ ἀρχῶν libro 2. Euſebium lib. 3. cap. 32. Cyrillum Hieroſolymitanum catecheſi 18: Epiphanium libro 1. aduerſùs Carpocratianos, Baſilium de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 29. Hieronymum in cap. 4. epiſtolæ ad Epheſios, aliosque, qui omnes hanc epiſtolam Clementi tribuunt, in qua ita ad Corinthios ſcriptum reperitur. *Propter calamitates, & caſus aduerſos, qui nobis acciderunt, fratres dilecti, poſtulatis veſtris tardiùs nos animum adieciſſe veremur, & ſeditioni impiæ, ac deteſtandæ inter vos ortæ, Deique electis peregrinæ, & alienæ, quæ paucorum hominum inſolen-*

*tia, & audacia in tantam veſaniam exarſit, vt bonorificum, & illuſtre nomen veſtrum, & ab omnibus amari dignum vehementer blaſphemetur*. Ita Clemens Romanus, manifeſtè indicans, ipſos Corinthios ad Eccleſiam Romanam retuliſſe, & ab ea ſeditionis remedium poſtulaſſe, idque hac epiſtola adferre conatum fuiſſe Clementem, qui ſimul quinque Legatos Corinthum miſit, quorum in fine his verbis meminit: *Miſſos autem à nobis Claudium, Ephebum, & Valerium, Bitonem cum Fortunato in pace, cum gaudio breui ad nos remittite, vt citiùs votis expetitæ, & deſiderandæ veſtræ pacis, ac concordiæ nuntium afferant, & nos de ſtatu veſtro rectè ordinato citiùs gaudeamus*. Hæc multaque alia in epiſtola ad Corinthios Clemens Romanus, ex quibus clarè conſtat, Corinthiacam Eccleſiam non ignobilem Illyrici Metropolim Romanæ Eccleſiæ regimini ſubiectam fuiſſe à tempore Clementis Papæ, qui ſæculo primo Sedem Romæ obtinuit. Quid autem poſt Clementem ab initio ſecundi vſq; ad quarti ſæculi medium in Illyrico contigerit defectu monimentorum Eccleſiaſticorum latet, & ignoratur. De ſæculo tamen quarto, de quo antiquitatis monimenta ſuperſunt, conſtat, quod Illyricum ſpeciali iure ad Patriarchatum Romanum ſpectauerit. Id enim demonſtrant Damaſi Papæ, & Syricij epiſtolæ à Luca Holſtenio publicatæ, quibus vices ſuas per Illyricum Acholio, & Anyſio Acholij ſucceſſori Theſſalonicenſibus Epiſcopis tribuerunt.

4. Meminit Damaſi, & Syricij Innocentius I. epiſtola 4. ad Anyſium: *Cui*, inquit, *etiam anteriores tanti, ac talis viri prædeceſſores mei Epiſcopi, ideſt ſanctæ memoriæ Damaſus, Syricius atque ſupramemoratus vir ita detulerunt, vt omnia, quæ in omnibus illis partibus gererentur, ſanctitati tuæ, quæ plena iuſtitia eſt, traderent cognoſcenda*. Clariùs ſe explicat idem Innocentius Primus ad Anyſij ſucceſſorem Rufum epiſtola 5. *Ita longis interuallis diſterminatis à me Eccleſijs diſcat conſulendum, vt prudentiæ grauitatique tuæ committendam curam, cauſaſque, ſi quæ exoriantur per Achaiæ, Theſſaliæ, Epiri veteris, Epiri nouæ, & Cretæ, Daciæ mediterraneæ, Daciæ ripenſis, Mœſiæ, Dardaniæ, & Præuali Eccleſias Chriſto Domino annuente cenſeam. Verè enim eius ſacratiſſimis monitis lectiſſimæ ſinceritatis tuæ prouidentiæ, ac virtuti banc iniungimus ſolicitudinem: non primitus bæc ita ſtatuentes, ſed prædeceſſores noſtros Apoſtolicos imitati; qui beatiſſimis Acholio, & Anyſio iniungi pro eorum meritis iſta voluerunt*. Cauſas Illyrici committunt Romani Pontifices Damaſus, Syricius, & Innocentius I. Theſſalonicenſibus Epiſcopis, vt Apo-

Apoſtolicæ Sedis vice ipſi iudicarent, ſignum manifeſtum Patriarchici iuris per Illyricum. Vnde & Bonifacius I. ad Rufum Theſſalonicenſem, epiſtola 7. *Te ergo frater chariſſime omnis cura reſpectat earum Eccleſiarum, quas tibi vice Sedis Apoſtolicæ à nobis creditas recognoſces: vt & praua corrigas, & diſſipata componas, & ſi quæ inter Epiſcopos eueniant cauſæ, ſub diuini iudicij timore diſtinguas: vt creditis tibi à Sede Apoſtolica gubernaculis contra omnes fluctus naſcentium procellarum iuſtè, & prudenter vtaris.* Et Cæleſtinus epiſt. 13. ad Epiſcopos per Illyricum conſtitutos. *Rufo*, inquit, *vicem noſtram per veſtram Prouinciam noueritis eſſe commiſſam, ita vt ad eum fratres chariſſimi, quidquid de cauſis agitur, referatur, ſine eius conſilio nullus ordinetur, nullus vſurpet eodem inconſcio commiſſam illi Prouinciam: colligere niſi cum eius voluntate Epiſcopos non præſumant.* Ferè eadem repetit Xiſtus Pontifex epiſt. 15. ad vniuerſos per Illyricum Antiſtites, & epiſt. 17. ad eoſdem ſcribens: *Illyricanæ omnes Eccleſiæ, vt à deceſſoribus noſtris recepimus, & nos quoquè fecimus ad curam nunc pertinent Theſſalonicenſis Antiſtitis, vt ſua ſollicitudine, ſi quæ inter fratres naſcantur, vt aſſolent, actiones diſtinguat, atque definiat, & ad eum quidquid à ſingulis ſacerdotibus agitur, referatur, ſit Concilium quoties cauſæ fuerint, quoties ille pro neceſſitatum emergentium ratione decreuerit.* Eadem habet ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Leo I. epiſt. inter Holſtenianas 24. vti & 25. ad Epiſcopos Metropolitanos per Illyricum.

5. Ex his autem omnibus Stephanus Lariſſæ Metropolita, cum inuitus traheretur ad Epiſcopi Conſtantinopolitani tribunal, collegit, non Conſtantinopolitano, ſed Romano tanquam Patriarchæ ſeſe eſſe ſubiectum. Refert itaque ſe dixiſſe ad Legatum Conſtantinopolitani Epiſcopi. *Si oportet me ad aliquem accuſantem reſpondere, aut de mea accuſatione aliquid iudicare, non ſub eo, qui nunc iudicare dignatur, cauſam me dicere neceſſe eſt, ſed alibi apud quem ſacrorum canonum lex cuſtoditur, & vſque hactenus conſuetudo ſeruatur: memoriam faciens veſtri ſancti capitis, & Apoſtolicæ Sedis dicens, vos eſſe dominos huius examinationis, ſupplicans nihil noui in me debere fieri, aut quod poteſt benè compoſita diſturbare.* Nouerat poteſtatem, quam Theſſalonicenſibus Epiſcopis per Illyricum commiſerant Pontifices, ipſis Pontificibus competere, & exinde agnoſcit ſpecialem iuris Patriarchici in iſtas Eccleſias poteſtatem, rogatque Bonifacium II. vt leges, & ſtatuta Sedis Apoſtolicæ curet ſeruari: *In omnibus quidem Eccleſijs*, inquit, *præcipuè autem in veſtra Illyricana Prouincia cuſto-*

*ſtodire*. Ita ſcribit ad Bonifacium II. Stephanus Lariſſæ Metropolita, quod his verbis in Synodo ſub Bonifacio II. Romæ habita quoquè profeſſus eſt, miſſus per Stephanum, Theodoſius Echinienſis Ciuitatis Epiſcopus. *Conſtat venerandos Sedis Apoſtolicæ Pontifices præter curam vniuerſalem totius Eccleſiæ. Specialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vindicaſſe*. Quibus verbis, vt rectè annotat Lucas Holſtenius in libro ſumptibus Alexandri VII. cum approbatione S. Palatij Magiſtri, & ſtudio Eminentiſſimi Cardinalis Barbarini nuper Romæ edito, poteſtatem Romano Epiſcopo attribuit: *Tanquam peculiari Patriarchæ totius Eccleſiæ Occidentalis ad cuius Diœceſim Illyrici quoquè Eccleſiæ pertinerent*.

6. Si ab Illyrico, quod Orientem reſpicit, in Hiſpaniam, quę ad occaſum ſita eſt, oculos conuertamus, reperiemus tertio ſæculo Baſilidem Legionenſem Epiſcopum ab Hiſpanię Synodo damnatum ad Sedem Apoſtolicam confugiſſe, vt Stephani Epiſcopi auctoritate Sedi ſuæ reſtitueretur. Ne verò quiſquam obijciat D. Cypriani epiſtolas, quas hac de re ad Clerum, & Hiſpaniæ plebem miſit, audiendus eſt Cyprianus, dum ſcribit, non tam culpandum eſſe illum, cui negligenter obreptum eſt, quam huic execrandum, qui fraudulenter obrepſit. Non igitur appellationem Baſilidis, ſed fraudulentiam, qua Stephanum rei, ac tacitæ veritatis ignarum feſellit, arguendam putauit Cyprianus, poſt cuius ætatem Sedes Apoſtolica Hiſpanorum Epiſcoporum cauſas ad ſe ſpectare ſępiùs oſtendit. Sic enim Innocentius I. epiſtola ad Synodi Toletanæ Epiſcopos à Sirmondo edita teſtatur, Hilarium Coëpiſcopum cum Elpidio presbytero maiores Hiſpaniæ cauſas ad Sedem Apoſtolicam retuliſſe; ideòque ſe iubere, vt Ioannis Epiſcopi cauſa examinetur, & Gregorij Emeritenſis Epiſcopi querela audiatur, vt ſi contra meritum ſuum paſſus iniuriam, in inuidos honoris alterius vindicetur. Sic quoquè Hilarius Papa anno 465. cauſam Siluani Calagurenſis Epiſcopi, quam Aſcanius, & vniuerſi Tarraconenſis Prouinciæ Epiſcopi duabus epiſtolis ad ipſum retulerant, edito ad ipſos reſcripto diiudicauit: additque cap. 5. *Vt autem omnia ſecundùm hæc, quæ ſcripſimus, corrigantur, præſentes litteras Traiano ſubdiacono noſtro veniente, direximus*. Plura ſunt, ex quibus monſtrari poteſt, Romanos Epiſcopos poteſtatem iudicandi Hiſpanorum cauſas exercuiſſe. Sed ne æquo longiores ſimus, ſufficiet adnotaſſe, Simplicium Papam Vicariam Sedis ſuæ authoritatem Zenoni Hiſpalenſi Epiſcopo commiſiſſe: quod Hormiſda aliquot poſt annos imitatus Saluſtio per Bæticam, & Luſitaniam Prouincias tribuit. *Vices itaque* 

*no-*

*noſtras*, inquit, *per Bæticam, Luſitaniamque prouincias, ſaluis priuilegijs, quæ Metropolitanis Epiſcopis decreuit antiquitas, præſenti tibi auctoritate committimus, augentes tuam huius participatione miniſterij dignitatem, reuelantes noſtras eiuſdem remedio diſpenſationis excubias*. Et poſt plurima ſæcula Vrbanus II. epiſtola ad Tarraconenſem, & cæteros Hiſpaniæ Epiſcopos ſignificans ſeſe Toletanum Archiepiſcopum totius Hiſpaniæ Primatem inſtituiſſe; vt de Hiſpanicarum Eccleſiarum cauſis, quas Apoſtolica Sedes ob Prouinciarum diſtantiam per ſe diiudicare non poterat, ipſe diiudicaret. *Toletanum ſiquidem Archiepiſcopum*, inquit, *priuilegij noſtri auctoritate primatem in totis Hiſpaniarum Regnis fore decreuimus, ſalua Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Metropolitanorum priuilegijs ſingulorum. Si quid igitur inter vos graue contigerit, quia ab Apoſtolica Sede procul eſtis, ad eum velut Primatem veſtrum omnium recurretis: eiuſque iudicio, quæ vobis ſunt grauia, terminabitis. Quod ſi quid fortè ipſius quoquè iudicio nequiuerit definiri, ad Apoſtolicam Sedem, vt dignum eſt, velut Sedium omnium principem referetur*.

7. De Anglia habemus præclarum exemplum in Vvilfrido eiuſdem regionis Epiſcopo, qui à iudicio Theodori Cantuariorum Archiepiſcopi ad Agathonem Romanum Pontificem appellauerat, *Dudum enim*, inquit Ioannes Papa V. in epiſtola ad Ethelredum Merciorum Regem, *ſub Apoſtolicæ memoria Agathone Papa, cum Wilfridus Epiſcopus pro ſua cauſa Sedem hanc appellaſſet, & accuſatores à Theodoro ſanctæ Cantuariorum Eccleſiæ Archiepiſcopo hinc illuc mandato, & ab Hilda religioſæ memoriæ Abbatiſſa miſſi veniſſent, Epiſcopi tunc hìc de diuerſis partibus congregati rem regulariter quæſierunt, & definierunt, eandemque ſententiam ſucceſſores eiuſdem Pontificis prædeceſſores noſtri tenuerunt. Sed neque Theodorus Archiepiſcopus obuiaſſe cognoſcitur, qui nunquam poſtmodùm aliquam huc accuſationem demandauit*. Et infrà: *Idcircò commonemus Berthvvaldum Archiepiſcopum fratrem noſtrum, vt Synodum conuocet, vnà cum Wilfrido Epiſcopo, & Boſam, atque Ioannem in Synodum faciat conuenire, voceſque partium audiat, & conſideret, quid ſibi inuicem partes valeant approbare: & ſiquidem apud illam Synodum potuerit rem determinare, gratum erit nobis; ſin autem maneat eos ad Sedem Apoſtolicam accurrere, vt maiori Concilio decidatur, quod hactenus terminari non potuit*. Plura hac de re habentur apud Spelmannum Tomo 5. Conciliorum Angliæ ad annum 705. Ex quibus colligere licet, hanc Vvilfridi cauſam iuſſu Sedis Apoſtolicæ finitam fuiſſe,

quod

quod Beda lib. 5. hiſtoriæ Anglorum cap. 20. affirmat. Vnde ex hoc Vvilfridi facto patet, ante tempora Venerabilis Bedæ Romanos Pontifices Anglorum Epiſcoporum cauſas ſibi vendicaſſe, vt beatus Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus epiſt. 3. ad Alexandrum Papam non immeritò ſcripſerit, ex Bedæ hiſtorijs conſtare, *Epiſcopos quoſdam quoquè exigentibus culpis, ab eis*, nimirum Eboracenſis Eccleſiæ Metropolitis *cum Romanæ Sedis auctoritate depoſitos*. Vbi notanda ſunt verba, *cum Romanæ Sedis auctoritate*. Abſque illa enim non licuiſſe in Anglia deponere Epiſcopos, iudicabat B. Lanfrancus, qua de re etiam ſcripſerat ad Henricum Regem, & Epiſcopos Angliæ Paſchalis II. *Vniuerſum ſiquidem terrarum orbem Dominus Magiſter noſter ſuis diſcipulis diſpertiuit: ſed Europæ fines Petro principaliter commiſit, & Paulo, nec per eorum tantùm, ſed per ſucceſſorum diſcipulos, ac Legatos, Europæ vniuerſitas conuerſa eſt, & confirmata. Vnde vſque ad nos licèt indignos eorum Vicarios, hæc conſuetudo peruenerit, vt per noſtræ Sedis Vicarios grauiora Eccleſiarum per prouincias negotia pertractarentur, ſeu retractarentur: vos autem inconſultis nobis etiam Epiſcoporum negotia definitis &c.* Vbi demonſtrat Paſchalis Papa, Epiſcoporum negotia Romano Pontifice inconſulto ab Anglis definiri non poſſe, ipſiſque niſi auctoritatem Sedis Apoſtolicæ agnoſcant, excommunicationis minatur ſententiam.

8. De Gallicana Eccleſia illuſtre, & antiquum planè teſtimonium habetur occaſione Martiani Arelatenſis Epiſcopi, quem ſæculo tertio fraterno Epiſcoporum Collegio inſultantem Fauſtinus Lugdunenſis alijque plures Galliarum Epiſcopi apud Stephanum Papam accuſarunt, ad quem Cyprianus quoquè per litteras Gallicanorum Antiſtitum de Martiani inſolentia certior factus ſcripſit epiſt. 67. *Fauſtinus Collega noſter Lugduni conſiſtens, ſemel atque iterum mihi ſcripſit, ſignificans ea, quæ etiam vobis ſcio vtique nuntiata tam ab eo, quàm à cæteris Coëpiſcopis noſtris in eadem prouincia conſtitutis, quòd Martianus Arelatæ conſiſtens Nouatiano ſe coniunxerit, & à Catholicæ Eccleſiæ vnitate atque corporis noſtri, & Sacerdotij conſenſione diſceſſerit &c..... Quapropter te facere oportet pleniſſimas litteras ad Coepiſcopos noſtros in Gallijs conſtitutos, ne vltra Martianum peruicacem, & ſuperbum, & Diuinæ pietatis, ac fraternæ ſalutis inimicum Collegio noſtro inſultare patiantur.* Et infrà: *Dirigantur in prouinciam, & ad plebem Arelatæ conſiſtentem à te litteræ, quibus abſtento Martiano alius in locum eius ſubſtituatur.* Ad quæ D. Cypriani verba Archiepiſcopus Pariſienſis de Marca lib. 1. cap. 10. §. 8. *De-*

*cernendi, & pronuntiandi de re propoſita iuxta ſententiam Gallicanorum, & Africanorum Epiſcoporum poteſtas Romanæ Eccleſiæ aſſeritur, eique pleniſſima executionis cura demandatur.* Rationem adiungit D. Bailius Prœnitentiarius Pariſienſis in additione ad Summam Conciliorum ſub Concilio Lugdunenſi anno 258. hac de re celebrato: *Quòd Epiſcopi eum non deiecerint de gradu, id factum eſt, quòd eſſet Metropolitanus, cuius depoſitio ad ſummum Pontificem ſpectabat, vt notat Baronius.* Loquuntur hi authores cum Damaſo Papa, & Romana ſub ipſo Synodo, vtpote cuius à Gratiano Imperatore firmata conſtitutio habet de Epiſcoporum cauſis, vt ad præcipuum examen deducantur, *vel ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſariò, vel ad eos, quos Romanus Epiſcopus iudices dederit, ſine dilatione contendat.* Vnde Leo I. epiſt. 84. capite 1. Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopũ ſuum in Illyrico Vicarium durè excepit, quòd abſque ſua ſententia Atticum Nicopolitanum Epiſcopum, & veteris Epiri Metropolitam in contumaciam degradaſſet. *Et ſi tale quid mereretur Atticus, expectandum tibi fuerat, quid ad tua conſulta reſcriberemus.* Et infrà: *Etiam ſi quid graue, intolerandumque geſſiſſet, noſtra erat expectanda cenſura; vt nihil priùs ipſe decerneres, quàm quid nobis placeret, agnoſceres. Vices enim noſtras ita tuæ credimus charitati, vt in partem ſis vocatus ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Metropolitarum degradationes (ſubdit Lupus) Sedi Apoſtolicæ affirmat reſeruatas adeò priuatiuè, vt etiam à tanto eiuſdem Sedis Vicario non poſſent attentari.

9. Quod Leo I. de Epiſcopis per Illyricum conſtitutis epiſtola ſuperiùs memorata ſignificat, hoc in Gallia, & reliquis Occidentis Prouincijs locum habere debuiſſe author ille, qui decretales ſummorum Pontificum epiſtolas ſuppoſuit, non vno, ſed pluribus locis affirmat. Affirmat autem graui nixus fundamento, quod iuri Patriarchali innititur: conſtat enim de Patriarchatu Alexandrino, nullum Metropolitam, ſed neque alicuius Aegyptiacæ ciuitatis Epiſcopum ſine aſſenſu Patriarchæ deponi potuiſſe. Vnde Tilpinus Rhemenſium Metropolita meritò apud Hadrianũ Primum conqueſtus eſt, anteceſſorem ſuum S. Rigobertum fuiſſe nuper ſine Sedis Apoſtolicæ interrogatione, & conſenſu deiectum, petens id non ampliùs fieri, ſed canones ſeruari. Et Hincmarus Rhemenſis animaduertens, Ebbonem Tilpini poſt Vvlfarium ſucceſſorem à Synodo abſque præuio Sedis Apoſtolicæ conſenſu fuiſſe depoſitum; cauſam inde arripuit agendi apud Benedictum III. & Nicolaum I. vt ſtatuerent, nullum deinceps Rhemenſem Metropolitam ſine præ-

uio Sedis Apoſtolicę conſenſu poſſe deponi. Id verò omninò impetraſſe Hincmarum, pluribus probat Chriſtianus Lupus part. 4. ad can. 3. Dictatus Gregorij Septimi, vbi habet ſequentia: Ab
,, Hincmari igitur tempore o-
,, mnes Gallicani Metropolitæ
,, ſpectauerant ad ſolum Roma-
,, næ Eccleſiæ iudicium, quòd
,, eorum negotia eſſe de maio-
,, ribus Eccleſiæ cauſis admitte-
,, ret tunc omnis Gallicana Syn-
,, odus, habes ex litteris Nico-
,, lai I. quod ipſum lucidè profi-
,, tetur Hincmarus, & Octaua
,, Synodus ſtatuit, nullum dein-
,, ceps Metropolitam iudicari à
,, vicinis Metropolitis, ſed à ſo-
,, lo Patriarcha. Canon à Lupo laudatus eſt ordine 26. ſtatuens hiſce verbis: *Inſuper etiam nullo modo quiſquam Metropolitanorum, vel Epiſcoporum à vicinis Metropolitis, vel Epiſcopis Prouinciæ ſuæ iudicetur, ſed à ſolo Patriarcha.*

10. Notanda autem ſunt canonis verba, non ſolùm enim agunt de Metropolitis ſed etiam de Epiſcopis, ſtatuuntq; Patres Synodi Octauæ, ne quidem Epiſcopos à Metropolitis deponi poſſe, ſed cauſam eorum ad Patriarcham ſpectare. Occaſionem huic ſtatuto dediſſe videtur Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, qui contra Hincmarum Rhemenſem probandum ſuſceperat, nec ſe, nec alium Galliarum Epiſcopum ſine Romani Epiſcopi ſententia in Synodo Prouinciali dijudicare potuiſſe. Id quod locum habuit poſt ſupradictum Synodi Octauæ ſtatutum: ab illo enim tempore ad maiores Eccleſiæ cauſas adeo ſpectare cœpit Epiſcopi degradatio, vt Theoduinus Epiſcopus Leodienſis ad Henricum I. Francorum Regem Brunonem Andegauenſem Epiſcopum degradari volentem ſcripſerit: *Deſperamus id fieri poſſe, cum Bruno exiſtat Epiſcopus: Epiſcopum autem non oportet damnationis ſententiam ſubire præter Apoſtolicam auctoritatem.* Et ad Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum, qui ex legatione Apoſtolica ſibi poteſtatem deponendi Epiſcopos aſſumpſerat, ſcripſit Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Nulla ratione Legatis Apoſtolicæ Sedis conceditur, quod ad ſolius Romani Pontificis pertinet dignitatem.* Concinit canon 3. Dictatus Gregorij Septimi ſtatuens de Romano Pontifice: *quòd ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare.* Hoc ipſum autem per Occidentis Prouincias obtinuit ratione Patriarchatus, qui vltra Primatum vniuerſalis Eccleſiæ Romano Pontifici competebat. Ita enim Hincmarus Metropolita Rhemenſis epiſt. 6. cap. 4. *Sancta Romana Eccleſia, cui ſolicitudo omnium Eccleſiarum in B. Petro Principe Apoſtolorum eſt commiſſa, plures Metropolitanos in ſua ſpeciali Diœceſi habet.* Specialis illius Diœceſis Metropolitas per totum Occidentem, vbi

fides

fides olim floruit, habuit, vt tam ex teſtimonijs Conciliorum,& Patrum, quàm ex factis, & ſcriptis Pontificum hucuſque abundè oſtendimus: itaque certum manet, quod cum peritis noſtri ſæculi in Gallijs Iacobus Sirmondus in libro de Suburbicarijs contra hæreticum Salmaſium, Eminentiſſimus Cardinalis & Galliæ Primas Perronius contra Angliæ Regem, & Pariſienſium Archiepiſcopus de Marca libro 1. contra errores noſtri ſæculi demonſtrarunt, totum Occidentem eſſe ſpecialem, aut Patriarchalem Romani Pontificis Diœceſim.

11. Atque hæc quidem ſufficerent de iure Patriarchico, quod Romani Epiſcopi per vniuerſum Occidentem exercebant, niſi cum Pariſienſium Archiepiſcopo de Marca lib. 1. cap. 4. num. 4. pro huius capitis coronide notandum eſſet, Romanos Epiſcopos Patriarcharum nomine vti non conſueuiſſe, ſed auctoritatem ſuam ſola Sedis Apoſtolicæ appellatione explicuiſſe. Plura huius rei exempla ex allatis hoc capite Romanorum Pontificum teſtimonijs licet eruere, quibus de Marca adiungit locum Gregorij Magni ex libro 11. regeſti epiſtola 56. deſumptum, quo agit de mandato Ioanni defenſori Hiſpanias adeunti impoſito, vt Hiſpanorum Epiſcoporum conatum infringeret, qui Stephani Epiſcopi à Prouinciali Synodo deiecti appellationem à canonibus, & à more Eccleſiarum alienã contendebant. *Contra hæc, ſi dictum fuerit*, inquit, *quia nec Metropolitanum habuit, nec Patriarcham, dicendum eſt, quia à Sede Apoſtolica, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt, cauſa hæc audienda, ac dirimenda fuerat, ſicut & prædictus Epiſcopus* (ſcilicet Stephanus) *petijſſe dignoſcitur, qui Epiſcopos alieni Concilij iudices habuit* ,, *omninò ſuſpectos*. Ex eo Concilio profectum eſt, inquit de ,, Marca, quòd idem Gregorius ,, quatuor Patriarcharum tantùm ,, mentionem facit in epiſtola ,, ad Brunechildem Reginam lib. 7. ep. 5. ,, Francorum, qua eorum ignorantiam percellit, qui à decretis Synodi Chalcedonenſis diſcedebant: *Sed ita illos erroris labes imbibit, vt ignorantiæ ſuæ credentes vniuerſam Eccleſiam, atq; omnes quatuor Patriarchas, non ratione, ſed malitioſa mente tantummodò refugiant*. ,, Nempè quia Sedis Apoſtolicæ ,, principatus eximium aliquod ,, ius, non ſolùm in Occidentis ,, Prouincias, quæ iure Patriarchico ſolius Epiſcopi Romani ſolicitudini patuerunt, ſed ,, etiam in cæteras Orientis Eccleſias, quæ illi vt ſupremo ,, capiti per Patriarchas ſuos connectebantur, obtinebat. Noluit ergo Patriarcha audire ,, Gregorius: ſed etiam non alienum à ſe duxit, iure Patriarchico vti per Occidentis prouincias. Quem morem ſecu-

„ tus eſt Innocentius III. qui „ quatuor Patriarchas numerando, Romanam Eccleſiam intra dignitates illius limites non „ cogit. Hactenus de Marca, cuius obſeruationi pro Romanorum Pontificum cauſa adiungi poteſt, à plurimis ſæculis quatuor Orientis Patriarchas aut hæreſi, aut ſchiſmate, à communione Eccleſiæ fuiſſe ſeparatos, totamque fermè Eccleſiam ex ſolo Patriarchatu Romano conſtitiſſe, ideòque poſterioribus ſæculis non modò ab ipſis Pontificibus, ſed ab omnibus fidelibus ſolum Pontificium nomen vſurpatum, vel cognitum fuiſſe.

# CAPVT QVINTVM.

## *Num contra Romanum Epiſcopum creari poſſit alius in Occidente Patriarcha? & quid ea de re ſentiat Gallicana Eccleſia?*

1. *Status quæſtionis, num contra Romanum Epiſcopum creari poſſit Patriarcha in Occidente? quæ dependet ab illa, vtrùm Pontifex ſit centrum, radix, & caput communionis Eccleſiaſticæ?*

2. *Id Pontificem Romanum eſſe, probatur primò ex Sancto Irenæo.*

3. *Secundò ex duobus Cypriani locis.*

4. *Tertiò ex S. Optato Mileuitano, id firmante Perronio.*

5. *Ex D. Ambroſio, & Synodo Aquileienſi.*

6. *Quintò ex D. Hieronymo, & Damaſo Papa.*

7. *Sextò ex Diuo Auguſtino.*

8. *Septimò ex S. Gelaſio Pontifice.*

9. *Octauò ex Ioanne Patriarcha Conſtantinopolitano.*

10. *Nonò ex Menna Patriarcha Conſtantinopolitano.*

11. *Similiter id probari poſſet ex pluribus alijs, quæ adducunt Perronius, de Marca, & Lupus ad canonem 26. Gregorij VII.*

12. *Decimò ex Cardinali Iuliano Baſileenſis Concilij præſide.*

13. *Demùm ex Pio II. in Conuentu Mantuano.*

14. *His præmiſſis de centro communionis Eccleſiaſticæ, concluditur, abſque ſchiſmate non poſſe conſtitui alium in Occidente Patriarcham contra Romanum Pontificem, idque probatur ex Leone Magno, Adriano I. & S. Optato.*

15. *Hinc omnis Orthodoxa Eccleſia abhorret Patriarchæ contra Romanum in Occidente creationem, uti nuperrimè oſtendit Gallia contra Optati Galli de cauendo ſchiſmate libellum.*

16. *Adferuntur acta Synodi Pariſienſis hac de re edita anno 1640.*

17. *Actis illis ſubſcripſerunt quoquè Galliæ Antiſtites tunc temporis in Vrbe Regia reperti, quorum nomina adferuntur.*

18 *Vltra hos plerique Galliæ Doctores, ſignanter de Marca, & Habertius oppugnarunt eundam Optati libellum.*

19. *Habertius quoquè ſuſtinuit cauſam Cardinalis de Richelieu, quem Optatus de Patriarchatus ambitione inſimulauerat.*

20. *Defenſionem quoquè eius ſuſcepit D. de Marca ſcripto ea de re ad inſtantiam Regis Galliæ edito.*

21. *Porrò ob propulſatam à Cardinali calumniam, de Marca defendit ſuum opus contra animaduerſiones Lucæ Holſtenij, vt paucis indicatur.*

1. CVM nunquam Sedes Apoſtolica conſenſura ſit, ius ſuum minui, quod à Chriſto in Orbem vniuerſum ex Apoſtolico inſtituto ſpecialiter in Occidentem obtinuit, & in hunc vſque diem

diem exercuit, quinimò omnibus eorum conatibus obſtitura ſit, qui ius Pontificium, aut Patriarchale inuadere contendent, illoſque comminatorijs litteris, cenſuris Eccleſiaſticis, & vbi opus indicabit, excommunicationis vinculo innodatos, etiam à communione Catholica ſeparare non omittet: videndum eſt, num abſque ſchiſmate contra Romanum Epiſcopum aliud ſpeciale caput in Occidente poſſit conſtitui. Omitto quorumdam Pragmaticorum errores infrà attingendos, contra quos vnicum ſufficit fundamentum toto orbe Catholico, ac præcipuè in Gallijs, & Sorbona Pariſienſi quotidiè decantari ſolitum; quòd nimirum totius communionis Eccleſiaſticæ centrum, radix, fons, & caput ſit Sedes Apoſtolica, vt qui illi non communicet, ſit ramus, riuulus, membrum ab vnitate Eccleſiæ diuiſum, ideòque extra vnam Eccleſiam, in qua ſalus reperitur, conſtitutum.

2. Huius indubitatæ veritatis teſtimonium præbet ad ſæculi 2. finem S. Irenæus Lugdunenſis in Gallia Epiſcopus, qui libro 3. contra Valentinianum cap. 3. de Romana Eccleſia ſermonem inſtituens: *Ad hanc enim Eccleſiã* (inquit) *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoceſt eos, qui ſunt vndique, fideles*. Si omnes conuenire ſit neceſſe propter principalitatem Romanæ Eccleſiæ, quis non videt ſanctiſſimum illum Gallicanum Antiſtitem in Romano Epiſcopo caput agnouiſſe Catholicæ Eccleſiæ, ſub quo omnes fideles vniri debent, vt menbrum ſit mortuum, & ab vnitate præciſum, quod à ſuo capite contingit eſſe ſeparatum?

3. Secundus eſt S. Cyprianus Carthaginenſis in Africa Epiſcopus circa medium ſæculi tertij ſcribens ad S. Cornelium Pontificem epiſt. 45. quòd Romam nauigantes admonuerit, & adhortatus ſit, *vt Eccleſiæ Catholicæ radicem, & matricem agnoſcerent, & tenerent*. Et lib. de vnitate Eccleſiæ oſtenſurus, quàm neceſſarium ſit fidelibus radicem, & matricem illam tenere, refellit quorumdam ſchiſmaticorum errorem, qui ſeſe à Sede Apoſtolica ſeparantes credebant, ſe in vnitate Eccleſiæ manere: *Qui Eccleſiæ* (inquit) *renititur, & reſiſtit; qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit; in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Notandum autem, hanc eſſe genuinam D. Cypriani lectionem: non ſolùm enim reperitur in ſex codicibus Anglicanis ab auctore editionis Oxonienſis citatis, in duobus codicibus Vaticanis, codice M.S. Cambronenſi, quo vſus eſt Pamelius, Codice Bauarico, quò vſus eſt Gretſerus, Codice M.S. Marcelli II. quẽ vidit Onuphrius Panuinius; ſed etiam apud Gratianum diſt. 93. capite 3. apud Iuonem Carnotenſem parte 5. capite 361. apud Cardinalem Deuſdedit

dedit in collectione m. s. parte 1. cap. 216. & apud Pelagium II. in epiſtola 6. ad Hiſtriæ Epiſcopos ante 1100. fermè annos conſcripta.

4. Tertius eſt S. Optatus Mileuitanus Epiſcopus ſæculo 4. libro 2. contra Parmenianum Donatiſtarum Carthaginenſem Epiſcopum. Eccleſiæ Catholicæ primam notam ait eſſe vnicam cathedram, & de illa vbi ſit, *ignorantia tibi adſcribi non poteſt* (inquit ad Parmenianum, & pergit) *Igitur negare non potes ſcire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent; vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens* &c. vſque ad Siricium. *Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum in vna communionis ſocietate concordat.* Ex quo ad Angliæ Regem volentem, in primitiua Eccleſia vſum fuiſſe litterarum formatarum, per quas vndique communionē exercebant Epiſcopi, reſpondet Cardinalis Perronius cap. 26. id quidem eſſe verum: *at centrum communionis, huiuſque vnitatis Eccleſiaſticæ, quæ exercebatur, ſeruabaturque commercio formatarum, erat Sedes Apoſtolica, & Eccleſia Romana.*

5. Quartus eſt S. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus narrans de fratre ſuo Satyro, quòd cum veniſſet in quandam Inſulæ Sardiniæ vrbem, petierit ab Epiſcopo loci, num communicaret Epiſcopo in Sede Romana conſtituto? *Percontatuſque eſt ex eo, vtrùm cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Romana Eccleſia conueniret?* Et ipſe Ambroſius cum Synodo Aquileienſi anno 381. in epiſtola Synodica ad Gratianum Imperatorem: *Totius Orbis Romani caput Romanam Eccleſiam, atque illam ſacroſanctam Apoſtolorum fidem ne turbari fineret, obſecranda fuit clementia veſtra; inde enim in omnes venerandæ communionis iura dimanant.* Edita eſt epiſtola à Sirmondo in appendice ad Codicem Theodoſianum.

6. Quintus eſt D. Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum Papam: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt cathedræ Petri communione conſocior. Supra illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.* Et infrà: *Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum; quicumque tecum non colligit, ſpargit.* Ac ſi diceret, neminem in Catholica vnitate conſtitu-

ſtitutum, niſi communionem Apoſtolicæ Cathedræ obtineat. Quod idem ſatis apertè inſinuat Damaſus Papa in epiſtola ad Paulinum Antiochenum publicata per Lucam Holſtenium, vbi ſe fidem Apoſtolicæ Sedis tranſmittere inſinuat, cui ſubſcribere deberent volentes *Eccleſiæ copulari*, *id eſt* (inquit) *nobis per te voluerint ſociari*. Vbi vides, communionem Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis promiſcuè ſumi, & conſequenter Apoſtolicæ Sedis communionem adeò neceſſariam iudicari, vt Eccleſiæ communionem non habeat, qui illa careat.

7. Sextus Diuus Auguſtinus Hipponenſis in Africa Epiſcopus epiſt. 262. vbi docet, Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum potuiſſe non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, dum videret ſe communicatorijs litteris vnitum Sedi Apoſtolicæ, illicque de communionis iure agitandum negotium, vt ſi quorumdam peruerſitas innoteſcat in ſancto tribunali, *miſſa tractatoria ſuper eorum nomine, per totum orbem terrarum, quacumque iam Chriſti Eccleſia dilatata eſt, ab omnibus Eccleſijs eorum vnio præcidetur*. Nimirum, ſicut Concilium Aquileienſe docuerat, à Sede Apoſtolica in omnes venerandæ communionis iura dimanare; ita & teſtatur Auguſtinus, ortam à Sede illa excommunicationis ſententiam toto terrarum orbe locum habere debere.

8. Septimus S. Gelaſius Papa ſæculò 5. in Tractatu contra Græcos edito per Iacobum Sirmondum in appendice ad Codicem Theodoſianum, & inſerto per Philippum Labbeum Tom. 4. Conciliorum, vbi ait, à Chriſto Petrum fuiſſe electum, *vt capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio, & vna monſtraretur compago corporis Chriſti, quæ ad vnū caput glorioſiſſima dilectionis ſocietate concurreret; & vna eſſet Eccleſia, cui fideliter crederetur, vnaque domus vnius Domini, & vnius Redemptoris, in qua de vno pane, & de vno calice nutriremur*.

9. Sanctus Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſtola ad Hormiſdam Pontificem: *Promittentes in ſequenti tempore* (inquit) *ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, id eſt in omnibus non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria*. Vbi communionem Eccleſiæ Sedi Apoſtolicæ ſatis patenter attribuit.

10. Nonus Mennas pariter Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Concilio Conſtantinopolitano anno 536. alloquendo integram Synodum: *Nos*, inquit, *ſicut charitas veſtra nouit, Apoſtolicam ſedem ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatores communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa & nos condemnamus*.

11. Si-

11. Similia ſæculo nono declarauit Concilium Tricaſſinum in Gallia per Hincmarum Metropolitam Rhemenſem: & oſtendi poſſet ex pluribus alijs. Sed relicta teſtimoniorum multitudine, quæ videri poſſunt apud Eminentiſſimum Cardinalem Perroniũ contra Angliæ Regem cap. 26. Pariſienſem Archiepiſcopum de Marca lib. 1. in opere de Sacerdotij, & Imperij concordia, & Chriſtianum Lupum parte 4. ad hunc canonem 26. DictatusGregorij VII. quòd *Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Eccleſiæ*: vnum, aut aliud teſtmonium adiungemus ex ſubſequentibus ſæculis.

12. Decimus itaque eſt Iulianus Cardinalis Præſes Concilj Baſileenſis, qui in Flauianenſi cum Aenea Syluio colloquio, ſuam ad Apoſtolicam Sedem conuerſionem his verbis enarrat: *Vero matris lacte nutritus ad ſontem veri perueni, quem ſancti Doctores Græci, & Latini oſtendunt, quorum vna vox eſt, ſaluari non poſſe, qui ſanctæ Eccleſiæ Romanæ non tenet vnitatem: omneſque illas virtutes mancas eſſe ei, qui ſummo Pontifici obedire recuſat, quamuìs in ſacco, & cinere iacens dies & noctes ieiunet, & oret, & in cæteris videatur legem implere: quia melior eſt obedientia, quàm victimæ, & omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt: & Romanum Præſulem in Eccleſiæ vertice conſtitutum eſſe conſtat, à quo nullam ex ouibus Chriſti exemptã nouimus*. Mouerunt hæc ita Aeneam Syluium, vt iam Pius II. in bulla retractationis teſtetur, *Hæſerunt pectori noſtro verba viri*. Et notanda ſunt verba Iuliani: *Græci, & Latini, quorum vna vox eſt, ſaluari non poſſe, qui Sanctæ Romanæ Eccleſiæ non tenet vnitatem*. Quo teſtimonio nullum luculentius dari poteſt, aut deſiderari.

13. Demùm in Conuentu Mantuano anno 1459. ipſe Pius II. in reſponſo ad orationem Guilelmi Pariſienſis Epiſcopi, quod ex tomis Lucæ d'Acherij inſeruit tomo 13. Conciliorum Philippus Labbeus: *Eccleſia* (inquit) *vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento ſœcunditatis extenditur: quomodo multi radij ſolis ſunt, ſed vnum lumen; & rami arboris multi ſunt, ſed robur vnum tenaci radice ſundatum; & quomodo de ſonte vno riui plurimi defluunt, & numeroſitas licèt diffuſa videatur exundante copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; à fonte præcide riuum, præciſus decreſcit. Sic Eccleſia Dei luce perfuſa per totum orbem radios ſuos porrigit: vnum tamen caput eſt, & vna origo, & vna mater Eccleſia, quæ incorrupta vnam domum nouit,*

*vnius*

*vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, & habere non poteſt Deum patrem, qui Romanæ Sedis, quæ vniuerſalem Eccleſiam virtute complectitur, non tenuerit vnitatem.* Ita Pius II. in celeberrimo Europæ conuentu, plures Patrum, ac ſignanter D. Cypriani exponens & firmans ſententias.

14. His de centro communionis Eccleſiaſticæ præmiſſis, reſtat videre, quantum ſeſe ab vnione Eccleſiæ alienent, qui contra Romanum Pontificem aliud ſibi caput conſtituunt, ſiue illud ſit ſupremum contra Romani Epiſcopi primatum diuinitus inſtitutum, ſiue illud ſit ſubordinatum contra Romani Epiſcopi Patriarchatum, ex inſtituto Apoſtolico in toto Occidente ius obtinentem. Parum enim refert, quodnam ex hiſce duobus conſtituatur, dummodò contra Sedem Apoſtolicam erigatur: *Neque enim præter petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio*, vt ſcribit Leo Primus epiſt. 57. contra Sedis Conſtantinopolitanæ ambitum, abſque Romani Epiſcopi ſententia tres Exarchatus abſorbentem, & Patriarchatus Orientales iuribus ſuis priuantem. Vnde & Bonifacius Primus epiſt. 9. *Audio Epiſcoporum quoſdam Apoſtolico iure contempto nouum quidpiam contra Chriſti propriè præcepta tentare, cum ſe ab Apoſtolica Sedis, & vt ita dicam veriùs, poteſtate ſeparare nituntur.* Expreſſiùs Adrianus Papa Primus in fragmento epiſtolæ ad Conſtantinum Imperatorem agens de illis Epiſcopatibus, qui ex Patriarchatus Romani Illyricana Diœceſi ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum contradicente Sede Apoſtolica fuerant tranſlati: reſtitui enim eos petit pro vnione peragenda, *vt nequaquam ſchiſma inter concordiã perſeuerare valeat Sacerdotum.* Quòd ſi ſola Prouinciarum in alterius Patriarchatum tranſcriptio introducit ſchiſma, & ab Apoſtolicæ Sedis communione excludit: quid quæſo faciet noua Patriarchatus erectio in Prouincijs Patriarchatus Romani? Memoria repetenda ſunt verba S. Optati libro 2. aduersùs Donatiſtas: *Negare non potes, ſcire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit Apoſtolorum caput Petrus, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent; vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret.*

15. Agnouit hoc ſeparationis malum omnis orthodoxa ſub cælo Eccleſia, illudque deteſtata eſt nuper Eccleſia Gallicana occaſione libelli, cui titulus: *Optatus Gallus de cauendo ſchiſmate.* Dum enim in eo Author præſagium futuri ſchiſmatis ex Patriarchæ per Gallias creatione his verbis auertere

ſtudebat: *Rumor eſt vbique apud nos ſeſe diffundens, vires eundo acquirens, & neſcio quid peſſimi in Eccleſia Gallicana præſagiens, omnia in ſchiſmatis ſtructuram prona eſſe, & antiquiſſimum, ac deuotiſſimum Gallorum in Sedem Apoſtolicam ſtudium, quam difficillimorum temporum turbinibus inconcuſſum iam iam peſſum iri; omnia Patriarcham hoc eſt Papalis dignitatis in Francorum Regno furem, aut laruam perſonare*: malè oluit præſagium illud Galliarum populis propoſitum; & putarunt viri eruditi, ſub ementito cauendi ſchiſmatis titulo authorem illud voluiſſe promouere, vt teſtis oculatus Bailius Pariſienſis Propœnitentiarius his verbis deſcribit Tomo 2. Conciliorum claſſe 5. folio 672. *Auctor libellum euulgauerat ſub prætextu, vt præ ſe ferebat, vitandi ſchiſmatis, ſed reuera vt potiùs illud concitaret ad imitationem Optati, non quidem Mileuitani, ſed alterius, quem D. Auguſtinus libro 2. contra Parmenianum, alijſque locis deplorandi ſchiſmatis caput appellat, nec non ſchiſmaticorum baſiliſcum*. Hinc & libellũ vt ſchiſmatis incentiuũ ita perhorruit Gallicana Eccleſia, vt ſtatim Archiepiſcopus Pariſienſis anno 1640. in Prouinciali ſuo Concilio Pariſijs celebrato illum proſcripſerit, & tanquam nefarium opus fuerit execratus. Extant acta apud D. Bail loco citato, ex quo illa contra quorumdam de Gallicana Eccleſia malè ſentientium opinionem ſubnectimus.

„ 16. Vniuerſis Chriſti fidelibus noſtræ curæ, & regimi-
„ ni commiſſis Archiepiſcopus,
„ & Epiſcopi Pariſienſis Prouin-
„ ciæ ſalutem in Chriſto IESV
„ Domino noſtro. Cum nuper
„ emiſſus in publicum, & per
„ hanc Pariſiorum Vrbem ſpar-
„ ſus fuerit libellus quidam hoc
„ titulo: *Optati Galli de cauen-*
„ *do ſchiſmate ad Illuſtriſſimos*
„ *Eccleſiæ Gallicanæ Primates,*
„ *Archiepiſcopos, Epiſcopos li-*
„ *ber parænęticus* 1640. Quo in
„ libello nefarius, ac ſeditioſus
„ author non modò id ſpectat,
„ vt aſſumpto ſibi magni quon-
„ dam ſchiſmatum oppugnato-
„ ris, euerſoriſque S. Optati A-
„ fri Mileuitani nomine, & ho-
„ neſto tituli ſpecie ſimplicium,
„ & innocentium corda ſeducat:
„ ſed etiam falſis, & iniquis diſ-
„ ſimulationibus conatur Regi
„ Chriſtianiſſimo, & eius mini-
„ ſtris, ac conſiliarijs, nec non
„ Eccleſiæ Gallicanę Præſulibus,
„ atque adeò Gallis omnibus
„ ignominiam conciliare, & ſub
„ ficta quadam ſchiſmatis ſuſpi-
„ cione ciuium animos à reue-
„ rentia & obedientia Chriſtia-
„ niſſimo Regi debita latenter,
„ ac fraudulenter auocare: nos
„ Ioannes Franciſcus de Gondi
„ Dei & ſanctæ Sedis Apoſtoli-
„ cæ gratia primus Archiepiſco-
„ pus Pariſienſis, Leonorius De-

ſtam-

,, ſtampes Epiſcopus Carnotenſis, Nicolaus de Nets Aurelianenſis Epiſcopus, & Dominicus Seguier Meldenſis Epiſcopus, prouincialiter congregati in Archiepiſcopali palatio Lutetiæ Pariſiorum, duximus huic tam exitiali malo, quantum in nobis eſſet, quantumque fieri pro conceſſi nobis à Deo muneris auctoritatiſque ratione maturè occurrendum eſſe, ne tam horrendum virus, & execrandum aliquos ex ijs, quos curæ, & ſolicitudini noſtræ commiſit Deus, occuparet. Quarè peſtiferum & infamem librum à nobis perlectum, & diligenter examinatum damnauimus, damnamuſque tanquam falſum, ſcandaloſum, contumelioſum, pacis publicæ perturbatiuum, Regi Chriſtianiſſimo eiuſque miniſtris, ac Conſiliarijs odium conciliantem, Præſulibus iniurioſum ſub falſo, & per ſummam improbitatem confictio ſchiſmate, cuius per Dei gratiam ne vmbra quidem apud nos vlla eſt, Gallos à legitima obedientia, & ſubiectione auocantem, atque ad factiones, rebelliones, ſeditiones excitantem: ſubditiſque noſtris tam ſcelerati, & pernicioſi libri lectione, & poſſeſſione interdiximus; & quotquot legerint, aut retinuerint, cenſuris eos ac pœnis Eccleſiaſticis obnoxios decreuimus, & decernimus. Actum Lutetiæ Pariſiorum in noſtra Congregatione Prouinciali anno Domini 1640. die Mercurij 28. menſis Martij ſignatum.

,, I. Franciſcus P. Archiepiſcopus Pariſienſis.

,, Leonorius Deſtampes Epiſcopus Carnotenſis.

,, Nicolaus Epiſcopus Aurelianenſis.

,, Dominicus Seguier Epiſcopus Meldenſis.

,, De mandato eorumdem Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum Dominorum Archiepiſcopi, & Epiſcoporum Prouinciæ Pariſienſis. C. Baudoin.

17. An acriùs Galliam defendere, & libellum Optati Galli de cauendo ſchiſmate magis deteſtari potuerint Pariſienſis Prouinciæ Epiſcopi, vix ſcio. Approbarunt interim cenſuram alij Epiſcopi ex omni Gallia tum Pariſijs reperti, vt patet ex his eorum verbis: ,, Nos infraſcripti Archiepiſcopi & Epiſcopi, pro rebus Eccleſiæ Pariſijs agentes ſuperiori cenſuræ ab Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Archiepiſcopo, & Epiſcopis Pariſienſis Prouinciæ confectæ, viſæ &, examinatæ, ſubſcripſimus anno, & die prædictis ſignatum.

,, Andreas Fremiot antiquus Archiepiſcopus Bituricenſis.

,, Cl. de Rebè Archiepiſcopus Narbonenſis.

,, Victor Coadiutor Turonenſis.

,, C. de Noailles Epiſcopus S.
,, Flori.
,, Iacobus Epiſcopus Sagienſis.
,, Henricus Epiſcopus Apamiarum.
,, Gaſpardus Epiſcopus Albienſis.
,, Ludouicus Epiſcopus Mirapicenſis.
,, Le Baron Epiſcopus Valentinenſis, & Dienſis.
,, Iacobus Epiſcopus Xantonenſis.
,, L. de Matignon Conſtantienſis Epiſcopus.
,, Ioannes Epiſcopus Bolonienſis.
,, Gabriel de Beauueau Epiſcopus Nannetenſis.
,, Franciſcus Epiſcopus Auguſtopolitanus Coadiutor Trecenſis.
,, Robertus Epiſcopus Leonenſis.
,, Petrus Archiepiſcopus Autiſſiodorenſis.

18. Galliæ Antiſtites præſagium diſceſſionis à ſummo Pontifice in ſuis partibus imminentis, & conſecrationis noui Patriarchæ Gallicani vnanimiter vt ſomnium quoddam reiecerant: coram Deo, & hominibus declarantes, ne vmbram quidem vllam eſſe ſchiſmatis illius. Vnde & plures Optati Galli libro reſponderunt, & inter alios Archiepiſcopus Pariſienſis de Marca, qui libro 1. cap. 2. §. 3. anonymo Optato de tentata communionis ſeparatione reſpondet: *Quod tentatum fuiſſe, per ſummam impudentiam, & calumniam impoſtor ſuadere nititur*. Et perſpicuè, vt ſolet, Doctor Habertius inter Sorbonicos celeberrimus in libro à ſe edito De conſenſu Hierarchiæ, & Monarchiæ, oſtendit vanas Optati coniecturas de proximo ſchiſmate, & de Patriarcha conſecrando, tum ex perpetua Regum Galliæ erga ſummum Pontificem obſeruantia, tum etiam quòd à multis ſæculis Clerus Gallicus ſummo Pontifici addictiſſimus videatur præcauiſſe, ne quis Epiſcoporum ſupra Galliam Primatum vſurparet, cum in antiquis Concilijs Præſes multitudine ſuffragiorum electus fuerit: *Sic enim in quarto Aurelianenſi anno 541. præfuit Leontius Archiepiſcopus Burdegalenſis præſente Flauio Rotbomagenſi antiquitatis iure potiori, & in quarto Concilio Pariſienſi anno 573. primas tenuit Philippus Archiepiſcopus Viennenſis præſentibus Priſco Lugdunenſi, & Conſtituto Senonenſi*.

19. Addit quoquè defenſionem Eminentiſſimi Cardinalis de Richelieu, quem Optatus de Patriarchatus ambitione accuſauerat, vbi è contra Habertius oſtendit:
,, Eius animum alieniſſimũ fuiſſe
,, ab hac ambitione, vt qui belli, pacíſque tempore maximam ſemper ſummo Eccleſiæ
,, Paſtori reuerentiam, & ſubiectionem exhibuerit, ac exhiberi procurauerit; cum eius

cxhor-

,, exhortationibus Facultas Pariſienſis 1. Decembris an. 1629. ,, decreuerit, vt omnes Baccalaurei propugnationi ſuarum ,, propoſitionũ hoc iuramentum ,, præmitterent: *Proteſtor, me* ,, *nec ſcripturum quicquam*, ,, *quod aduerſetur ſacræ Scripturæ, Concilijs Oecumenicis,* ,, *decretis ſummorum Pontificũ,* ,, *& almæ Facultatis Pariſienſis* ,, *matris meæ, quibus adhæreo,* ,, *& me firmiter adhæſurum* ,, *polliceor*. Totque alia obſeruantiæ ſuæ ad ſummum Pontificem monumenta edidit, vt ,, Vrbanus VIII. epiſtola ad eum ,, miſſa die 23. Februarij anno ,, 1627. maximis cum cumulauerit laudibus, penitùſque diuerſam ab Optato ſe de illo ,, opinionem concepiſſe demonſtret. Hæc ex Habertio contra Optati Galli impoſturas D. Bailius Doctor Pariſienſis.

20. Quæ dicta ſunt de Cardinali Richelio, ad confictam erroneæ opinionis famam per vulgus diſperſam penitùs amouendam, vera eſſe, docet in vita Pariſienſis Archiepiſcopi de Marca ,, Stephanus Baluzius: Menſis ,, Martius, inquit, materiam ,, præbuit nouis de cauendo ſchiſmate, quod præ foribus adeſſe ,, nuntiabat Optatus Gallus. ,, Sub eo namque nomine latere ,, voluit auctor, ſatis alioqui cognitus, ſi laruam illi detrahere ,, liberet. Occaſionem turbandi ,, ſumebat ex editione voluminum de libertatibus Eccleſiæ ,, Gallicanæ, quæ anno ſuperiori prodierant, cura clariſſimi ,, viri Petri Puteani; atque item ,, ex rumore vulgi differentis, ,, eam Cardinali Richelio mentem eſſe, vt omiſſo Epiſcopo ,, Romano Patriarcha in Gallijs ,, conſtituatur. Aiebat præterea, magnum virum in partes tractum promiſſis ingentibus, qui ſcripto defenderet, ,, quæ pro ea cauſa Cardinalis ,, facturus erat. Neq; dubitatur, ,, quin Marcam intelligeret. Cum ,, inuidia hæc grauaret Cardinalem, eodemque telo Rex peti ,, videretur, ad quem omnia ,, Richelij conſilia referri omnes ,, nouerant: Marcæ per Archiepiſcopum Burdegalenſem Regis nomine imperatur, vt aduersùs hunc libellum ſcribat, ,, ſed ea methodo, ne libertates ,, Eccleſiæ Gallicanæ, quas per ,, latus non occultè petebat Optatus, aliquam paterentur ,, iniuriam: quin imò id ſedulò ,, ageret, vt omnes intelligerent, ,, libertates illas nihil detrahere ,, de reuerentia, quæ debetur Romanæ Sedi, quam præ cunctis ,, ſemper nationibus Galli conſtantiſſimè retinuerunt. Suſcepit curam lubens &c. Ex quibus videre eſt, D. de Marca operis ſui occaſionem ex eo ſuſcepiſſe, vt refelleret peruerſos illos de Gallicana Eccleſia rumores, quod & ipſe D. de Marca adnotare non prætermiſit lib. 1. cap. 2. §. 3.

§. 3. vbi expreſsè ait, ſe neceſſitatem communionis cum Romana Eccleſia prætermiſſurum fuiſſe, *niſi famoſus ille libellus, qui huic ſcriptioni anſam præbet, hoc nomine Galliæ magiſtratus in crimen adduceret, quaſi de hac intervertenda vel conſeruanda communione parùm ſoliciti eſſent.* Et inſuper in prolegomenis primis anno 1641. editis, vbi totam ſui operis ſtructuram detegens ait, Gallicanæ Eccleſiæ libertates verſari primùm *in ſuprema Romani Pontificis per Gallias auctoritate*; idque à ſe oſtendi libro primo, *quo*, inquit, *neceſſitas communionis cum Apoſtolica Sede aſſeritur, tum ex eo, quòd Romanus Pontifex ſit caput vniuerſalis Eccleſiæ, tum ex eo quòd ſpecialiter conſtitutus ſit Occidentis Patriarcha, adeòque nullus contra ipſum in Occidente Patriarcha poſſit conſtitui.*

21. Hinc dum periculum erat, quòd libri de Marca ob quaſdam opiniones ſuo loco refellendas à Sede Apoſtolica cenſura notarentur, hoc perſpicuè ad notas Lucæ Holſtenij in fauorem operis ſui vrgebat, quòd pro Sede Apoſtolica contra Pragmaticos docuerit: *Papam præter eum primatum, quo vniuerſæ Eccleſiæ præeſt, ſolum eſſe, & immediatum Occidentis Patriarcham, Regibus verò non competere ius aliquod Epiſcopatum, vel Metropolim inſtituendi, multò minus Patriarchatum.* Nimirum, vt anonymus loquitur in litura Cenſuræ operi D. de Marca præfixa, cum Pragmatici hucuſque docuiſſent, libertates Eccleſiæ Gallicanæ inter alia huic fundamento inniti: *Gallis competere ius eligendi, & conſtituendi ſupremum aliquem Patriarcham, ſi Pontifex Regis rationibus ſe non accomodet*; de hoc, aliiſque ſubdit idem author: *Definitiones illæ copioſiſſimè, & robuſtiſſimè refutatæ ſunt ab auctore adeò felici euentu, vt pleriſque Magiſtratuum ferè iam perſuaſum ſit, eas ab imperitis, aut Eccleſiæ iniquis hominibus poſitas fuiſſe.* Quinimò poſt Archiepiſcopum Petrum de Marca, hoc fuit peritorum in Gallijs effatum, inimicos eſſe Gallicanæ Eccleſiæ, qui hoc titulo eam apud imperitos odioſam reddere conantur.

# CAPVT SEXTVM.

## *Concluſio prædictorum in his poſtremis Diſſertationibus.*

*1. Patriarchatus terminos non eſſe terminos Primatus Pontificij contra Salmaſium oſtendit Sirmondus.*

*2. Repetitur Eccleſiaſtici regiminis inſtitutio:*

*tutiot Petrum conſtitutum Paſtorem vniuerſalis Eccleſiæ, alios conſtitutos Paſtores ſingularum Eccleſiarum, Epiſcopos in Ciuitatibus, Metropolitanos Prouincijs, Exarchos, & Patriarchas in Diœceſibus, per quos ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ cura confluerer.*

*3. Pontificem eſſe Epiſcopum Romæ, Metropolitam Prouinciæ Romanæ, Primatem Italiæ, Patriarcham Occidentis, & Paſtorem vniuerſalis Eccleſiæ.*

1. NE verò quiſquam ex ijs quæ dę Patriarchatus Romani terminis dicta ſunt, cum Græcis ſchiſmaticis, & noſtri ſæculi nouatoribus concludat, poteſtatem Pontificiam Occidentis limitibus coërceri, lubet ſubiungere, quæ eruditus Sirmondus libro de Suburbicarijs cap. 5. Salmaſio hęretico oppoſuit. Cum
,, Epiſcoporum, inquit, in Ec-
,, cleſia quatuor præcipui ſint
,, gradus, qui Synodi Calcedo-
,, nenſis canone 9. & 17. deſi-
,, gnantur: Epiſcopi ſingularum
,, Ciuitatum, Metropolitæ Pro-
,, uinciarum, Primates ſeu Exar-
,, chi Diœceſeon, & qui ſedes
,, propriè dictas regunt Patriar-
,, chæ, conſequenter & hos in-
,, ter ſe gradus ita comparatos
,, eſſe non ignoras, vt ſuperior
,, inferiorem ſemper complecta-
,, tur. Nam qui Metropolita-
,, nus eſt Prouinciæ, idem Epi-
,, ſcopus eſt Ciuitatis ſuæ, & qui
,, primus eſt Diœceſis idem, &
,, Metropolitanus Prouinciæ ſuę
,, & ſuæ item Ciuitatis Epiſco-
,, pus. Atque ita deinceps: Sic-
,, ut, inquit cap. 8., in exerci-
,, tu Imperator, etſi peculiarem
,, cohortis cuiuſpiam, vel alæ
,, præfecturam ſubeat, non eo
,, fit, vt copiarum omnium dux
,, idem & caput eſſe non poſſit;
,, ſic in Eccleſia Catholica, re-
,, clament licèt, terramque cæ-
,, lo miſceant Romanę Sedis per-
,, duelles, vnum eumdemque
,, Pontificem Maximum diuerſis
,, ſacri muneris partes, & perſo-
,, nas ſuſtinere: nulliſque vel
,, tuis, vel aliorum exercitatio-
,, nibus, ac Diatribis effici poſſe,
,, quò minùs is, etſi Pontifex
,, Romanorum Eccleſiæ vt pro-
,, prius præſit Epiſcopus, & Pro-
,, uinciam Romanam vt Me-
,, tropolitanus, Italiam vt Pri-
,, mas, Occidentem regat vt Pa-
,, triarcha; idem tamen vniuer-
,, ſæ ſimul Eccleſiæ ſibi in Petri
,, perſona commiſſæ vt legitimus
,, Petri ſucceſſor clauum teneat.
Ita Sirmondus.

2. Eccleſiaſtici itaque regiminis inſtitutio ita ſe habet, vt Chriſtus Eccleſiam ſuam in terris relicturus, plenam gubernandi poteſtatem vni Petro Matthæi 16. promiſerit, & Ioannis 21. conceſſerit. Cum autem ingens multitudo fidelium requireret, vt particularium Eccleſiarum cura pluribus alijs committeretur, qui vocati eſſent in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, Apoſtolico decreto cautum fuit, vt inter presbyteros Ciuitatis eſſet vnus Epiſcopus, inter Epiſcopos Prouinciæ vnus Metropolita, in-

ter Metropolitas Diœceſeon vnus Exarchus, aut Patriarcha: *Per quos* (inquit Magnus Leo epiſtola 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem) *ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ cura confluerет, & nihil vſquam à ſuo capite diſſideret.*

3. Quamuis enim Apoſtolorum Princeps Petrus Romæ ſederit, eiuſdemque Vrbis Epiſcopatum ſibi retinuerit, in quo ipſe, eiuſque ſucceſſores Romani Epiſcopi presbyteros, diaconos, cæteroſque clericos ordinarent, chriſma conficerent, & reliqua Epiſcopatus munia obirent: licèt ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus ſeruauerit Archiepiſcopatum Prouinciæ Romanæ, quæ decem regiones Italiæ complectebatur, in quibus Epiſcopos conſecrare, Concilia Prouincialia conuocare, cæteraque Metropolitanorum munia exercere poſſent: etiamſi ſibi retinuerit Primatum, aut Exarchatum Italiæ, in qua non ſolùm Epiſcopos, ſed etiam Metropolitas ipſe, eiuſque ſucceſſores conſecrarit: quamuis demùm Patriarchatum totius Occidentis ſuis ſucceſſoribus reliquerit, vt Occidentis Eccleſias inſtituerit, cum teſte Innocentio Primo *manifeſtum ſit, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpaniam, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi aut quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes*; vnde idem Innocentius concludit, ex toto Occidente ad Petri Sedem tanquam ſpeciale caput maiores cauſas referri debere, conſequiturque, cunctos Occidentis Metropolitas quoad ordinationem Romano Pontifici ſubeſſe: quamuìs, inquam, hos omnes Hierarchiæ gradus in ſolo Occidente Petrus ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus ſeruauerit: hæc tamen omnia nihil officiunt ſummo Primatui, ratione cuius ſucceſſores ſui curam totius Eccleſiæ gerunt, & non modò Occidentis Epiſcopis, & Mepolitis, ſed Orientis quoquè Patriarchis prælati ad eorum Diœceſes ſollicitudinem Pontificiam extendunt, adeò vt ipſi Orientis Patriarchæ, & Exarchi referre debeant ad Sedem Apoſtolicam; appellare poſſint ad illius iudicium; nihil ſtatuere valeant iure communi abſque illlius ſententia; & plura alia facere, aut admittere debeant, quibus agnoſcerent ſummum Pontificium. Quod Leo Magnus epiſtola ad Metropolitanos Illyrici inter Holſtenianas 25. ait, diuinitùs inſtitutum fuiſſe: *Quia*, inquit, *per omnes Eccleſias cura noſtra diſtenditur, exigente hoc à nobis Domino, qui Apoſtolicæ dignitatis beatiſſimo Apoſtolo Petro fidei ſui remuneratione commiſit, vniuerſalem Eccleſiam in fundamenti ipſius ſoliditate conſtituens.*

FINIS

AP-

# APPENDIX AD TOMVM SECVNDVM.

*Continens antiquas Imperij, & Eccleſiæ Notitias ex varijs manuſcriptis Codicibus tum Græcis, tum Latinis, pro maiori parte nunc primùm editas, & Notis, ac Diſſertatione præuia illuſtratas.*

# DISSERTATIO

## *De Romani Imperij in Prouincias diuiſione.*

## PROOEMIVM.

QVAMVIS ex Notitijs in hoc Opere editis, & infrà edendis conſtet, Romanum Imperium in varias Prouincias fuiſſe diuiſum, non abs re tamen feciſſe videbor, ſi hic breuiter repetam, quandonam ſingulæ regiones in formam Prouinciæ à Romanis redactæ fuerunt. Ex antiquis quidem hac de re egit Sextus Rufus in libello de hiſtoria Romanorum, quam Valentiniano Auguſto inſcripſit: verùm nec omnes Prouincias enumerauit, nec tempus, quo ſingulæ factæ ſunt, vbique annotauit. Vnde ſiquis harum clariorem notitiam obtinere cupit; immenſo labore Romanorum hiſtorias, ſcriptoreſque tam prophanos, quàm Eccleſiaſticos peruoluere debebit, & quæ à pluribus ſeparatìm hac de re ſcripta ſunt, in vnum colligere cogetur. Rem tam arduam in me ſuſceperam, antequàm de Romani Imperij in Prouincias diuiſione agere pag. 221. inſtituiſſem, & quamuìs non omnia aſſecutus ſim; ne tamen collectanea in hoc argumentum magno labore confecta pereant, illa ante ſequentes Notitias præmittenda ſtatui.

# CAPVT PRIMVM.

## *De Italia, & Prouincijs contiguis.*

CVm Prouincia propriè dicta ſit Regio extra Italiam bello, hæreditate, aut alio iure acquiſita, rectè ſcripſit Hegeſippus, Romanos, *cum in ius ſuum vincendo redigerent procul poſitas Regiones, appellauiſſe Prouincias*. Dicit autem procul poſitas, nulla enim Regio intra Italiam poſita, Prouincia vocabatur primis temporibus. Vnde in Notitia Auguſti apud Dionem Caſſiū lib. 53. inter Prouincias Romani Imperij non numeratur Italia. Videtur tamen à temporibus Hadriani Imperatoris Italia in duas partes diuiſa fuiſſe, quarum altera regiones cis, & vltra padanas com-

compectebatur, quæ cum vicinis regionibus Prouinciæ Italiæ nomen obtinuerunt ſub Conſtantino Magno: eiuſque Metropolis Mediolanum fuit; reliquis regionibus ſub Vicario Vrbis poſitis, vt alibi oſtendimus. Relictis itaque Italiæ regionibus duas Prouincias ei contributas exhibet Notitia Auguſti, quarum prima Sicilia, ſecunda Sardinia, & Corſica fuit. De Sicilia habet Sextus Rufus in Epitome: *Prima Prouinciarum facta eſt Sicilia: eam uicto Hierone Siculorum Rege, Marcellus Conſul obtinuit. Deinde à Pratoribus recta eſt; poſteà eſt commiſſa Præſidibus; nunc à Conſularibus adminiſtratur:* Eam Prouinciam Florus, qui ſub Traiano ſcripſit, vocat *ſuburbanam*, ita enim habet lib 2. cap. 2. *Lucio Cornelio Scipione, quum iam Sicilia ſuburbana eſſet populi Romani Prouincia, in Sardiniam, annexamque ei Corſicam tranſit.*

pag.411,

De Sardinia, & Corſica, quæ vnam Prouinciam conſtituebant, refert quoque Sextus Rufus in epitome, ſeu hiſtoria, vt vocat, Romanorum: *Sardiniam, & Corſicam Metellus vicit, triumphauit de Sardis, qui rebellauere ſæpè. Iuncta adminiſtratio harum Inſularum fuerat: poſt, ſuos Prætores habuit: nunc ſingulæ à ſuis Præſidibus reguntur.* Præter Sextum Rufum meminit huius Prouinciæ Solinus, qui Traiani Imperatoris tempore vixiſſe creditur, ita enim habet in Polyhiſtore cap. 11. *Vtraque Inſula* (Sicilia, & Sardinia) *in Romanam poteſtatem redacta, ijsdem temporibus Prouincia facta eſt, cum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius Prætor ſortiti ſunt.* Solius Sardiniæ meminit Solinus, quòd illam primò, poſteà Corſicam Romani ceperint. Cæterùm inter vrbes Sardiniæ *antiquiſſimam eſſe Calarim*, teſtatur Pomponius Mela, qui Claudij temporibus vixiſſe putatur.

# CAPVT SECVNDVM.

## *De Africa Prouincijs.*

RElicta tantiſper Europa ad Africam pergemus, in qua prima Prouincia facta eſt, quam Pomponius Mela libro 1. cap. 7. *minorem* vocat, de qua Sextus Rufus in Breuiario: *Deleta per Publiũ Scipionem Carthago Prouincia facta eſt.* Habet de ea Florus lib. 2. cap. 17. *Scipio ille mox Africanus inuaſit, iſque ſtatim capta Carthagine & alijs vrbibus non contentus Pœnos expuliſſe, ſtipendiariam nobis Prouinciam fecit.* Habet de Carthagine

Pom-

Pomponius Mela vbi ſuprà: *Carthago opulenta &c. etiam nunc; tamen priorum excidio rerum, quàm ope præſentium clarior*.

Secunda Prouincia eſt Numidia de qua Sextus Rufus: *Numidia ab amicis regibus tenebatur, ſed Iugurthæ, ob necatos Adherbalem, & Hiempſalem Micipſæ Regis filios, bellum indictum eſt: & eo per Metellum Conſulem attrito, per Marium capto, in poteſtatem populi Romani Numidia peruenit*. Agit de huius Prouinciæ expugnatione Florus lib. 3. cap. 1. ita ſcribens: Metellus *in ipſa Numidiæ capita impetum fecit, & Zamam quidem fruſtrà diù voluit. Cæterùm Thalam grauem armis, theſauroque Regis, diripuit. Tunc vrbibus exutum Regem etiam finium ſuorum regni fugitiuũ, per Mauros, atque Getuliam ſequebatur. Poſtremò Marius auctus admodùm copijs .... vrbem Herculi conditam Capſam in media Africa ſitam, anguibus, areniſque vallatam mira quadam felicitate ſuperauit; & ſaxeo inditam monti Mulucham vrbem per Ligurem aditu arduo inacceſſoque penetrauit. Mox non ipſum modò, ſed Bocchum Mauritaniæ Regem iure ſanguinis Numidiam vindicantem apud oppidum Cirtham grauiter cecidit, qui vbi diffiſus rebus ſuis alienæ cladis acceſſionem fieri timet, pretium fœderis, atque amicitiæ Regem facit*. Hactenus Florus indicans, Iugurtham à Boccho Mauritaniæ Rege Romanis traditum fuiſſe, ſicque Mauritania ſub amico Rege relicta, Numidiam in poteſtatem Populi Romani tempore Marij veniſſe: quamuis taceri non debeat, Numidiam quoquè ipſam poſteà amicis Regibus commiſſam fuiſſe, ſcribente Aurelio Victore de Pompeio, qui quinquaginta circiter annis poſt Marium floruit: *Numidiam Hiarbæ ereptã Maſſaniſſæ reſtituit*. Cæterùm à Cæſare in Prouinciæ formam redacta eſt.

Tertia eſt duplex Mauritania, de qua Sextus Rufus in Breuiario. *Mauritaniæ à Boccho Rege obtentæ ſunt: ſed ſubacta omni Africa Mauros Iuba Rex tenebat, qui in cauſa belli ciuilis à Iulio Cæſare victus mortem ſibi propria voluntate conſciuit: ita Mauritaniæ noſtræ eſſe cœperunt*. Fuerunt igitur Mauritaniæ vſque ad tempora Iulij Cæſaris ſub amicis Regibus. Earũ nulla fit mentio in Notitia Auguſti, primumque ſub Tiberio Mauritanias in Prouinciam redactas fuiſſe putat Aurelius Victor in epitome, vbi agens de Tiberij Imperio, *Mauri*, inquit, *Prouincijs acceſſere*. Dio Caſſius in Claudio aſſerit, ab illo in duas diuiſas: *Claudius Mauritaniam ſubditam in duas partes diuiſit, Tingitanam, & Cæſarienſem, duobus ijs Equitibus præpoſitis*. Vnde & Tacitus lib. 2. hiſtoriæ cap. 58. duarum Mauritaniarum meminit his verbis:

bis: *Lucius Albinus à Nerone Mauritaniæ Cæſarienſi præpoſitus, addita per Galbam Tingitanæ Prouinciæ adminiſtratione.* Cæterùm tantùm tres Prouincias ciuiles in Africa olim fuiſſe, ex antiquis auctoribus patet, qui Conſtantini tempora præceſſerunt. Mauritaniam, Numidiam, & Africam minorem recenſet Pomponius Mela, qui Tiberium per ætatem videre potuit. Plures non commemorat Strabo, qui ſub Tiberio ſcribebat, ad finem enim libri ſexti ait, Numidas Romanis ſuo tempore paruiſſe; & de Africa, ac Mauritanijs ſequentia refert: *Africæ partes, quæ non fuerunt iuris Carthaginenſium, Regibus conceſſæ ſunt Romanorum Imperio obedientibus, & ſi qui defecere, ij ditione omni ſunt exuti. Nunc Mauritaniam, aliaſque multas partes Africæ Iuba obtinet ob ſtudium in Romanos, & amicitiam hoc conſecutus.* Solinus Traiani temporibus tantùm Mauritaniarum, Numidiæ, & Africæ meminit; vbi notandum Mauritaniarum meminiſſe, quia C. Caligulæ temporibus Mauritania in duas Prouincias diuiſa eſt, vt tradit Plinius lib. 5. cap. 1. Diuus Cyprianus, qui ad medium tertij ſæculi floruit, agens de Prouincia Africæ: *Latiùs*, inquit, epiſt. 45. *fuſa eſt noſtra Prouindia, habet etiam Numidiam, & Mauritaniam, duas ſibi cohærentes.* Demum, vt finiam, auctor ille antiquæ Notitiæ Græcę, quem notat Carolus à Sancto Paulo Cōſtantij temporibus vixiſſe: *Vergentem ad Auſtri terram inuenies terram Mauritaniam, cuius homines barbari, quantum ad vitam, & mores, Romanis tamen ſubditi. Hæc Prouincia veſtium, & mancipiorum mercaturam exercet, frumentoque abundat, & ciuitatem habet Cæſaream. Exindè poſt Mauritaniam Numidia Prouincia eſt frugibus abundans, ſibique ſufficiens, quæque veſtium variarum, & optimorum animalium, ſeu equorum mercaturam exercet. Proxima huic Prouinciæ Africæ Regio in omnibus diues occurrit.* Hæc de Africa primis Eccleſiæ ſæculis, quæ poſteà in plures Prouincias diuiſa fuit. Ab Africa enim Proconſulari Byzacena Prouincia auulſa fuit. Numidia in duas Prouincias diuiſa eſt, in quibus Prouincia Tripolitana acceſſit.

# CAPVT TERTIVM.

## *De Aegypti Prouincijs:*

IN illis regionibus, quibus Aegyptus conſtat, occurrit primùm Cyrenaica Prouincia, quæ & Pentapolitana, de qua Titus Li-

Liuius lib. 70. *Ptolomæi Regis Cyrenes teſtamento Cyrenes, aliæque Ciuitates Populo Romano relictæ, ab eo Ciuitates liberæ declarantur*. Et Sextus Rufus: *Cyrenas cum cæteris ciuitatibus Libyæ Pentapolis Ptolomæi antiquioris liberalitate ſuſcepimus*. Pomponius Mela libro 1. cap. 4. *Proxima Nilo Prouincia, quam Cyrenas vocant*. Et cap. 8. rurſus Cyrenaicæ Prouinciæ meminit, quæ & in Notitia Auguſti reperitur apud Dionem Caſſium, & in Notitia Hadriani apud Appianum Alexandrinum, & in Notitia græca Conſtantij temporibus ſcripta. Secunda eſt Libya Prouincia, de qua Sextus Rufus: *Libyam ſupremo Apionis Regis arbitrio ſumus aſſecuti*. Hæc etiam Marmarica antiquis vocatur. Põponius Mela lib. 1. cap. 4. Libyæ Aegyptiorũ meminit. Apud Strabonem, & in Coſmographia, quæ Aethico tribuitur, Libya inter Prouincias meridianas ponitur.

Aegyptus Prouincia, in qua Alexandria: de hac Sextus Rufus: *Aegyptus omnis ſub amicis Regibus fuerat; ſed victa cum Antonio Cleopatra, Prouinciæ formam Octauij Cæſaris Auguſti tempore accepit: & primùm apud Alexandrinos Cornelius Gallus Romanus iudex adminiſtrauit*. Et Aurelius Victor in Auguſto: *Octauianus regionem Aegypti inundatione Nili acceſſu difficilem, inuiamque paludibus in Prouinciæ formam redegit*. Aegypti Prouincia commemoratur in Coſmographia Aethico tributa, eamque inter Prouincias Auguſti recenſet. Dio Caſſius libro 53. & Idatius in excerptis apud Caniſium cap. 31. *Cleopatra, & Antonius ſemet interficiunt, & ob hoc Aegyptus fit Romana Prouincia*. Tres porrò Prouincias priſcis temporibus in Aegypto fuiſſe, conſtat ex canone ſexto Nicæno, vbi Alexandrino Patriarchæ poteſtas confirmatur *in Aegyptum, Libyam, & Pentapolim*; vbi ſub Aegypto comprehenditur Thebaidis Prouincia, quæ ab Aegypti Prouincia iam dudùm ſeparata fuerat. Ita enim de Aegypto libro 22. habet Ammianus Marcellinus, qui ſub Valentiniano, & Valente ſæculo 4. ſcripſit: *Tres Prouincias Aegyptus fertur habuiſſe temporibus priſcis, Aegyptum ipſam, & Thebaidem, & Libyam: quibus duas adiecit poſteritas, ab Aegypto Auguſtamnicam, & Pentapolim à Libya ſicciore diſparatam. Igitur Thebais multas inter vrbes clariores aliis Hermopolim habet, & Copton, & Antinoẽn, quam Adrianus in honorem Antinoi ephebi condidit ſui. Hecatompylos enim Thebas nemo non nouit. In Auguſtamnica oppidum Peluſium eſt nobile (quod Peleus Achillis pater dicitur condidiſſe, luſtrare Deorum monitu iuſſus in lacu, qui eiuſdem ciuitatis alluit mœnia, cum poſt interfectum fratrem no-*

*nomine Phocum horrendis furiarum imaginibus raptaretur) & Caſſium, vbi Pompeij ſepulchrum eſt Magni; & Oſtracinæ, & Rhinocorura. In Pẽtapoli Libya Cyrene poſita eſt vrbs antiqua, ſed deſerta, quam Spartanus condidit Battus: & Ptolemais, & Arſinoë, eadémque Tauchira, & Darnis, & Berenice, quas Heſperidas appellant. In ſicciore verò Libya Paretonion, & Cherecla, & Neapolis, inter municipia pauca & breuia. Aegyptus ipſa, quæ iam inde, vt Romano Imperio iuncta eſt, regitur à Præfectis, exceptis minoribus multis, Athribi, & Oxyrincho, & Thmui, & Memphi maximis vrbibus nitet ..... ........ Alexandria enim, vertex omnium eſt ciuitatum; quam multa nobilitant, & magnificentia conditoris altiſſimi, & architecti ſolertia Dinocratis; qui cum ampla mœnia fundaret, & pulchra, penuria calcis ad momentum parum repertæ, omnes ambitus lineales farina reſperſit ... .... L ttus ne fallacibus, & inſidioſis acceſſibus affligeret, vt antehac, nauigantes diſcriminibus plurimis, excogitauit in portu Cleopatra turrim excelſam, quæ Pharos à loco ipſo cognominatur, prælucendi nauibus, nocturna ſuggerens miniſteria ...... His accedunt altis ſublata faſtigijs templa, inter quæ eminet Serapium, quod licèt minuatur exilitate verborum, atrijs tamen columnarijs ampliſſimis, & ſpirantibus lignorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita eſt exornatum, vt poſt Capitolium, quo ſe venerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cernat: in quo Bibliothecæ fuerunt inæſtimabiles; & loquitur monimentorum veterum concinens fides, ſeptingenta voluminum millia, Ptolomæis Regibus vigilijs intentis compoſita, bello Alexandrino, dum diripitur ciuitas ſub Dictatore Cæſare, conflagraſſe ....... Aureliano imperium agente, ciuilibus iurgijs ad certamina internecinæ prolapſis, dirutiſque mœnibus, amiſit regionum maximam partem, quæ Bruchion appellabatur, diuturnum præſtantium hominũ domicilium.* Hæc ibi Ammianus Marcellinus, quibus adiungi poſſunt, quæ auctor Notitiæ Græcæ ſub Conſtantio de ciuitate Alexandriæ ſcripſit. Sed cum hæc ſæpiùs edita ſint, notaſſe ſufficiet, quòd Alexandriam dum deſcribit, totius Aegypti Metropolim vocet.

CA-

# CAPVT QVARTVM.

## *De Orientis Prouincijs.*

ORienti ab antiquiſſimis tẽporibus multæ Prouinciæ contributæ ſunt, inter quas prima ab Aegypti partibus occurrit Arabia, quæ cum pleriſque Orientis Prouincijs per Pompeium armis obtenta eſt. Vnde Plutarchus de Pompeij triumpho, quem ſuperatis Prouincijs Orientis Romæ agebat: *Inſcriptiones in triumpho præferebantur, quibus is de gentibus ageretur, indicantes. Erant autem Pontus, Armenia, Cappadocia, Paphlagonia, Media, Colchis, Iberia, Albania, Syria, Cilicia, Meſopotamia, Phœnice, Paleſtina, Iudæa, Arabia.* Non quòd omnes illæ regiones tunc in Prouinciæ formam redactæ fuerint; habet enim de Arabia Dio Caſſius in Traiano: *Palma Præfectus Syriæ cepit eam Arabiæ partem, quæ Petram attingit, redegitque in ditionem Populi Romani.* De eadem regione, alijſque teſtatur Eutropius libro 8. & Sextus Rufus, quòd ſub Traiano primùm Prouinciæ factæ ſint: *Per Traianum*, inquit Rufus, *Armenia, Meſopotamia, Syria, & Arabia Prouinciæ factæ ſunt.* Et Eutropius libro 8. *Tres Prouincias fecit, Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam ..... Arabiam poſteà in Prouinciæ formam redegit.* Vnde Arabiæ prouinciæ non meminit Coſmographia Aethico tributa, ſed neque Dio in Notitia Auguſti; meminit tamen auctor Notitæ græcæ temporibus Conſtantij Imperatoris, qui eius Ciuitatem maximam ſcribit eſſe Boſtram.

Sequitur Palæſtina, quæ per Pompeium ſuperata eſt, eius Rege Ariſtobulo in triumphum ducto. Cæterùm negari non poteſt, quin Iudæa in Tetrarchias ab Auguſto diuiſa fuerit, & vna ex Tetrarchijs decimo Archelai anno Syriæ Prouinciæ acceſſerit, teſtante Ioſepho libro 17. antiq. Iudaic. fine. *Ditione Archelai contributa Syriæ, miſſus eſt illò à Cæſare vir Conſularis Quirinius, qui Cenſum ageret per Syriam, & ipſius Archelai domum venderet.* Ex quibus patet, mirum videri non debere, quòd Iudæa à Palæſtina tempore Pompeij diſtincta fuerit, vt eiuſdem triumphi inſcriptione docetur; cum tamen conſtet Iudæam in Palæſtina ſitam eſſe. Id autem ea ratione à Romanis factum eſt, quòd Iudæos tributarios effectos patrijs legibus viuere permiſerint, vſque ad extinctionem Hieroſolymæ, quæ ſub Veſpaſiano primùm contigit. Vnde Eutropius in Veſpaſiano:

*Sub hoc Iudæa acceſſit Romano Imperio, & Hieroſolyma, quæ fuit vrbs clariſſima Palæſtinæ, quæ libera antè fuerat.* Tacitus verò duo Iudææ capita tempore Veſpaſiani agnouit: libro enim 5. hiſtoriæ capite 8. affirmat de Iudæis: *Ieroſolyma genti caput.* Libro autem 2. cap. 79. de Romanis ſcripſerat, quòd Veſpaſianus venerit Cæſaream, *quæ Iudeæ caput eſt.* Fabricauerat autem Herodes Cæſaream in honorem Auguſti iuxta illud Euſebij in Chronico ad annum trigeſimum primum Auguſti: *Herodes Cæſaream in nomine Cæſaris condidit.* Fuitque Sedes Procuratoris Iudææ, idque à temporibus Apoſtolorum, vt conſtat ex Actis, in quibus capite 23. refertur, quòd Paulus à Lyſia Tribuno miſſus ſit Cæſaream ad Felicem Præſidem. Et cap. 24. traditur, quòd biennio expleto acceperit ſucceſſorem Felix Portium Feſtum. Et cap. 25. *Feſtus ergò cum veniſſet in Prouinciam, poſt triduum aſcendit Ieroſolymam à Cæſarea.* Et infrà: *Demoratus autem inter eos dies non ampliùs quàm octo, aut decem, deſcendit Cæſaream, & altera die ſedit pro tribunali, & iuſſit Paulum adduci.* Ex quibus omnibus Scripturæ verbis manifeſtum fit, & Iudæam, ſiue Palæſtinam à temporibus Apoſtolorum fuiſſe in Prouinciam redactam, & Cæſareæ erectum fuiſſe à Romanis Præſidis tribunal, adeòque illam & non Ieroſolymas fuiſſe Romanorum Metropoſim. Palæſtinam ſanè inter Prouincias Orientales ponit Coſmographia Aethico tributa, & Appianus Alexandrinus in proœmio: *Colluſtranti*, inquit, *littora Syriaca, occurrit Palæſtina*, vbi vnius tantùm Palæſtinæ meminit, eò quòd primis temporibus vna Prouincia fuerit, & poſt tempora Conſtantini Magni primùm in tres Prouincias diſtracta ſit, vt Carolus à S. Paulo in Geographia ſacra his verbis ſignificat: *Palæſtina ſub Iuliano Apoſtata Conſularem habuit; deinde ſub Gratiano Proconſulem, ac ſub eodem in duas Prouincias diuiſa eſt, cum in vtraque Palæſtina Theodoſius Iudæorum Synedria fuiſſe ſcribat. Tandem in tres diuiſa eſt, primã, ſecundam, & Salutarem.*

Phœnicia, cuius meminit Strabo libro 16. vbi duas eius partes diſtinguit: cum enim Damaſcum, & loca omnia, quæ ei adiacent, deſcripſiſſet, ſubiungit: *Phœniciæ vnam partem deſcripſimus, quæ ab Orthoſia Berytum vſque pertendit: poſt Berytum eſt Sidon: poſt Sidonem maxima, & antiquiſſima Phœnicum eſt Tyrus.* Et infrà: *Controuerſum manet, vtra earum Phœnicum Metropolis dici debeat.* Hæc de Phœnicia Strabo, quam à Pompeio in Prouinciæ formam redactam fuiſſe, indicat Sextus Rufus, dum ait: *Syriæ, ac Phœnices bello à Tigrane Armeniorum Rege receptæ ſunt.* Vnde inter Prouin-

uincias Auguſti Phœnicе recenſetur apud Dionem Caſſium, & inter Prouincias Orientales ponitur in Coſmographia Aethici, eiuſque meminit Appianus Alexandrinus in prœmio hiſtoriæ his verbis: *Finitimi Palæſtinis Phœnices ſupra mare*.

Meſopotamia, de qua Sextus Rufus, quòd Lucius Lucullus primùm in eam arma Romana intulerit, & ſub Pompeio in poteſtatem Populi Romani redacta ſit. Vnde inſcriptiones in triumpho Pompeij Meſopotamiam continebant, quæ quamuis non reperiatur inter Prouincias Auguſti à Dione numeratas, id ideò factum eſt, quia amicis Regibus commiſſa erat. Idcircò Sextus Rufus primùm ſub Traiano Meſopotamiam in Prouinciæ formam redactam fuiſſe ſcribit, adiungitque: *Sed Hadrianus, qui ſucceſſit Traiano, inuidens gloriæ Traiani, ſponte Armeniam, & Meſopotamiam, & Syriam reddidit, ac medium inter Perſas, & Romanos Euphratem eſſe voluit. Et poſteà ſub Antoninis duobus Marco & Seuero nota pertinacia, cæteriſque Principibus Romanis, qui aduersùs Parthos euentu vario dimicauerunt, quater amiſſa, quater accepta Meſopotamia eſt. Et Diocletiani temporibus victis prima congreſſione Romanis, ſecundo autem conflictu ſuperato Rege Narſeo, & vxore eius, ac filiabus captis, & eis ſumma pudicitiæ cuſtodia reſeruatis, pace facta, Meſopotamia eſt reſtituta, & ſupra ripam Tygridis limes eſt refirmatus, ita vt quinque gentium trans Tygrim conſtitutarum ditionem aſſequeremur: quæ conditio fœderis in tempus D. Conſtantini conſeruata durauit.* Hactenus Sextus Rufus. Reperitur autem Meſopotamia inter Prouincias Orientales, quas continet Coſmographia Aethico tributa, non ſolùm in editis, ſed etiam in antiquo nongentorum annorum Codice Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ.

Ciliciam licèt Eutropius lib. 7. à Veſpaſiano in Prouinciæ formam redactam commemoret, eius tamen incolas vnà cum Iſauricis bello Piratico cauſam dediſſe, & per Seruilium Proconſulem ſubactos fuiſſe, tradit in epitome Sextus Rufus adiungens de eodem Seruilio: *Hicque de Cilicibus, & Iſauris triumphauit, atque Iſauricus cognominatus eſt*. Iſauricum vocatum fuiſſe Seruilium, etiam affirmat Florus lib. 3. capite 6. qui ait de Seruilio: *Validiſſimas vrbes Cilicum, & diutina præda abundantes Phaſalim, & Olympum euertit, Iſauronque ipſam arcem Ciliciæ: vnde conſcius ſibi magni laboris, Iſaurici cognomen adamauit*. Ex quibus Flori verbis patet, Iſauros non quidem Prouinciam à Cilicibus diuerſam habuiſſe Seruilij temporibus, ſed vnam dumtaxat Ciliciæ arcem, Iſauron nominatam inhabitaſſe, adeòque Ciliciæ

populum tunc fuiſſe. Quamuis autem Onuphrius Iſaurię nomen in Notitia Auguſti exhibeat; notandum tamen, quòd apud Dionem inter Auguſti Prouincias omiſſo Iſauriæ nomine ſola Cilicia compareat, prout etiam ſola Cilicia commemoratur apud Pomponium Melam lib. 1. cap. 13. & in Coſmographia Aethico tributa, quæ in nongentorum annorum Codice Palatino-Vaticano ſeruatur. Vnde à quodam imperito additam fuiſſe oportet in iis Aethici Codicibus, ex quibus eius Coſmographia typis deſcripta fuit. Ad Ciliciam ſanè Cicero profectus eſt Proconſulis officium obiturus, & de ea teſtatur Aurelius Victor in Sylla: *Prætor Ciliciam Prouinciam habuit*. Sanctus Lucas quoquè Actorum 23. narrat, Paulum Apoſtolum ante Feſti Tribunal conſtitutum fuiſſe, cumque eum interrogaſſet, de qua Prouincia eſſet, *& cognoſcens, quia de Cilicia: Audiam te, inquit, cum accuſatores tui venerint*. Erat autem Paulus Tarſenſis, quæ ciuitas Ciliciæ Metropolis habebatur. Strabo lib. 14. *Populoſa, atque præpotens vrbs eſt Tarſus, & Metropolis rationem obtinet*. Et auctor Notitiæ Græcæ ſub Conſtantio: *Cilicia habet Ciuitatem magnam, & beatam, quæ vocatur Tarſis*.

Cyprus, de qua Sextus Rufus: *Cyprus famoſa diuitiis paupertatem Populi Romani, vt occuparetur, ſolicitauit. Eam Rex fœderatus regebat, ſed tanta fuit penuria ærarij Romani, & tam ingens fama opum Cypriarum, vt lege lata Cyprus confiſcari iuberetur. Quo accepto nuncio Rex Cyprius venenum ſumpſit, quo vitam priùs, quàm diuitias amitteret. Cato Cyprias opes nauibus aduexit*. Catonem à Clodio miſſum fuiſſe inuitum, idque in odium Ciceronis, teſtis eſt Dio Caſſius libro 38. vt ante Chriſti tempora Cyprus lege à Senatu lata confiſcata fuerit, & Prouinciæ nomen fortita ſit. Vnde Strabo lib. 14. circa finem: *Ptolomæo patruo Cleopatræ deiecto Romani Inſulam occuparunt, ac in Prætoriam Prouinciam redegerunt*.

Syria de qua Strabo libro 16. *Syrię partes ponimus Comagenam, & eam, quæ Seleucis Syriæ appellatur: poſtea Cœleſyriam, ſiue Cauam Syriam in mediterraneis: vltimam Iudæam in ora Phœnices*. De Iudæa, vt eadem eſt cum Palęſtina, iam diximus ſuprà; de aliis Syriæ partibus dicendum reſtat, de quibus Sextus Rufus: *A Scipione Conſule frater Scipionis Africani in Aſia apud Magneſiam victus eſt* (Rex nimirùm Antiochus) *Eius filij regnum Syriæ ſub clientela Populi Romani retinuerunt: quibus defunctis Syriarum Prouinciis potiti ſumus*. Hæc Rufus adiungens, Syrias bello à Tygrane Armeniorum Rege receptas fuiſſe tempore Pompeij: ſcribit tamen Dio Caſ-

ſius

ſius lib. 49. quòd Antiochum Syriæ Regem, qui in Comagena imperabat, fruſtrà debellare conatus ſit Antonius: *Antonius porrò tunc Antiochum aggreſſus, Samoſatiſque obſeſſum oppugnauit: ſed quum nihil proficeret .. ... clanculò de pace cum Antiocho egit ....... Caſſius autem Foſſius Syriæ & Ciliciæ ab Antonio præfectus.* Vbi videre licet, Syriam quidem ab Antonio in Prouinciam redactam fuiſſe, excepta tamen Comagena, de qua tempore Auguſti Strabo ſuprà: *Comagena parua regio eſt, & vrbem habet natura munitam Samoſata Regni caput, nunc Prouincia facta eſt.* Quòd nimirum à Pompeio accepta Syriæ adminiſtrationi iuncta fuerit, teſtatur Dio in Claudio: *Antiocho Comagenam, quam idem ei dederat, ademeratque Caius, reſtituit.* Eutropius in Veſpaſiano ait, quòd ille inter alias Prouincias etiam Comagenam, *quæ ſub Regibus amicis erat, in Prouinciæ formam redegit.* Vnde forſan Sextus Rufus ſcripſit, primùm per Traianum in Prouinciam redactam fuiſſe. Refert ſanè Tacitus lib. 2. hiſtoriæ, Mucianum tempore Veſpaſiani fuiſſe Syriæ Præſidem, additque, Antiochiam, quam *Syriæ caput* vocat, fuiſſe profectum, ibique in theatro Antiochenſium animos, Prouinciam, exercitumque ad electionem Veſpaſiani accendiſſe. Vbi Syria vocatur Prouincia, eiuſque caput dicitur Antiochia. Quod ipſum affirmauit Strabo l. 16. his verbis: *Antiochia etiam quadriurbis eſt, ex quatuor partibus conſtituta, quæ & ſingulæ ſuo, & omnes communi muro ſunt circumdatæ. Primam partem Nicanor condidit, habitatoribus ex Antigonia traductis, quam paulò antè Antigonus Philippi filius in propinquo conſtruxerat. Secunda pars eſt multitudinis habitatorum. Tertia Seleuci Callinei. Quarta Antiochi Epiphanis opus eſt. Vrbs hæc caput Syriæ eſt, & qui regioni imperant, hic regiam habent.* De eadem hac vrbe ex antiquis ſcriptoribus refert Nicephorus, quòd tempore Chriſti Domini noſtri Tiberius ab expeditione Perſarum reuerſus Antiochiam diuerterit, *quam*, inquit, *ſplendidiùs, magnificentiùſque exornare conſtituens, muro firmo, & inexpugnabili cinxit, porticus extruxit, columnis æreis, ſtatuis, aliiſque ædificiis variis exornauit, templa quoquè Ioui, Dionyſio, Caſtorique, & Polluci ædificauit, plurimaque præterea alia illum opera ibi perfeciſſe ferunt.* Atque hæc quidem de Syriæ capite Antiochia, quæ ad Orontem fluuium ſita eſt, vt notat Strabo ſuprà, & pluribus ſæculis poſt Strabonem his verbis deſcribit Ioannes Phocas in ſua locorum ab Vrbe Antiochia vſque ad Ieroſolymam deſcriptione: Ex-
,, tabat tum, cum erat ad Oron-
,, tem, Antiochi Theopolis thea-
tro-

,, trorum magnitudine, ſtoarum ,, ſplendoribus, templorum ſtru-,, cturis, copia item ciuium, & ,, diuitiarum magnificentia ſu-,, perba, ac tumens, latèque ,, cæteras ferè Orientales vrbes ,, exſuperabat. Sed tempus, ac ,, vis barbara beatitatem illius ,, exhauſit, licèt conſpicua adhuc ,, ſit, & turrium altitudine, & ,, propugnaculorum validitate, ,, & pratorum, ac florum omni-,, gena fœcunditate, & in plures ,, partes ſeſe diuidentium aqua-,, rum ſibilis: cum placidè flu-,, uius circumfluat vrbem, & ,, cingat, & molli tractu eius ,, turres circumplectatur. Inſu-,, per è Caſtalij fontis fluentis ,, egregiè irrigatur, cuius aquæ ,, torrentium instar pelluntur, ,, & frequenti ùs ſulcorum riuis ,, vrbem vniuerſam perfundunt, ,, eamque fluxibus aſpergunt o-,, perarum copia, & conditoris ,, magnificentia ex illius fontibus ,, per montes ad ipſam Ciuita-,, tem laticibus corriuatis. Hic ,, fama per orbem vulgatum ,, Daphnes Suburbium, proce-,, ris omne genus arboribus ex-,, ornatum: & mons eſt maximè ,, nobilis, quem admirandus Si-,, meon in habitationem adapta-uit. Et infrà de eodem monte, quòd ſit vrbi conterminus: Vtriſ-,, que è partibus, monte, ſco-,, pulo, Caucaſoque conſtringi-,, tur. Orontes fluuius innume-,, ris inflexionum vorticibus ad ,, pedes montis profluit, & in ,, mare aquas immittit. Hacte-nus de monte illo, in quo Daph-nes ſuburbium, de quo Strabo ſuprà affirmat, quòd ad ſtadia 40. aberat ab Antiochia: *Mediocris vicus, & lucus ingens, & opacus, fontanis aquis irriguus, in cuius medio erat fanum Apollinis, & Dianæ, & aſylum, ad quod Antiochenſes, aliique finitimi ad feſta celebranda de more conueniebant.* Hæc etiam de Antiochia, quæ totius Syriæ caput erat, quam tempore Claudij Imperatoris Pomponius Mela libro 1. cap. 11. his verbis deſcribit: *Syria latè littora tenet, terraſque latiùs introrſus, alijs, aliiſque nuncupata nominibus: nam & Cœle dicitur, & Meſopotamia, & Damaſcene, & Adiabene, & Babylonia, & Iudæa, & Sophene. Hinc Palæſtina eſt, qua tangit Arabas, tum Phœnice, & vbi Ciliciæ committit, Antiochia olim ac diù potens.* Ex quibus Pomponij verbis ſatis ſuperque patet, præcipuas Orientis Prouincias ſub vnius Syriæ nomine Claudij temporibus intellectas fuiſſe, & totius Syriæ caput, vt ex alijs quoquè ſcriptoribus audiuimus, fuiſſe Antiochiam.

CA-

# CAPVT QVINTVM.

## *De Ponti Prouincijs.*

POſt Syriam, ſi orbem Romanum ab Africa per Aſiam ad Europam, vt cœpimus, peragrare velimus, ſequitur Pontus, in quo primò occurrit Armenia, cuius Rege Tigrane deuicto, Pompeius incolas in hoc vnum ſeruitutis genus aſſuefecerat, vt rectores à Romanis acciperent. Tigranes itaque à Pompeio in Armenia minore regnare permiſſus eſt, &, vt ait Sextus Rufus, *ad extremum ſub Traiano Regis maioris Armeniæ diadema ſublatum eſt, & Armenia Prouincia facta eſt.* Idem habet Euſebius in Chronico ad annum 15. Traiani: *Traianus Armeniam, Aſſyriam, & Meſopotamiam fecit Prouincias.* Vnde Armeniæ Prouinciæ non meminit Pomponius Mela, meminit tamen Appianus Alexandrinus tempore Hadriani, qui Traiano ſucceſſit. Pontus, cuius Rex Mithridates felicitate Syllæ, virtute Luculli, & magnitudine Pompeij, victus fuit. Hinc Sextus Rufus: *Pontus per Pompeium victo Mithridate Rege Pontico, formam Prouinciæ accepit.* Prouinciam hanc agnoſcit Strabo, qui tempore Auguſti ſcripſit, videturque omnes illas regiones, quæ ab Helenoponto vſque ad Bithyniam pertingunt, ſub Ponti Prouincia comprehendiſſe lib. 12. *Cum hæc tota regio diuidatur in mediterraneam, & in oram maritimam ab Haly vſque ad Bithyniam: maritimam vſque ad Heracleam Mithridates poſſedit: de mediterraneis etiam proximas partes, quarum nonnullæ vltra Halym excurrerent. Atque eò vſq; Romani Ponticam Prouinciam extenderunt. Reliqua etiam deiecto Mithridate, Regulis paruere.* Quibus verbis indicat Strabo, Paphlagoniam, & Helenopontum Bithyniç finitimas, ſub vnius Ponti Prouincia ſuo tempore comprehenſas fuiſſe. Vnde & in Notitia Prouinciarum Auguſti, quam Dio exhibet, ſolùm recenſetur *Bithynia cum Ponto finitima.* Pomponius Mela ſub Claudio Ponticas gentes non ſatis diſtinxit, & his verbis lib. 1. capite 19. titulum propoſuit: *Bithynia, Paphlagonia, aliæque Ponticæ & Mæoticæ gentes*: ſatis ſuperque indicans, Paphlagoniam, aliaſque regiones ſub Ponti nomine comprehendi. In aliquibus Codicibus.

*Pontus Polemoniacus*, qui ſub Regulo poſt deuictum Mithridatē Ponti Regem remanſerat, ſub Nerone Prouinciæ formam accepit. Qua de re Aurelius Victor in Nerone: *Pontum in ius Prouinciæ Polemonis Reguli permiſſu redegit.*

Et

Et Eutropius lib. 7. in Nerone: *Duæ tantùm ſub eo factæ ſunt Prouinciæ; Pontus Polemoniacus, concedente Rege Polemone, & Alpes Cottiæ.*

Paphlagonia, de qua Strabo eodem lib. 12. ſed antè: *Verſùs Orientem Halys eſt Paphlagoniæ terminus, ad meridiem Phryges, & qui eò commigrarunt Galatæ, ad occaſum Bithyni.* Scribit autem de Paphlagonia Sextus Rufus: *Paphlagoniam Philomenes Rex amicus Populi Romani tenuit. Sæpè ex ea pulſus, regno à nobis eſt reſtitutus, quo mortuo Prouincia eius Paphlagonibus impoſita eſt.* Puto autem id factum poſt Traiani imperium, cum Plinius, qui duas tantùm Prouincias ſortitus erat, Paphlagoniæ Ciuitates ſub Ponti nomine rexerit.

Bithynia, quæ tempore Pompeij vſque ad Honorium Imperatorem terminos ſuos vſque ad Paphlagoniam extendebat. Vnde Ammianus Marcellinus ante auulſam ab Honorio Prouinciam Honoriadis lib. 22. *Poſt Bithyniæ partem Prouinciæ Pontus & Paphlagonia protenduntur.* De Bithynia itaque, prout Honoriadem complectitur, habet Sextus Rufus: quòd *Bithyniam defuncti Nicomedis teſtamento aſſecuti* ſunt Romani. Florus lib. 3. capite 5. indicat, id factum ſub Sylla; & mirum non eſt, quod Dio inter Prouincias, quas Auguſtus pacatas populo Romano reliquerat, *Bithyniam cum Ponto finitima* numeret, & ad has Prouincias Plinius à Traiano Proconſul miſſus eſt, vt eas adminiſtraret. Quamobrem ipſe Plinius epiſtola 27. ad Traianum: *Prouinciam intraui*: quòd nimirum Bithynia, & Pontus ab vno Proconſule ipſis Traiani temporibus regerentur. Vnde & Plinij ad Traianum relationes de Bithyniæ, & Ponti Ciuitatibus epiſtolis 109. & 113. Ciuitates autem Bithyniæ vſque ad Claudiopolim, quæ in Honoriade ſita eſt, ſeſe extendiſſe, patet ex epiſtola Plinij 48. ad Traianum, vti & ſub Ponto Amaſtrim, quæ in Paphlagonia, & Amiſum quæ in Helenoponto, comprehenſas fuiſſe, patet ex eiuſdem Plinij epiſtolis 93. & 99. Cęterùm Bithyniæ metropolis Nicomedia fuit, teſtante Ammiano Marcellino libro 17. eam eſſe *Bithyniæ vrbium matrem.*

Galatia, quam inter Prouincias recenſet Coſmographia Aethico tributa, & de qua Eutropius lib. 7. in Auguſto: *Galatia quoquè ſub hac Prouincia facta eſt, cum antea regnum fuiſſet, primuſque eam M. Cellius pro Prætore adminiſtrauit.* De ea Sextus Rufus: *Gallogræciam, ideſt Galatiam. Sunt enim, vt ex Gallis ſonat nomen, Galatæ, quos, quòd Antiocho contra Romanos auxilium præbuiſſent, inuaſimus. Mumius Proconſul Galatas perſecutus eſt, quum fugientes partim in Olympum, partim in Megaram montem, qui nunc Mo-*

dia-

*diatus dicitur, de arduis eos in plana detruſit, & victos in perpetuam pacem redegit. Poſtea Galatiam Deiotarus Bœotiæ Rex nobilis Romanis permittentibus tenuit. Ad extremum ſub Octauiano Cæſare Auguſto Galatia in formam Prouinciæ redacta eſt.* Concinit Dio Caſſius, qui lib. 53. ſub Auguſto: *Aminta Galatiæ Principe mortuo, regnum filijs eius non tradidit, ſed Prouinciam Populi Romani fecit, atque exinde Gallogræcia cum Lycaonia Romanum habere Præfectum cœpit.* Idem confirmat Tacitus libro 1. hiſtor. cap. 9. qui tamen loco Lycaoniæ Pamphyliam Galatiæ iunctam vni Præfecto à Galba commiſſam fuiſſe innuit: *Galatiam, ac Pamphyliam Prouincias Calpurnio Aſpernati regendas Galba permiſerat.*

Cappadocia, de qua Sextus Rufus, quòd diù ſub amicis Regibus fuerit. *Cappadoces*, inquit, *primò ſocietatem noſtram ſub Ariarate Rege petiuerunt; poſteaque Ariobarzanes Rex Cappadocum à Mithridate expulſus, Romanorum armis reſtitutus eſt: ſemperque in auxilia noſtra fuerunt Cappadoces, & ita maieſtatem coluère Romanam, vt in honorem Auguſti Cæſaris Megara ciuitas Cappadociæ maxima Cæſarea nuncuparetur. Poſtremò quum ſub Imperatore Claudio Cæſare Archelaus ex Cappadocia Romam veniſſet, ibique diù detentus occubuiſſet, in Prouinciæ ſpeciem Cappadocia migrauit.* Cæterùm ſub Tiberio Cappadociæ regnum in Prouinciæ formam redactum tradit Eutropius lib. 7. & ad ann. Vrb. cond. 771. habet Tacitus libro 2. annal. cap. 57. *Cappadoces in formam Prouinciæ redacti Q. Veranium Legatum accepere.* Et ad ann. Tib. 7. Euſebius in Chronico affirmat, Archelai Romæ detenti *regnum in Prouinciam verſum fuiſſe.*

Putat Carolus à S. Paulo Abbas Fulienſis, Pontum à Theodoſio Imperatore in octo regiones diuiſam, vni Præſidi commiſſam fuiſſe, citatque Stephanum de Vrbibus, quaſi inter regiones illas Honoriadem Prouinciam numeraret. Quod, qua ratione dictum ſit, haud videre potui. Enimuerò Honoriadis Prouincia ab Honorio Imperatore nomen ſortita eſt. Honorius autem Theodoſium Seniorem, de quo hìc agit Abbas Fulienſis, ſecutus eſt, adeò vt Theodoſij temporibus Honoriadis Prouincia nondùm fuerit; fuit tamen tempore Theodoſij iunioris, qui Honorium ſubſecutus eſt, tunc enim Diœceſis Ponti diuiſa erat in vndecim Prouincias, vt alibi monſtramus.

# CAPVT SEXTVM.

## *De Aſia Prouincijs.*

ASia, de cuius Prouincijs hic agimus, non eſt illa orbis noſtri pars tertia, ſæpiùs à veteribus commemorata, ſed Aſiæ Diœceſis, de qua Plinius lib. 5. capite 27. *Aſiam in duas partes Agrippa diuiſit: vnam incluſit ab oriente Phrygia, & Lycaonia; ab occidente Aegæo mari; à meridie Aegypto; à ſeptentrione Paphlagonia. Huius longitudinem CCCCLXX. M. paſſuum, latitudinem CCC. M. fecit. Alteram determinauit ab oriente Armenia Minore; ab occidente Phrygia, Lycaonia, Pamphylia; à ſeptentrione Prouincia Pontica; à meridie mari Pamphylio longam CCCCCLXXV. M. paſſuum, latã CCCXXV. M.* Hæc Plinius. Porrò inter Aſiæ Prouincias, quas vndecim veteres Notitiæ numerant, Pamphylia in primis occurrit, de qua Sextus Rufus, quòd eam *Seruilius Proconſul ad bellum Epirotarum miſſus obtinuit.* Strabo, qui ſub Auguſto ſcripſit, eius limites aſſignat lib. 14. Tacitus verò lib. 2. hiſtoriarum capite 9. difertis verbis aſſerit, *Pamphyliam Prouinciam Calpurnio Aſpernati à Galba commiſſam fuiſſe.* Pomponius Mela, qui temporibus Claudij de ſitu Orbis libros tres compoſuit, libro 1. capite 14. Pamphyliam deſcribit, & in ea duo oppida, Sidam, & Pergam fuiſſe dicit, cuius vltimi etiam meminit S. Lucas in Actis cap. 13. verſ. 13. *Et cum à Papho nauigaſſent Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ.*

Lyciæ meminit Strabo lib. 14. Geographiæ, & Pomponius Mela lib. 1. cap. 15. Eam Eutropius libro 7. & Euſebius in Chronico ſub Veſpaſiano in Prouinciam redactam fuiſſe affirmat. Vnde in Coſmographia Aethico tributa, & in antiqua Prouinciarum Notitia, quæ in nongentorum annorum Codice Palatino exhibetur, inter Prouincias ſeptentrionales Lycia enumeratur. Sanctus quoq; Lucas Actorum 27. verſ. 5. Lyciæ his verbis meminit: *Et pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ nauigantes, venimus Lyſtram, quæ eſt Lyciæ.* Phrygiæ bis mentionem facit Sextus Rufus, aſſeritque, *Phrygiam in poteſtatem Populi Romani veniſſe ſub Seruilio Proconſule.* Eius limites deſcribit Strabo lib. 14. Inter Prouincias ſeptentrionales ponitur in nongentorum annorum Codice Palatino, & Excerptis Iulio Oratori tributis; eamque agnoſcit S. Lucas Actorum 16. verſ. 6. his ver-

verbis: *Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ Regionem, vetiti ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia.*

Caria, cuius meminit Strabo lib. 14. & quam vnà cum alijs Prouincijs Aſiæ ſub Seruilio Proconſule in Prouinciæ formam redactam fuiſſe aſſerit Sextus Rufus. Pomponius Mela tempore Claudij Imperatoris lib. 1. de ſitu orbis, cap. 16. Cariam deſcribit, in qua Aphrodiſios, & Halicarnaſſos commorari affirmat: eius tamen nec Codex Palatinus, nec Coſmographiæ Aethico, & Iulio oratori tributæ meminerunt.

Lydia, de qua Sextus Rufus: *Lydia ſedes antiqua Regnorum, Caria, Helleſpontus, ac Phrygia in poteſtatem populi Romani iuncta deditione venerunt.* Lydia inter Prouincias Romani Imperij ponitur in Coſmographia Aethico tributa, in excerptis Iulij Oratoris, & in antiquo Codice Palatino Vaticano, cuius iam ſæpius meminimus.

Helleſpontus Prouincia, de qua Rufus verbis ſupracitatis, cuius ſæpiùs meminerunt Strabo in Geographia, & Pomponius Mela de ſitu orbis libro 1. cap. 1. & cap. 2.

Lycaonia, cuius mentio apud Strabonem libro 14. & Pomponium Melam l. 1. c. 2. Hi aiunt, notiora fuiſſe ſuis temporibus Lycaonum nomina. Scripſit Pomponius Mela ſub Claudio, ſub quo S. Paulus, & Barnabas ad hanc Prouinciam peruenerunt, teſtatur enim D. Lucas Actorum 14. verſ. 6. *Confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ Lyſtram & Derben, & vniuerſam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant.*

Piſidia, cuius regionis incolas inter illos populos enumerat Pomponius Mela, quorum nomina nota erant. Strabo quoquè Piſidiæ meminit lib. 12. affirmans, Piſidas finitimos eſſe Phrygibus, Lydis, Caris; & infrà mentionem faciens Antiochiæ ad Piſidiam. Quin etiam S. Lucas Actorum 13. affirmat, ſanctos Paulum, & Barnabam veniſſe Antiochiam Piſidiæ; eorumque ope diſſeminatum eſſe *Verbum Domini per vniuerſam regionem.* Et cap. 14. teſtatur de ijs: *Tranſeunteſque Piſidiam venerunt Pamphyliam.* Auctor Anonymus, qui tempore Alexandri Imperatoris ſcripſit, in Collectione edita Tomo 2. antiquarum Lect. Caniſij, Piſidiæ, aliarumque regionum meminit: *Habet autem ad Borrum maritimam Ciliciam, Pamphyliam, Piſidiam, Myſiam, Lycaoniam, Phrygiam, Caramaniam, Lyciam, Cariam, Lydiam &c.* Vbi omnes fermè Aſianæ Diœceſis Prouinciæ referuntur, & inter cæteras Piſidia.

Rhodi, & Inſularum Prouinciæ, de quarum incolis ita Sextus Rufus: *Rhodijs, & Inſularum populis primùm infeſtiſſimis, poſt fideliſſimis auxiliatori-*

*bus vſi ſumus. Ita Rhodus Inſula primùm liberè agebat, poſteà in conſuetudinem parendi Romanis clementer prouocantibus peruenit, & ſub Veſpaſiano Principe Inſularum Prouincia facta eſt.* Idem in Chronico Euſebius ad annum 6. Veſpaſiani; inter Prouincias enim, quæ cum liberę antea,& ſub Regibus amicis erant, & in Prouincias redactæ ſunt, *Rhodum* numerat.Eutropius quoquè lib. 7. agens de Veſpaſiano, hæc ſcribit. *Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Zamum, quæ liberæ ante hoc tempus fuerant ........ in Prouinciarum formam redegit.* A Veſpaſiani itaque temporibus Rhodus Prouincia fuit.

Aſia, de qua Sextus Rufus: *Aſia ſocietate Attali Regis nota Romanis eſt, eamque Attali teſtamento relictam hæreditario iure poſſidemus: ne quid tale populus Romanus non viribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho Syriorum Rege maximo eſt vendicata.* Attalus, cuius hic meminit Rufus, fuit Rex Pergamenorum, de quo Florus lib. 2. ca-

Attalus Rex obijt an. Vrbis dcxxvi. Plin. lib. 33. c. 11.

pite 20. *Attalus Rex Pergamenorum Regis Eumenis filius, ſocij quondam, commilitoniſque noſtri teſtamento reliquit: Populus Romanus bonorum meorum hæres eſto. In bonis Regis hæc fuerunt. Adita igitur hæreditate, Prouinciam Populus Romanus non quidem bello, nec armis, ſed (quod eſt æquius) teſtamenti iure retinebat.* Prouincia, cuius hic Florus mentionem facit, non Pergami, quæ ciuitas erat, ſed Aſiæ Proconſularis fuit, cuius ProcuratoremLucilliumCapitonem ab incolis accuſatum fuiſſe coram Tiberio, teſtis eſt Tacitus lib. 4. annalium capite 15. vbi: *Adeò vt procurator Aſiæ Lucillius Capito accuſante Prouincia cauſam dixerit.* Et infrà: *Reus cognito negotio damnatur; ob quam vltionem, & quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decreuere Aſiæ vrbes templum Tiberio, matrique eius, ac Senatui.* Adiungit cap. 55. Romam veniſſe Aſiæ legatos ambigentes, quanam in ciuitate templum ſtatueretur: *Vndecim vrbes*, inquit, *certabant, pari ambitione ..... Hippopeni, Trallianique Laodicenis, & Magnetibus ſimul tranſmiſſi, vt parùm validi, ne Ilienſes quidem, cùm parentem vrbis Romæ Troiam referrent, niſi antiquitatis gloria pollebant. paulùm addubitatum, quòd Halicarnaſſij mille & ducentos per annos nullo motu terræ mutauiſſe ſedes ſuas, viuoque in ſaxo fundamenta templi aſſeuerauerant. Pergamenos (eo ipſo nitebantur) æde Auguſto ibi ſita, ſatis adeptos creditum. Epheſij, Mileſijque, hi Appollinis, illi Dianæ ceremonia occupauiſſe ciuitates viſi. Ita Sardianos inter, Smyrnæoſque deliberatum.* Placuit hunc integrum Taciti locum referre, quòd ex eo conſtet, Pro-

uin-

uinciam Aſiæ, de qua ibidem loquitur, fuiſſe illam, quam Proconſularem vocamus, in qua vndecim prædictæ ciuitates ſitæ ſunt, inter quas de Tiberij templo tunc quidem certatum eſt; ac non minimum quidem locum obtinere videbatur Epheſus, de qua ciuitate Strabo lib. 12. *Apamea emporium eſt magnum eius, quę propriè dicitur Aſia, proxima poſt Epheſum dignitate.* Vbi patet, Epheſum primam Aſiæ ciuitatem reputari, & in illa tanquam totius Aſiæ præcipua S. Paulum per biennium commoratum fuiſſe, colligitur ex S. Luca, qui Actorum 19. capite indicat, Proconſulem Aſiæ ibidem ſedem habuiſſe; refert enim ad tumultuantes Epheſi incolas dictum fuiſſe: *Proconſules ſunt, accuſent inuicem.* Prætereundum tamen non eſt, quòd Proconſul Aſiæ eo tempore, quo Sanctus Polycarpus martyrio coronatus eſt, Smyrnæ fuerit, vt ex eiuſdem Polycarpi actis colligitur.

# CAPVT SEPTIMVM.

## *De Thracia Prouincijs.*

DE Thracia habet Euſebius in Chronico ad annũ ſextum Claudij: *Thracia huc uſque regnata in Prouinciam redigitur.* Et ad annum quintum Veſpaſiani ait, *Byzantium, quod libera ciuitas antea fuerat, in Prouinciam redactum.* Verùm de Byzantio, & Thraciæ Prouincijs habet Sextus Rufus: *In Thracum Regionibus Scordiſci habitauerunt, pariter crudeles, & callidum genus, de quorum ſæuitia multa fabuloſè memorantur, quòd hoſtiũ captiuos Dijs ſuis litâuerunt, atque ſanguinem humanum in oſſibus capitum potare ſunt ſoliti. Sæpe per eos Romanus cæſus eſt exercitus. M. Didius vagantes Thracas repreſſit: M. Druſus intra fines proprios continuit; Minutius in Hebri fluminis glacie vaſtauit. Per Appium Claudium Proconſulem hi, qui Rhodopen incolebant, victi ſunt. Europæ maritimas vrbes anteà Romana claſſis obtinuit. Marcus Lucullus per Thracias cum Beſſis primus pugnauit, ipſamq; caput gentium vicit. Thraces enim montanos ſubegit, & Eumolphidam, quæ nunc Philippopolis dicitur; Olympiadam, quæ modò Adrianopolis nominatur, in ditionem noſtram redegit, Caluillam cepit ..... Tomos, Iſtrum, ad Danubium vſque perueniens Romana Scythis arma monſtrauit. In ditionem Reipublicæ ſex Thraciarum Prouinciæ ſunt conquiſitæ, Europa, Thracia, Hęmimons, Mœſia inferior, Scythia, Rho-*

*Rhodope. In qua nunc ſede arces Romanæ vrbis ſunt conſtitutæ Conſtantinopolis.* Conſtantinopolis, cuius hic meminit Sextus Rufus, Byzantium ante tempora Conſtantini Magni vocabatur, fuitque celeberrima totius Thraciæ ciuitas, de qua Tacitus lib. 2. cap. 54. agit, dum refert, Tiberium in Græciam profectum, Perinthumque, ac Byzantium, Thracias vrbes intraſſe, *cupidine veteres locos, & fama celebratos noſcendi, pariterque prouincias internis certaminibus, aut magiſtratuum iniurijs feſſas refouendi.* Quo ex loco colligi videtur, Tiberij temporibus Thraciam Prouinciam latiùs ſeſe extendiſſe, & Perinthi, ac Byzantij vrbes, quas fama celeberrimas vocat, comprehendiſſe. Byzantium tamen vſq. ad Seueri Imperatoris tempora fuiſſe ciuitatem liberam, colligitur ex Dione Caſſio, qui lib. 73. refert, hanc vnam ciuitatem Peſcennij Nigri partibus adhæſiſſe, & Seuerum deuincta ſibi omni Europa præter Byzantium Romam contendiſſe: additque libro 74. quòd Byzantio à Seueri militiam capto, magnam ex eo lætitiam perceperit Seuerus, exclamans: *Tandem Byzantium cepimus. Ciuitati,* inquit ibidem Dio, *abſtulit libertatem, eamque priuauit dignitatibus, fecitque tributariam bonis ciuium publicatis: vrbem, omnemque regionem, quæ erat ſub vrbis poteſtate, Perinthijs conceſſit. Hi Byzantio vſi ſunt vt vico, & à nullo genere iniuriæ temperauerunt. Quæ quamquàm iure facere quodammodo viſus eſt Seuerus, tamen Byzantijs magno dolori fuit, quòd mœnia vrbis euertit, proptereà quòd gloria priuarentur ea, quam ex magnifica ipſorum oſtentatione conſequebantur. Idque quum faceret Seuerus, magnũ præſidium Romanorum, arcemque contra barbaros Ponti, & Aſiæ ſubuertit. Ego quidem mœnia ita diruta ſpectaui, ac ſi ea Barbari cepiſſent, non Romani, videramque ea, quum adhuc ſtarent, eorumque ſonitum, quem edunt, audiueram. In his ſeptem turres à portis Thracijs ædificatæ ſpectabant ad mare, quarum reliquiæ quidem per ſe vocales non ſunt. Quòd ſi quis in prima turri vocem emiſiſſet, aut lapidem in eam coniecisset, tale erat in ea artificium, ac machina, vt is ſtatim ſonus ad ſecundam, indeque ad tertiam, & ad omnes deinceps non interceptus perferretur.* Hactenus Dio Caſſius de Byzantio ante excidium initio ſæculi tertij, à quo vſque ad annum 328. ſemper Perintho, ſeu, quod idem eſt, Heracleæ metropoli contributa fuit. Anno autem 328. Conſtantinus Magnus de transferenda Byzantium Imperij ſede conſilium iniens, ciuitati nomen ſuum tribuit, & Conſtantinopolim vocans anno 330. dedicauit. Ornata fuit hæc ciuitas omnium generum ædificijs adinſtar Ro-

Ro-

Romæ, vnde etiam *noua Roma* vocata fuit, & cum Roma vrbe de priuilegijs contendere cœpit, eius Epiſcopis ne quidem ab ambitu primi honoris ſeſe continentibus, vt ſuo loco latiùs oſtendimus.

# CAPVT OCTAVVM.

## *De Illyrici Prouincijs.*

VNA ex præcipuis Illyrici Prouincijs Macedonia fuit, quam primò Flaminius cepit, de quo L. Florus l. 2. c. 7. Flaminius Macedonia iam debellata *Græciæ veterem ſtatum reddidit, vt legibus viueret ſuis, & auita libertate frueretur. Quæ gaudia, quæ vociferationes fuerunt? Quum hoc fortè Nemeæ in theatro quinquennalibus ludis à præcone caneretur, quo certauere plauſu? quid Florum in Conſulem profuderunt? & iterum iterumque præconem repetere illam vocem iubebant, qua libertas Achaiæ pronunciabatur.* Hæc Florus, verùm Sextus Rufus: *Ter rebellauit, ſub Philippo, ſub Perſeo, ſub Pſeudophilippo. Philippum Flaminius, Perſeum Paulus, Pſeudophilippum Metellus oppreſſit, quorum triumphis Macedonia quoquè Populo Romano adiuncta eſt.* Metellus, cuius hìc meminit Rufus, diù ante Chriſtum natum de Macedonia triumphauit, adeò vt rectè Aurelius Victor Macedoniam temporibus Ciceronis Prouinciam fuiſſe commemoret. Comprehendebat Macedonia omnem regionem à finibus Thraciæ vſque ad Dyrrhachium, quod tempore Cæſaris, & ſæculis Cæſarem ſubſecutis, Macedoniæ adnumerabatur, vt teſtis eſt Dio Caſſius lib. 41. Comprehendebat quoquè Theſſaliam. Vnde Coſmographia Aethico tributa eius limites meridionales vſque ad Achaiam extendit, & omiſſa Theſſalia duas tantùm Prouincias in illis regionibus enumerat, Macedoniam & Achaiam, quibus antiquus nongentorum annorum Codex Palatinus Epirum dumtaxat adijcit. Inſcriptio tamen, quam Cyriacus Anconitanus ante 250. annos Corinthi reperit, etiam Theſſaliç meminit. THEO PREPEN. AVG. LIB. PROG. DOMINI. N. M. AVR. *Seueri Alexandri Prouinciæ Achaiæ, & Epiri, & Theſſaliæ.*

Achaia, de qua Coſmographia Aethico tributa: *Vndique propemodùm cincta ex mari, nam ab oriente habet Myrtoum mare; ab euro mare Creticum; à meridie Ionium; ab africo, & occaſu habet Cephaliam, & Caſſiopam Inſulas; à ſeptentrione ſinum* Co-

*Corinthium; ab aquilone anguſtum terræ dorſum, quod quidem Macedoniæ coniungitur, vel potiùs Atticæ, qui locus Iſthmos vocatur, vbi eſt Corinthus.* Ex quibus patet, Peloponeſum vnica Achaiæ Prouinciæ conſtitiſſe, de qua Sextus Rufus: *Diù Romanorum amicitijs libera fuit: ad poſtremum Legatis Romanorum apud Corinthum violatis, per Lucium Mumium Conſulem capta Corintho, Achaia omnis obtenta eſt.* Corinthum, cuius hic meminit Rufus, fuiſſe totius Achaiæ metropolim, tradit Florus lib. 2. cap. 16. vbi ſcribit: *Corinthus Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Ionium, & Aegæum, quaſi ſpectaculo expoſita.* Huius Prouinciæ imperium Sexto Pompeio Conſuli in quinquennium datum fuiſſe, ex hiſtorijs Romanis conſtat; affirmat autem & ad annum de vrbe condita 768. Tacitus lib. 1. Annalium cap. 80. *prorogatam Pompeo Sabino prouinciam Mœſiam, additis Achaia, & Macedonia.* Et Dio Caſſius lib. 58. *Poppeus porrò Sabinus, qui ad id vſque temporis per omnem ferè Tiberij Principatum Myſiæ vtrique, & Macedoniæ præfuerat, gratiſſimum habuit, nec ſibi vltrò conſcita iudicia omnia euitare. Et in præfectura regulus ſucceſſit; nam Macedonia, &, ſi quibuſdam credimus, Achaia extra ſortem Prouinciæ dabantur.*

Dacia, de cuius populis Sextus Rufus: *Traianus Dacos ſub Rege Decibalo vicit, & Daciam trans Danubium in ſolo Barbarico Prouinciam fecit, quæ in circuitu habuit decies centena millia paſſuum: ſed ſub Gallieno Imperatore amiſſa eſt, & per Aurelianum tranſlatis exindè Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœſiæ factæ ſunt.* Dacorum ſub Auguſto meminit Dio lib. 51. his verbis: *Daci ex vtraque parte Danubij habitant, quorum qui circa id flumen ſunt, Triballorum vicini Myſorum more viuunt; ac Myſi ab omnibus, niſi qui eaſdem regiones incolunt, appellantur: qui vltra Danubium degunt, Daci vocantur.* Dacos igitur vltra Danubium degentes vicit; eorumque regionem in Prouinciam redegit Traianus, vt cum Rufo affirmat Eutropius libro 8. *Daciam Decibalo victo ſubegit, Prouincia trans Danubium facta &c.* Super Danubium pontem illum mirabilem, quo ex Mœſia Romanis iter in Daciam pateret, conſtruxit, hac ei inſcriptione appoſita: *Prouidentia Auguſti verè Pontificis, Virtus Romana quid non domat? Sub iugum ecce rapitur Danubius.* Ponti huius mentionem facit Dio lib. 68. affirmans, ab Hadriano eius ſucceſſore, *ne barbari oppreſſis cuſtodibus Pontis in Myſiam facilè tranſirent*, euerſum fuiſſe. Vopiſcus verò in Aureliano, *cum vaſtatum Illyricum, & Mœſiam deperditam videret, Prouinciam*

*trans Danubium Daciam à Traiano conſtitutam ſublato exercitu, ac Prouincialibus reliquit, deſperans eam poſſe retineri: abductoſque ex ea populos in Mœſia collocauit, appellauitque ſuam Daciam, quæ nunc duas Mœſias diuidit.*

Mœſia, de qua iam plura antiquorum teſtimonia retulimus, comprehendebat vſque ad Gallieni tempora omnem illam regionem, quæ inter Danubium, Thraciam, & Macedoniam interiacet, quæ in ſuo ſinu ortum dedit duabus Daciæ Prouincijs, ita à tempore Aureliani vocatis, vt facilè colligitur ex ſupradictis Ruſi verbis. Vnde ante Aureliani tempora Mœſia Macedoniæ iuncta vni Præfecto commiſſa eſt, vt à Tiberio Imperatore Poppeo, & Regulo commiſſam fuiſſe teſtantur Tacitus, & Dio Caſſius lib. 58.

Noricum, Rhætia, Vindelici, aliæque Septentrionales Prouinciæ, de quibus Sextus Rufus: *Sub Iulio, & Octauiano Cæſaribus Romano Imperio acceſſerunt.* Et ante Rufum Velleius Paterculus lib. 2. *Tiberius Cæſar Rhætiam, & Vindelicos, ac Noricos .... nouas Imperio noſtro ſubiunxit Prouincias.* Hinc inter Prouincias, quæ Procuratoribus tempore Tiberij cohibebãtur, numerat Tacitus lib. 1. hiſtoriarum cap. 11. *Rhætiam, & Noricum.* Et Coſmographia Aethico tributa inter Prouincias occidentales ponit Noricum.

Dalmatia, de qua ſub Auguſto Eutropius lib. 7. *Dalmatiam ſæpè antè victam, ſed penitùs tunc ſubactam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhætiam, Vindelicos, Romano adiecit Imperio.* Atque hæc ſufficiant de Illyrico. Supereſt, vt de cæteris Occidentis Prouincijs nonnulla adiungamus.

# CAPVT NONVM

## *De Prouincijs Galliæ.*

PVtant nonnulli, Galliam Ciſalpinam Prouinciam factam eo tempore, quo M. Marcellus, is, qui Conſul quinquies fuit, primuſque Annibalem acie vicit, Vicdumarum Gallorum Regem ſingulari certamine occidit, deque Gallijs Inſubribus triumphauit anno 531. Patet enim, Prouinciam eſſe factam, quia Coloniæ plures annis ſequentibus eò deductæ.

Tranſalpinam verò Galliam, quæ Narbonenſis quoquè dicta, Q. Fabius L. Pauli Nepos deuictis Allobrogibus, vnde cognomen ſumpſit, in Prouinciæ formam redegit anno vrbis 632.

Cæterùm quatuor Prouincias in Gallijs fuiſſe ante Conſtantini

tempora, vel ex eo patet, quòd Auguſtus omnem Galliam in quatuor ampliſſimos tractus diuiſerit; in Belgicum, qui duas Belgicas, & duas Germanicas comprehendebat ſub metropoli Treuirenſi: in Celticum, ſiue Lugdunenſem, ab eius Metropoli Lugduno vocatum, qui à Conſtantino in duas Lugdunenſes, & Maximam Sequanorum diſtractus fuit, vt fidem facit Sextus Rufus in Breuiario, duabus Lugdunenſibus Prouincijs poſteà in quatuor diuiſis, vt ex antiquis Galliarum Notitijs patet: in Aquitanicum, qui duas Aquitanias, & Nouempopulanam ſub ſe comprehendebat; de qua Prouincia Tacitus in vita Agricolæ: *Veſpaſianus* (Agricolam) *inter Patricios aſciuit; ac deinde Prouinciæ Aquitaniæ præfecit*. Demum in Narbonenſem, qui & Viennenſis dictus eſt, in quo tractu continebantur omnes illæ regiones, quæ poſteà in quinque Prouincias diuiſę fuerunt, nimirum in Viennenſes tres, Viennenſem quartam habentem Alpes Cottias, & Maritimas; & Viennenſem quintam, ſiue Alpes Graias, & Penninas. Præſtat de Gallijs audire Ammianum Marcellinum, qui ſub Valente militauit, totamque Galliam tunc peragrauit.

*Regebantur autem Galliæ omnes iam inde, vt crebritate bellorum vrgenti ceſſere Iulio Dictatori, poteſtate in partes diuiſa quatuor, quarum Narbonenſis vna Viennenſem intra ſe continebat, & Lugdunenſem; altera Aquitanis præerat vniuerſis. Superiorem, & inferiorem Germaniam, Belgaſque duæ Iuriſdictiones ijsdem rexere temporibus. At nunc numerantur Prouinciæ per omnem ambitum Galliarum. Secunda Germania, prima ab occidentali exordiens cardine, Agrippina, & Tungris munita, ciuitatibus amplis, & copioſis. Dein prima Germania, vbi præter alia municipia Magontiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota. Poſt has Belgica prima Mediomatricos prætendit, & Treuiros domicilium Principum clarum. Huic adnexa eſt ſecunda Belgica, qua Ambiani ſunt, vrbs inter alias eminens; & Cathelauni, & Rhemi. Apud Sequanos Biſontios vidimus, & Rauracos, alijs potiores oppidis multis. Lugdunenſem primam Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones, & Biturigæ, & mœnium Auguſtoduni magnitudo vetuſta. Secundam enim Lugdunenſem Rotbomagi, & Turini Mediolanum oſtendunt. Et Tricaſſini, Alpes Graiæ, & Penninæ, exceptis obſcurioribus .. .... Habent & Auenticum, deſertam quidem ciuitatem, ſed non ignobilem quondam, vt ædificia ſemiruta nunc quoque demonſtrant. Hæ Prouinciæ, vrbeſque ſunt ſplendidæ Galliarum. In Aquitania, quæ Pyrenæos montes,*

*tes, & eam partem ſpectat Oceani, quæ pertinet ad Hiſpanos; prima prouincia eſt Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodùm culta*. Hactenus Ammianus Marcellinus, quibus adde Sextum Rufum, qui in epitome Prouinciarum Valentiniano Imperatori à ſe dicata refert, Gallias abſque Britãnia habuiſſe Prouincias quindecim. Eæ ſunt *Alpes maritimæ, Prouincia, Narbonenſis, Viennenſis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenſes duæ*. Hanc Rufi enumerationem bis retulimus ſuperiùs; ſemel quidem
pag. 116. quindecim in Gallijs, vt hìc, recenſentes Prouincias (quamuis *Ambianenſis* ibi ſuperfluat, & per errorem irrepſerit) tres verò Britannias, vt ſic numerus octodecim compleretur ex vtriſque conflatus; deinde verò incidentes in editionem Sexti Rufi ſatis commendabilem, & caſtigatam, in qua videre erat quatuor Britannias, addita ſcilicet *Flauia Cæſarienſi*, ſecuti lectionem illam,
pag. 300. & 301. quatuordecim Prouincias in Gallijs numerauimus. Sed vtramque lectionem perpendentes, priorem præferimus, & ex defectu interpunctionis ortum eſſe errorem in ſciolo aliquo putamus; ſiquidem cum inueniſſet in codice Rufi *Prouincia Narbonenſis*, accepit pro vna, numeranſque in Gallijs 14. Prouincias addidit *Flauiam Cæſarienſem* tribus Britannicis, vt octodecim conſtitueret. Cæterùm ibi *Prouincia* eadem eſt quæ *Maſſilienſis*, & diſtinguenda à *Narbonenſi*, nec omittenda erat. Adeòque Sexti Rufi ætate quindecim in Gallijs, tres in Britannijs Prouinciæ erant numerandæ. Quænam autem fuerit Prouinciarum diuiſio poſt Sextum Rufum in Gallijs, ex eiuſdem Diœceſis Notitijs tempore Arcadij, & Honorij conſcriptis facilè diiudicare licebit; plures enim editæ ſunt à Franciſco Ducheſne Tomo primo Scriptorum Galliæ, & vna à Sirmondo Tomo primo Conciliorum Galliæ, quam poſteà referemus, illam enim omnium exactiſſimam eſſe, facilè crediderim.

# CAPVT DECIMVM

## *De Hiſpaniæ Prouincijs.*

NVnc peragrato ferè toto terrarum orbe, ad Hiſpaniam deuenimus, de qua Caius Iulius Solinus in Polyhiſtore capite 26. *Terrarum plaga comparanda optimis, nulli poſthabenda frugum copia, ſiue ſoli. Omni materia affluit, quæcumque aut pre-*

*tio ambitioſa eſt, aut vſu neceſſaria. Argentum, vel aurum ſi requiras, habet : ferrarijs nunquam deficit, nec cedit vitibus, vincit oleis*. Placuit autem hoc Solini teſtimonium adducere, quia licèt, vbi aurifodinæ nunc in Hiſpania ſunt, ignoretur; olim tamen cum in ditionem Romanam peruenit, notæ fuerunt, teſtante ſacra ſcriptura Machabęorum 1. cap. 8. quòd Iudæi audiuerint nomen Romanorum, *& quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quòd in poteſtatem redegerunt metalla argenti, & auri, quæ illic ſunt*. Hiſpania itáque à temporibus Machabęorum ſub Romano Imperio erat, quæ multum diùque ipſorum armis reſtiterat, ſcribente Floro libro 2. capite 17. *Cato Cenſorinus Celtiberos, id eſt robur Hiſpaniæ, aliquot prælijs fregit. Gracchus pater ille Gracchorum eoſdem centum & quinquaginta vrbium euerſione mulctauit... Lucullus Turdulos, atque Vaceos ...... Decius Brutus aliquanto latiùs, Gallecos, Luſitanoſque omnis Galleciæ populos*. Hiſpania proinde, vt cum Sexto Rufo loquar, per Decium Brutum obtenta eſt; tumultuantes Hiſpanos Syllanus vicit; omneſque Hiſpaniæ per Metellum, & Pompeium in deditionem acceptæ ſunt. Ad extremum ab Octauiano Cæſare Augusto Cantabri, & Aſtures, qui freti montibus reſiſtebant, deleti ſunt, & deletis hoſtibus, certa, ac ſtabilis Populi Romani poſſeſſio eſſe cœpit Auguſti temporibus, quibus Strabo vixit, qui initio lib. 3. ſcribit: *Hiſpania ab Auguſto armis comparata per eumdem in tres Prouincias diuiſa eſt, Bæticam, Luſitaniam, & Tarraconenſem*. Eandem omninò diuiſionem ſuis temporibus obtinuiſſe affirmat Ptolomæus natione Alexandrinus libro 2. capite 4. *Hiſpania, quæ apud Græcos Iberia dicitur, tres Prouinciæ ſunt, Bætica, Luſitania, ac Tarraconenſis*. Et C. Iulius Solinus Traiani, vti creditur, tempore in Polyhiſtore ex Plinij hiſtorijs naturalibus deſumpta capite 25. *Hiſpania diuidua eſt Prouincijs tribus*. Et infrà: *Carthaginem*, (Carthaginenſis Prouinciæ ciuitatem præcipuam) *apud Iberos, quæ mox colonia facta eſt, Pœni condiderunt; Tarraconem Scipiones, ideò caput eſt Prouinciæ Tarraconenſis*. Metropolis itaque Tarraconenſis Prouincię Tarraco fuit, quamuis Carthago inter vrbes Prouinciæ Tarraconenſis non infimum locum tenuerit, vtpotè de qua Strabo tempore Auguſti: *Carthago noua ab Aſdrubale condita longè præſtantiſſima omnium huius regionis vrbium*. Et infrà: *Ipſe Præfectus in maritimis hiemare ſolet, ius dicendo maximè Carthagine, aut Tarracone per æſtatem obit prouinciam*. Vbi notanda ſunt Strabonis verba, quibus indicatur, Præfectum æquè Tarracone,

ac Carthagine moratum fuiſſe Auguſti temporibus: vt mirum non ſit, quòd dignitas Metropolitana apud Tarraconem fuerit, & ideò apud Solinum Tarraco caput Prouinciæ Tarraconenſis dicta ſit, illudque ſequentibus temporibus permanſerit, teſtante S. Iſidoro lib. 15. Originum: *Carthago à Romanis capta, & colonia facta, nomen etiam Prouinciæ dedit, nunc autem à Gothis ſubuerſa, atque in deſolationem redacta eſt.*

Bætica Prouincia, de qua Dio Caſſius lib. 53. in Cæſare Auguſto: *Hiſpania Bætica populo Romano ſcripta eſt.* Eius Ciuitatis præcipuæ meminit Philoſtratus; hic enim in vita Apollonij Tyanei lib. 5. capite 3. *Qui verò Iſpula incolebant, ea verò Bæticæ Prouinciæ ciuitas eſt.* Et infrà: *Cum Bæticæ Prouinciæ Præfectus ſæpiùs Apollonij colloquium petijſſet.* Fuit itaque temporibus Veſpaſiani, quibus Apollonius vixit, Bætica vna ex Hiſpaniæ Prouincijs. Tempore Domitiani proconſularis erat, eiuſque caput Hiſpalis, quam Philoſtratus memorat, à qua circa annum 586. Kenuigildus Gothorum Rex thronum regium tranſtulit, vt ſtatim videbimus.

Luſitania Prouincia, cuius caput Emerita, ſic in honorem Auguſti vocata, quia illuc coloniam miſit, vnde Luſitania apud Dionem lib. 53. inter Hiſpaniæ prouincias tertio loco collocatur. Emeritæ ciuitatis nil niſi ruinę modò ſuperſunt, vt nihil ſit, quod de ea nunc memoriæ proditum habeatur, iure eius Metropolitico per Caliſtum II. in Compoſtellanam Eccleſiam tranſlato.

Notandum autem cum Carolo à S. Paulo, Hiſpaniam poſt Conſtantini tempora in quinque Prouincias diſtributam fuiſſe, Tarraconenſi in tres diſtracta, Tarraconenſem, Carthaginenſem, & Galleciam, cui à Conſtantino addita eſt Tranſfretana; & ſub Arcadio, & Honorio Inſularum Balearium: ſub regno verò Gothorum, qui anno 416. Hiſpaniam inuaſerunt, ſublata Balearium Prouincia addita eſt Narbonenſis: & demùm anno 569. Braccaræ Galleciæ Metropoli adiuncta eſt Metropolis Lucenſis, vt conſtat ex Concilio Lucenſi æra 707. ſub Theodomiro Rege celebrata apud Garſiam Loaiſam in Concilijs Hiſpaniæ, vbi in notis ad Concilium Lucenſe aliquot Notitias Hiſpaniæ adfert, quas poſteà referemus.

CA-

# CAPVT VNDECIMVM
## *De Britanniæ Prouincijs.*

BRitannia vt primùm in ditionem Romanorum deuenit, vna Prouincia fuit, de qua Tacitus in vita Agricolæ de Veſpaſiani tempore agens: *Præerat tunc Britanniæ Vectius Bolanus placidiùs, quàm feroci prouincia dignum eſt.* Et infrà de Agricola: *Poſt triennium legationis ſtatim ad ſpem Conſulatus reuocatus eſt comitante opinione, Britanniam ei Prouinciam dari .... ... Poſt Conſulatum ſtatim Britanniæ præpoſitus eſt, adiecto Pontificatus ſacerdotio.* Et poſt pauca: *Sub Claudio Imperatore, & duce Veſpaſiano, domitæ gentes, capti reges, redactaque paulatìm in formam Prouinciæ proxima pars Britanniæ.* Vbi clarè ſupponit Tacitus, ante Agricolæ aduentum vnam fuiſſe Prouinciam: Agricola autem ſub Domitiano in Britanniam miſſus fuit. Putant nonnulli, poſt Agricolæ tempora in duas partes, ſeu Prouincias diuiſam fuiſſe, ſuperiorem nimirùm, quæ auſtralis eſt, cuius Metropolis Londinum erat; & inferiorem, quæ ſeptentrionalis eſt, cuius Metropolis Eboracum fuit: quarum Metropolium Epiſcopi Concilio Arelatenſi primo ſubſcripſiſſe reperiuntur anno vulgari 314. ſub Conſtantino Magno, cui noua Britanniarum in tres Prouincias diuiſio adſcribitur, nimirùm in Britannicam primam, Britannicam ſecundam, & Maximam Cæſarienſem, quarum trium Prouinciarum meminit Sextus Rufus in Breuiario, qui cum dixiſſet, in Gallijs, & Britannijs octodecim prouincias reperiri, exhibet quindecim prouincias Galliarum, & ijs ſubijcit tres præfatas Britanniæ prouincias.

Britanniæ primæ Metropolis Londinum manſit vſque ad Saxonum irruptiones, teſtante Venerabili Beda lib. 2. capite 7. de Orientalibus Saxonibus: *Horum Metropolis Londonia Ciuitas.*

Britanniæ Secundæ à prima ſeparatæ Metropolis à ſcriptoribus Anglis ſtatuitur Carleona, cuius tamen Metropolitani Epiſcopi mentionem apud antiquos reperire non potui.

Maximæ Cæſarienſis Metropolis manſit Eboracum, cuius frequens mentio non modò apud prophanos, ſed etiam Eccleſiaſticos ſcriptores, teſtante Venerabili Beda, quòd Gregorius Magnus in ſecunda Britanniarum conuerſione iuſſerit, duos Metropolitanos inſtitui, quorum alter Londini, alter Eboraci ſederent, vt alibi oſtendimus. Sed ad tempora Gregorio Magno antiquiora redeamus

Enimuerò tribus Britanniarum prouincijs duæ aliæ poſt Conſtantini tempora acceſſere; Valentia per Theodoſium, dum ſub Valente Imperatore militabat, recuperata, quæ in eiuſdem Imperatoris honorem Valentia nuncupata eſt: Flauia quoquè, quæ à Flauio Imperatore illius Theodoſij filio nomen deſumpſit. Vnde hæ duæ prouinciæ cum tribus præfatis comparent in antiqua vtriuſq; Imperij Notitia haud diù poſt Arcadij, & Honorij tempus conſcripta. Permanſit autem hæc Prouinciarum diuiſio in Britannijs, vſque ad Pictonum, & Scotorum irruptiones, quas Saxonum inuaſio ſubſecuta eſt. Præmiſſa hac Diſſertatione ſubdimus Opuſcula.

I. DI-

I.

# DIMENSVRATIO PROVINCIARVM.

Variæ lectiones ex Cod. 247. Vat.

*Ex M.S. ducentorum viginti annorum Cod. Vaticano 244. Correctione indigeret lectio, ſed fideliter, vt iacet in codice, hìc exhibetur.*

INdia Vlterior finitur ab oriente Oceano Aegeo; ab occidente flumine Sintho; à ſeptentrione monte Tauro; à meridie Oceano Syrico. Cuius ſpatia patent in longitudine millia paſſuum xxx. & ccc. in latitudine millia *xi.* & cc. Ganges flumen ibi eſt, & regio vbi piper naſcitur, & elephanti, dracones, ſphinges, pſittaci.

vl. id eſt ſex millia

Media, Parthia, Appiania, Carminia, Perſida finiuntur ab oriente flumine Sintho; ab occidente Meſopotamia; à ſeptentrione monte Tauro; à meridie mari Perſico. Quarum ſpatia habent in longitudine millia paſſuum *dcccxi.*

Addit. xi. & ccc xx. in latitudine millia paſſuum dcccxi.

Meſopotamia finitur flumine Tygri, ab occidente flumine Euphrate, à ſeptentrione monte Tauro, à meridie mari Perſico: cuius ſpatia habent in longitudine millia paſſuum dccc.

Babylon Syria finitur ab oriente flumine Euphrate, ab occidente mari Aegyptico, à ſeptentrione, quod inter Cyprum, & Syriam eſt mari, à meridie Arabia, quæ eſt inter mare rubrum, & ſinum Perſicum. Cuius ſpatia in longitudine millia paſſuum *ccc.* in latitudine clxxv.

cclxx.

Mons Taurus, Inſula Cyprus ab oriente mari Syrio; ab occidente Pamphilio, à ſeptentrione Aulones Cyliciæ, à meridie mari Phœniceo: cuius ſpatia in longitudine millia paſſuum clxxv. in latitudine cxxv.

Armenia finitur à mari Caſpio, & quæ circa gentes ſunt ab Oceano, ab oriente Oceano Indico, ab occidente iugis montis Caucaſi, à meridie monte Tauro, qui ſuprà patet. Quod cognitum eſt millia paſſuum ccccxxx. in latitudine millia paſſuum ccccxxx.

Inſula Rhodus, Samus, Chius, & quæ circa ſunt Cyclades, finiuntur ab oriente littoribus Aſię, ab occidente mari Hicarico, à ſeptentrione mari Aegeo, à meridie mari Carpatio: qui patet in longitudine millia paſſuum d. in latitudine cc.

Dacia, Getica, finiuntur ab oriente deſertis Sarmatiæ; ab occidente flumine Iuſtula; à ſeptentrione Oceano; à meridie flumine Hiſtro: qui patet in longitudine

dine millia paſſuum cclxxx. in latitudine, qua cognitum eſt, ccclxxxvi.

Sarmatia, & Scythia Taurica finiunt ab oriente iugis Tauri montis, ab occidente flumine Boriſtene, à ſeptentrione Oceano, à meridie Prouincia Pontica. Qui expandit in longitudine millia paſſuum dcccclxxx. in latitudine, qua cognitum eſt, dcccxvi.

Inſula Creta, & quæ circa ſunt, finiunt ab oriente mari Carpatio, ab occidente mari Cretico, à meridie mari Libyco, à ſeptentrione mari Aegeo. Creta patet in longitudine millia paſſuum clxxiii. in latitudine. * ......

*Millia paſſuũ vi. Macedonia, & Helleſpontus, & pars Ponti finiuntur ab oriente mari Pontico, ab occidente deſertis Dardaniæ, à ſeptentrione flumine Hiſtro, à meridie Aegeo. Quæ patet in longitudine millia paſſuum dccxx. in latitudine millia paſſuum ccccxxxij. ccxxxij.

Epirus, Achaia, Theſſalonia finiuntur ab oriente mari Oceano, ab occidente mari Adriatico, à ſeptentrione montibus Penio, & Olympo, à meridie mari Siculo, & Libyco. Quarum ſpatia in longitudine millia paſſuum dccxx. in latitudine ccclxxvi.

Inſula Sicilia, & quæ circa ſunt, finiuntur ab oriente, & occidente, item ſeptentrione mari Tyrrhenico, à meridie mari Aphrico. Sicilia patet in longitudine millia paſſuum à Peloro vſque Pachynum clxxxvii. in latitudine millia paſſuum clxxxviiij.

Pars Italiæ finitur ab oriente mari Adriatico, & freto, quod eſt inter Siciliam, & Italiam, ab occidente vrbe Roma, à ſeptentrione ſinu Adriatico, à meridie mari Tyrrhenico, cuius ſuprà meminimus. In longitudine millia paſſuum ccccxlviij. in latitudine ccxxiiij.

Pars Italiæ ad Alpes finitur ab oriente iugis Alpium, ab occidente Hiſtria, & Carnia, à ſeptentrione ſinu Adriatico, à meridie mari Liguſtico, & Tyrrhenico. Cuius ſpatia in longitudine millia paſſuum dccccxx. in latitudine cccxxx.

Inſula Corſica ab oriente Promontorio ſacro, ab occidente Portuciano, à ſeptentrione Liguſtico, à meridie mari Aphrico. Inſula illa habet in longitudine millia paſſuum cxxx. in latitudine millia paſſuum xx.

Sardinia ab oriente Corſica, & mari Sardico, à ſeptentrione Tyrrhenico, à meridie mari Aphrico. In longitudine millia paſſuum cclxxx. in latitudine ccxxx.

Illyricum, Pannonia ab oriente flumine Trino, ab occidente deſertis, in quibus habitant Boi & Carni, à ſeptentrione flumine Danubio, à meridie mari Adriatico. Qui pandit in longitudine millia paſſuum *dcxxx.* in latitudine millia paſſuum cccxxv. dcxx.

Germania, Rhętia, ager Noricus, ab oriente flumine Wiſtula & Silua *Hirinnia*, ab occidente flu- Hircania.

flumine Aeneo, à ſeptentrione Oceano, à meridie iugis Achemei flumine Danubio. Quæ pars pandit in longo millia paſſuum *dcxxiij.* in lato millia paſſuum poſita cccxxviij.

*dcxxiij.*

GalliaComata finitur ab oriente flumine Rheno, ab occidente ſaltu Pyrrhenæo, à ſeptentrione Oceano, à meridie Gallia. Narbonenſis, & Aquitanica, ab oriente Alpibus, ab occidente ſaltu Pyrrheneo, à ſeptentrione montes Catauenæ, & Viribus, à meridie mari Gallico. Qui ſuprà in longitudine millia paſſuũ *ccclxxiiij*, in latitudine millia paſſuum ccxl.

*ccclxxiij.*

Hiſpania Citerior finitur ab oriente ſaltu Pyrrhenæo, ab occidente Oretania, à ſeptentrione Oceano, à meridie mari Hiberico. Cuius ſpatia in longo millia paſſuum dxxxv. in lato millia paſſuum clxiij.

Adſtodio, & Galicia, Luſitania, ab oriente Cantabria, & Oretania, ab occidente Oceano. Qui ſuprà in longo millia paſſuum dlxxx. in lato millia paſſuum *dlxxx.*

*dlxxv.*

Hiſpania Vlterior ab oriente Oretania, ab occidente Oceano, à ſeptentrione flumine Ana, à meridie mari Hiberico. Cuius expandit in longitudine millia paſſuum * *cclxxxiiij.*

** ccclxxx in latitudine millia paſſuũ cclxxxiiij.*

Getulia, & Mauritania finiuntur, ab Oriente flumine Anſabo, ab occidente Oceano Aethiopiæ. Cuius ſuprà in longo millia paſſuum cccclii. in lato cccclxx.

Aphrica, Carthago, Numidia, finiuntur ab oriente Syrti minori, ab occidente fluuio Amſaca, à ſeptentrione mari Aphrico, à meridie oceano Aethiopico. Cuius ſunt in longitudine millia paſſuũ ccccxx. in latitudine ccc.

Africa Cyrenaica ſuperior Libyæ, ab oriente Cathabatom, ab occidente Syrti minori, à ſeptentrione mari Cretico, à meridie mari Aethiopico. Cuius ſuprà longitudine millia paſſuũ dcccclxxx. in latitudine ccccxx.

Aegypti pars inferior, & Mareotis, Libya finiuntur ab oriente Arabia, ab occidente Libya deſerta, à ſeptentrione mari, quod Aegyptium vocatur, à meridie Aegypto ſuperiori, & deſertis. Habet in longitudine millia paſſuum cxc. in latitudine clxxx.

[ Additur: *Arabia, Aethiopia, & Aegyptus ſuperior, & ſinus Arabicus, & Perſicus, ab oriente maritima Perſida, & Carminia, ab occidente Libya deſerta, à ſeptentrione Syria, à meridie mare rubrum. In longitudine millia paſſuum cxc. in latitudine millia paſſuum clxxx.*]

Epitome totius orbis finitur ab oriente Oceano, à meridie Atlantico, à ſeptentrione Oceano Britannico. Britannia in longitudine millia paſſuum dccc. in latitudine ccc.

*Rhodope. In qua nunc ſede arces Romanæ urbis ſunt conſtitutæ Conſtantinopolis.* Conſtantinopolis, cuius hic meminit Sextus Rufus, Byzantium ante tempora Conſtantini Magni vocabatur; fuitque celeberrima totius Thraciæ ciuitas, de qua Tacitus lib. 2. cap. 54. agit, dum refert, Tiberium in Græciam profectum, Perinthumque, ac Byzantium, Thracias vrbes intraſſe, *cupidine veteres locos & fama celebratos noſcendi, pariterque prouincias internis certaminibus, aut magiſtratuum iniurijs feſſas refouendi.* Quo ex loco colligi videtur, Tiberij temporibus Thraciam Prouinciam latiùs ſeſe extendiſſe, & Perinthi, ac Byzantij vrbes, quas fama celeberrimas vocat, comprehendiſſe. Byzantium tamen vſq. ad Seueri Imperatoris tempora fuiſſe ciuitatem liberam, colligitur ex Dione Caſſio, qui lib. 73. refert, hanc vnam ciuitatem Peſcennij Nigri partibus adhæſiſſe, & Seuerum deuincta ſibi omni Europa præter Byzantium Romam contendiſſe: additque libro 74. quòd Byzantio à Seueri militiam capto, magnam ex eo lætitiam perceperit Seuerus, exclamans: *Tandem Byzantium cepimus. Ciuitati*, inquit ibidem Dio, *abſtulit libertatem, eamque priuauit dignitatibus, fecitque tributariam bonis ciuium publicatis: vrbem, omnemque regionem, quæ erat ſub vrbis poteſtate, Perinthijs conceſſit. Hi Byzantiò vſi ſunt vt vico, & à nullo genere iniuriæ temperauerunt. Quæ quamquàm iure facere quodammodo viſus eſt Seuerus, tamen Byzantijs magno dolori fuit, quòd mœnia vrbis euertit, proptereà quòd gloria priuarentur ea, quam ex magnifica ipſorum oſtentatione conſequebantur. Idque quum faceret Seuerus, magnũ præſidium Romanorum, arcemque contra barbaros Ponti, & Aſiæ ſubuertit. Ego quidem mœnia ita diruta ſpectaui, ac ſi ea Barbari cepiſſent, non Romani, videramque ea, quum adhuc ſtarent, eorumque ſonitum, quem edunt, audiueram. In his ſeptem*
3. *turres à portis Thracijs ædificatæ ſpectabant ad mare, quarum reliquiæ quidem per ſe vocales non ſunt. Quòd ſiquis in prima turri vocem emiſiſſet, aut lapidem in eam conieciſſet, tale erat in ea artificium, ac machina, vt is ſtatim ſonus ad ſecundam, indeque ad tertiam, & ad omnes deinceps non interceptus perferretur.* Hactenus Dio Caſſius de Byzantio ante excidium initio ſæculi tertij, à quo vſque ad annum 328. ſemper Perintho, ſeu, quod idem eſt, Heracleæ metropoli contributa fuit. Anno autem 328. Conſtantinus Magnus de transferenda Byzantium Imperij ſede conſilium iniens, ciuitati nomen ſuum tribuit, & Conſtantinopolim vocans anno 330. dedicauit. Ornata fuit hæc ciuitas omnium generum ædificijs adinſtar

Ro-

Romæ, vnde etiam *noua Roma* vocata fuit, & cum Roma vrbe de priuilegijs contendere cœpit, eius Epiſcopis ne quidem ab ambitu primi honoris ſeſe continentibus, vt ſuo loco latiùs oſtendimus.

# CAPVT OCTAVVM.

## *De Illyrici Prouincijs.*

VNA ex præcipuis Illyrici Prouincijs Macedonia fuit, quam primò Flaminius cepit, de quo L. Florus l. 2. c. 7. Flaminius Macedonia iam debellata *Græciæ veterem ſtatum reddidit, vt legibus viueret ſuis, & auita libertate frueretur. Quæ gaudia, quæ vociferationes fuerunt? Quum hoc fortè Nemeæ in theatro quinquennalibus ludis à præcone caneretur, quo certauere plauſu? quid Florum in Conſulem profuderunt? & iterum iterumque præconem repetere illam vocem iubebant, qua libertas Achaiæ pronunciabatur.* Hæc Florus, verùm Sextus Rufus: *Ter rebellauit, ſub Philippo, ſub Perſeo, ſub Pſeudophilippo. Philippum Flaminius, Perſeum Paulus, Pſeudophilippum Metellus oppreſſit, quorum triumphis Macedonia quoquè Populo Romano adiuncta eſt.* Metellus, cuius hic meminit Rufus, diù ante Chriſtum natum de Macedonia triumphauit, adeò vt rectè Aurelius Victor Macedoniam temporibus Ciceronis Prouinciam fuiſſe commemoret. Comprehendebat Macedonia omnem regionem à finibus Thraciæ vſque ad Dyrrhachium, quod tempore Cæſaris, & ſæculis Cæſarem ſubſecutis, Macedoniæ adnumerabatur, vt teſtis eſt Dio Caſſius lib. 41. Comprehendebat quoquè Theſſaliam. Vnde Coſmographia Aethico tributa eius limites meridionales vſque ad Achaiam extendit, & omiſſa Theſſalia duas tantùm Prouincias in illis regionibus enumerat, Macedoniam & Achaiam, quibus antiquus nongentorum annorum Codex Palatinus Epirum dumtaxat adijcit. Inſcriptio tamen, quam Cyriacus Anconitanus ante 250. annos Corinthi reperit, etiam Theſſaliç meminit. THEO PREPEN. AVG. LIB. PROG. DOMINI. N. M. AVR. *Seueri Alexandri Prouinciæ Achaiæ, & Epiri, & Theſſaliæ.*

Achaia, de qua Coſmographia Aethico tributa: *Vndique propemodùm cincta ex mari, nam ab oriente habet Myrtoum mare; ab euro mare Creticum; à meridie Ionium; ab africo, & occaſu habet Cephaliam, & Caſſiopam Inſulas; à ſeptentrione ſinum* Co-

*Corinthium; ab aquilone anguſtum terræ dorſum, quod quidem Macedoniæ coniungitur, vel potiùs Atticæ, qui locus Iſthmos vocatur, vbi eſt Corinthus.* Ex quibus patet, Peloponeſum vnica Achaiæ Prouincia conſtitiſſe, de qua Sextus Rufus: *Diù Romanorum amicitijs libera fuit: ad poſtremum Legatis Romanorum apud Corinthum violatis, per Lucium Mumium Conſulem capta Corintho, Achaia omnis obtenta eſt.* Corinthum, cuius hic meminit Rufus, fuiſſe totius Achaiæ metropolim, tradit Florus lib. 2. cap. 16. vbi ſcribit: *Corinthus Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Ionium, & Aegæum, quaſi ſpectaculo expoſita.* Huius Prouinciæ imperium Sexto Pompeio Conſuli in quinquennium datum fuiſſe, ex hiſtorijs Romanis conſtat; affirmat autem & ad annum de vrbe condita 768. Tacitus lib. 1. Annalium cap. 80. *prorogatam Pompeo Sabino prouinciam Mœſiam, additis Achaia, & Macedonia.* Et Dio Caſſius lib. 58. *Poppeus porrò Sabinus, qui ad id vſque temporis per omnem ferè Tiberij Principatum Myſiæ vtrique, & Macedoniæ præfuerat, gratiſſimum habuit, nec ſibi vltrò conſcita iudicia omnia euitare. Et in præfectura regulus ſucceſſit; nam Macedonia, &, ſi quibuſdam credimus, Achaia extra ſortem Prouinciæ dabantur.*

Dacia, de cuius populis Sextus Rufus: *Traianus Dacos ſub Rege Decibalo vicit; & Daciam trans Danubium in ſolo Barbarico Prouinciam fecit, quæ in circuitu habuit decies centena millia paſſuum: ſed ſub Gallieno Imperatore amiſſa eſt; & per Aurelianum tranſlatis exindè Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœſiæ factæ ſunt.* Dacorum ſub Auguſto meminit Dio lib. 51. his verbis: *Daci ex vtraque parte Danubij habitant, quorum qui circa id flumen ſunt, Triballorum vicini Myſorum more viuunt; ac Myſi ab omnibus, niſi qui eaſdem regiones incolunt, appellantur: qui vltra Danubium degunt, Daci vocantur.* Dacos igitur vltra Danubium degentes vicit; eorumque regionem in Prouinciam redegit Traianus, vt cum Rufo affirmat Eutropius libro 8. *Daciam Decibalo victo ſubegit, Prouincia trans Danubium facta &c.* Super Danubium pontem illum mirabilem, quo ex Mœſia Romanis iter in Daciam pateret, conſtruxit, hac ei inſcriptione appoſita: *Prouidentia Auguſti verè Pontificis, Virtus Romana quid non domat? Sub iugum ecce rapitur Danubius.* Ponti huius mentionem facit Dio lib. 68. affirmans, ab Hadriano eius ſucceſſore, *ne barbari oppreſſis cuſtodibus Pontis in Myſiam facilè tranſirent,* euerſum fuiſſe. Vopiſcus verò in Aureliano, *cum vaſtatum Illyricum, & Mœſiam deperditam videret, Prouinciam*

*trans Danubium Daciam à Traiano conſtitutam ſublato exercitu, ac Prouincialibus reliquit, deſperans eam poſſe retineri: abductoſque ex ea populos in Mœſia collocauit, appellauitque ſuam Daciam, quæ nunc duas Mœſias diuidit.*

Mœſia, de qua iam plura antiquorum teſtimonia retulimus, comprehendebat vſque ad Gallieni tempora omnem illam regionem, quæ inter Danubium, Thraciam, & Macedoniam interiacet, quæ in ſuo ſinu ortum dedit duabus Daciæ Prouincijs, ita à tempore Aureliani vocatis, vt facilè colligitur ex ſupradictis Rufi verbis. Vnde ante Aureliani tempora Mœſia Macedoniæ iuncta vni Præfecto commiſſa eſt, vt à Tiberio Imperatore Poppeo, & Regulo commiſſam fuiſſe teſtantur Tacitus, & Dio Caſſius lib. 58.

Noricum, Rhætia, Vindelici, aliæque Septentrionales Prouinciæ, de quibus Sextus Rufus: *Sub Iulio, & Octauiano Cæſaribus Romano Imperio acceſſerunt.* Et ante Rufum Velleius Paterculus lib. 2. *Tiberius Cæſar Rhætiam, & Vindelicos, ac Noricos .... nouas Imperio noſtro ſubiunxit Prouincias.* Hinc inter Prouincias, quæ Procuratoribus tempore Tiberij cohibebãtur, numerat Tacitus lib. 1. hiſtoriarum cap. 11. *Rhætiam, & Noricum.* Et Coſmographia Aethico tributa inter Prouincias occidentales ponit Noricum.

Dalmatia, de qua ſub Augusto Eutropius lib. 7. *Dalmatiam ſæpè antè victam, ſed penitùs tunc ſubactam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhætiam, Vindelicos, Romano adiecit Imperio.* Atque hæc ſufficiant de Illyrico. Supereſt, vt de cæteris Occidentis Prouincijs nonnulla adiungamus.

# CAPVT NONVM

## *De Prouincijs Galliæ.*

PVtant nonnulli, Galliam Ciſalpinam Prouinciam factam eo tempore, quo M. Marcellus, is, qui Conſul quinquies fuit, primuſque Annibalem acie vicit, Viedumarum Gallorum Regem ſingulari certamine occidit, deque Gallijs Inſubribus triumphauit anno 531. Patet enim, Prouinciam eſſe factam, quia Coloniæ plures annis ſequentibus eò deductæ.

Tranſalpinam verò Galliam, quæ Narbonenſis quoquè dicta, Q. Fabius L. Pauli Nepos deuictis Allobrogibus, vnde cognomen ſumpſit, in Prouinciæ formam redegit anno vrbis 632.

Cæterùm quatuor Prouincias in Gallijs fuiſſe ante Conſtantini

tempora, vel ex eo patet, quòd Auguſtus omnem Galliam in quatuor ampliſſimos tractus diuiſerit; in Belgicum, qui duas Belgicas, & duas Germanicas comprehendebat ſub metropoli Treuirenſi: in Celticum, ſiue Lugdunenſem, ab eius Metropoli Lugduno vocatum, qui à Conſtantino in duas Lugdunenſes, & Maximam Sequanorum diſtractus fuit, vt fidem facit Sextus Rufus in Breuiario, duabus Lugdunenſibus Prouincijs poſteà in quatuor diuiſis, vt ex antiquis Galliarum Notitijs patet: in Aquitanicum, qui duas Aquitanias, & Nouempopulanam ſub ſe comprehendebat; de qua Prouincia Tacitus in vita Agricolæ: *Veſpaſianus* (Agricolam) *inter Patricios aſciuit, ac deinde Prouinciæ Aquitaniæ præfecit*. Demum in Narbonenſem, qui & Viennenſis dictus eſt, in quo tractu continebantur omnes illæ regiones, quæ poſteà in quinqueProuincias diuiſę fuerunt, nimirum in Viennenſes tres, Viennenſem quartam habentem Alpes Cottias, & Maritimas; & Viennenſem quintam, ſiue Alpes Graias, & Penninas. Præſtat de Gallijs audire Ammianum Marcellinum, qui ſub Valente militauit, totamque Galliam tunc peragrauit.

*Regebantur autem Galliæ omnes iam inde, vt crebritate bellorum vrgenti ceſſere Iulio Dictatori, poteſtate in partes diuiſa quatuor, quarum Narbonenſis vna Viennenſem intra ſe continebat, & Lugdunenſem; altera Aquitanis præerat vniuerſis. Superiorem, & inferiorem Germaniam, Belgaſque duæ Iuriſdictiones ijſdem rexere temporibus. At nunc numerantur Prouinciæ per omnem ambitum Galliarum. Secunda Germania, prima ab occidentali exordiens cardine, Agrippina, & Tungris munita, ciuitatibus amplis, & copioſis. Dein prima Germania, vbi præter alia municipia Magontiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota. Poſt has Belgica prima Mediomatricos prætendit, & Treuiros domicilium Principum clarum. Huic adnexa eſt ſecunda Belgica, qua Ambiani ſunt, vrbs inter alias eminens; & Cathelauni, & Rhemi. Apud Sequanos Biſontios vidimus, & Rauracos, alijs potiores oppidis multis. Lugdunenſem primam Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones, & Biturigæ, & mœnium Auguſtoduni magnitudo vetuſta. Secundam enim Lugdunenſem Rotbomagi, & Turini Mediolanum oſtendunt. Et Tricaſſini, Alpes Graiæ, & Penninæ, exceptis obſcurioribus .. .... Habent & Auenticum, deſertam quidem ciuitatem, ſed non ignobilem quondam, vt ædificia ſemiruta nunc quoque demonſtrant. Hæ Prouinciæ, vrbeſque ſunt ſplendidæ Galliarum. In Aquitania, quæ Pyrenæos montes,*

*tes, & eam partem ſpectat Oceani, quæ pertinet ad Hiſpanos; prima prouincia eſt Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodùm culta.* Hactenus Ammianus Marcellinus, quibus adde Sextum Rufum, qui in epitome Prouinciarum Valentiniano Imperatori à ſe dicata refert, Gallias abſque Britãnia habuiſſe Prouincias quindecim. Eæ ſunt *Alpes maritimæ, Prouincia, Narbonenſis, Viennenſis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenſes duæ.* Hanc Rufi enumerationem bis retulimus ſuperiùs; ſemel quidem
pg.316. quindecim in Gallijs, vt hìc, recenſentes Prouincias (quamuìs *Ambianenſis* ibi ſuperfluat, & per errorem irrepſerit) tres verò Britannias, vt ſic numerus octodecim compleretur ex vtriſque conflatus; deinde verò incidentes in editionem Sexti Rufi ſatìs commendabilem, & caſtigatam, in qua videre erat quatuor Britannias, addita ſcilicet *Flauia Cæſarienſi*, ſecuti lectionem illam,
pg.300. & 301. quatuordecim Prouincias in Gallijs numerauimus. Sed vtramque lectionem perpendentes, priorem præferimus, & ex defectu interpunctionis ortum eſſe errorem in ſciolo aliquo putamus; ſiquidem cum inueniſſet in codice Rufi *Prouincia Narbonenſis*, accepit pro vna, numeranſque in Gallijs 14. Prouincias addidit *Flauiam Cæſarienſem* tribus Britannicis, vt octodecim conſtitueret. Cæterùm ibi *Prouincia* eadem eſt quæ *Maſſilienſis*, & diſtinguenda à *Narbonenſi*, nec omittenda erat. Adeòque Sexti Rufi ætate quindecim in Gallijs, tres in Britannijs Prouinciæ erant numerandæ. Quænam autem fuerit Prouinciarum diuiſio poſt Sextum Rufum in Gallijs, ex eiuſdem Diœceſis Notitijs tempore Arcadij, & Honorij conſcriptis facilè diiudicare licebit; plures enim editæ ſunt à Franciſco Ducheſne Tomo primo Scriptorum Galliæ, & vna à Sirmondo Tomo primo Conciliorum Galliæ, quam poſteà referemus, illam enim omnium exactiſſimam eſſe, facilè crediderim.

# CAPVT DECIMVM

## *De Hiſpaniæ Prouincijs.*

NVnc peragrato ferè toto terrarum orbe, ad Hiſpaniam deuenimus, de qua Caius Iulius Solinus in Polyhiſtore capite 26. *Terrarum plaga comparanda optimis, nulli poſthabenda frugum copia, ſiue ſoli. Omni materia affluit, quæcumque aut pre-*

*tio ambitioſa eſt, aut vſu neceſſaria. Argentum, vel aurum ſi requiras, habet: ferrarijs nunquam deficit, nec cedit vitibus, vincit oleis.* Placuit autem hoc Solini teſtimonium adducere, quia licèt, vbi aurifodinæ nunc in Hiſpania ſunt, ignoretur; olim tamen cum in ditionem Romanam peruenit, notæ fuerunt, teſtante ſacra ſcriptura Machabæorum 1. cap. 8. quòd Iudæi audiuerint nomen Romanorum, *& quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quòd in poteſtatem redegerunt metalla argenti, & auri, quæ illic ſunt.* Hiſpania itaque à temporibus Machabæorum ſub Romano Imperio erat, quæ multum diùque ipſorum armis reſtiterat, ſcribente Floro libro 2. capite 17. *Cato Cenſorinus Celtiberos, id eſt robur Hiſpaniæ, aliquot prælijs fregit. Gracchus pater ille Gracchorum eoſdem centum & quinquaginta vrbium euerſione mulctauit... Lucullus Turdulos, atque Vaceos ...... Decius Brutus aliquanto latiùs, Gallecos, Luſitanoſque omnis Galleciæ populos.* Hiſpania proinde, vt cum Sexto Rufo loquar, per Decium Brutum obtenta eſt; tumultuantes Hiſpanos Syllanus vicit; omneſque Hiſpaniæ per Metellum, & Pompeium in deditionem acceptæ ſunt. Ad extremum ab Octauiano Cæſare Augusto Cantabri, & Aſtures, qui freti montibus reſiſtebant, deleti ſunt, & deletis hoſtibus, certa, ac ſtabilis Populi Romani poſſeſſio eſſe cœpit Auguſti temporibus, quibus Strabo vixit, qui initio lib. 3. ſcribit: *Hiſpania ab Auguſto armis comparata per eumdem in tres Prouincias diuiſa eſt, Bæticam, Luſitaniam, & Tarraconenſem.* Eandem omninò diuiſionem ſuis temporibus obtinuiſſe affirmat Ptolomæus natione Alexandrinus libro 2. capite 4. *Hiſpania, quæ apud Græcos Iberia dicitur, tres Prouinciæ ſunt, Bætica, Luſitania, ac Tarraconenſis.* Et C. Iulius Solinus Traiani, vti creditur, tempore in Polyhiſtore ex Plinij hiſtorijs naturalibus deſumpta capite 25. *Hiſpania diuidua eſt Prouincijs tribus.* Et infrà: *Carthaginem,* (Carthaginenſis Prouinciæ ciuitatem præcipuam) *apud Iberos, quæ mox colonia facta eſt, Pœni condiderunt; Tarraconem Scipiones, idcò caput eſt Prouinciæ Tarraconenſis.* Metropolis itaque Tarraconenſis Prouinciæ Tarraco fuit, quamuìs Carthago inter vrbes Prouinciæ Tarraconenſis non infimum locum tenuerit, vtporè de qua Strabo tempore Auguſti: *Carthago noua ab Aſdrubale condita longè præſtantiſſima omnium huius regionis vrbium.* Et infrà: *Ipſe Præfectus in maritimis hiemare ſolet, ius dicendo maximè Carthagine, aut Tarracone per æſtatem obit prouinciam.* Vbi notanda ſunt Strabonis verba, quibus indicatur, Præfectum æquè Tarracone, ac

ac Carthagine moratum fuiſſe Auguſti temporibus: vt mirum non ſit, quòd dignitas Metropolitana apud Tarraconem fuerit, & ideò apud Solinum Tarraco caput Prouinciæ Tarraconenſis dicta ſit, illudque ſequentibus temporibus permanſerit, teſtante S. Iſidoro lib. 15. Originum: *Carthago à Romanis capta, & colonia facta, nomen etiam Prouinciæ dedit, nunc autem à Gothis ſubuerſa, atque in deſolationem redacta eſt.*

Bætica Prouincia, de qua Dio Caſſius lib. 53. in Cæſare Auguſto: *Hiſpania Bætica populo Romano ſcripta eſt.* Eius Ciuitatis præcipuæ meminit Philoſtratus; hic enim in vita Apollonij Tyanei lib. 5. capite 3. *Qui verò Iſpula incolebant, ea verò Bæticæ Prouinciæ ciuitas eſt.* Et infrà: *Cum Bæticæ Prouinciæ Præfectus ſæpiùs Apollonij colloquium petijſſet.* Fuit itaque temporibus Veſpaſiani, quibus Apollonius vixit, Bætica vna ex Hiſpaniæ Prouincijs. Tempore Domitiani proconſularis erat, eiuſque caput Hiſpalis, quam Philoſtratus memorat, à qua circa annum 586. Leuuigildus Gothorum Rex thronum regium tranſtulit, vt ſtatim videbimus.

Luſitania Prouincia, cuius caput Emerita, ſic in honorem Auguſti vocata, quia illuc coloniam miſit, vnde Luſitania apud Dionem lib. 53. inter Hiſpaniæ prouincias tertio loco collocatur. Emeritæ ciuitatis nil niſi ruinę modò ſuperſunt, vt nihil ſit, quod de ea nunc memoriæ proditum habeatur, iure eius Metropolitico per Caliſtum II. in Compoſtellanam Eccleſiam tranſlato.

Notandum autem cum Carolo à S. Paulo, Hiſpaniam poſt Conſtantini tempora in quinque Prouincias diſtributam fuiſſe, Tarraconenſi in tres diſtracta, Tarraconenſem, Carthaginenſem, & Galleciam, cui à Conſtantino addita eſt Tranſfretana, & ſub Arcadio, & Honorio Inſularum Balearium: ſub regno verò Gothorum, qui anno 416. Hiſpaniam inuaſerunt, ſublata Balearium Prouincia addita eſt Narbonenſis: & demùm anno 569. Braccaræ Galleciæ Metropoli adiuncta eſt Metropolis Lucenſis, vt conſtat ex Concilio Lucenſi æra 707. ſub Theodomiro Rege celebrata apud Garſiam Loaiſam in Concilijs Hiſpaniæ, vbi in notis ad Concilium Lucenſe aliquot Notitias Hiſpaniæ adfert, quas poſteà referemus.

CA-

# CAPVT VNDECIMVM
## *De Britannia Prouincijs.*

Britannia vt primùm in ditionem Romanorum deuenit, vna Prouincia fuit, de qua Tacitus in vita Agricolæ de Veſpaſiani tempore agens: *Præerat tunc Britanniæ Vectius Bolanus placidiùs, quàm feroci prouincia dignum eſt*. Et infrà de Agricola: *Poſt triennium legationis ſtatim ad ſpem Conſulatus reuocatus eſt comitante opinione, Britanniam ei Prouinciam dari* ... ... *Poſt Conſulatum ſtatim Britanniæ præpoſitus eſt, adiecto Pontificatus ſacerdotio*. Et poſt pauca: *Sub Claudio Imperatore, & duce Veſpaſiano, domitæ gentes, capti reges, redactaque paulatim in formam Prouinciæ proxima pars Britanniæ*. Vbi clarè ſupponit Tacitus, ante Agricolæ aduentum vnam fuiſſe Prouinciam: Agricola autem ſub Domitiano in Britanniam miſſus fuit. Putant nonnulli, poſt Agricolæ tempora in duas partes, ſeu Prouincias diuiſam fuiſſe, ſuperiorem nimirùm, quæ auſtralis eſt, cuius Metropolis Londinum erat; & inferiorem, quæ ſeptentrionalis eſt, cuius Metropolis Eboracum fuit: quarum Metropolium Epiſcopi Concilio Arelatenſi primo ſubſcripſiſſe reperiuntur anno vulgari 314. ſub Conſtantino Magno, cui noua Britanniarum in tres Prouincias diuiſio adſcribitur, nimirùm in Britannicam primam, Britannicam ſecundam, & Maximam Cæſarienſem, quarum trium Prouinciarum meminit Sextus Rufus in Breuiario, qui cum dixiſſet, in Gallijs, & Britannijs octodecim prouincias reperiri, exhibet quindecim prouincias Galliarum, & ijs ſubijcit tres præfatas Britanniæ prouincias.

Britanniæ primæ Metropolis Londinum manſit vſque ad Saxonum irruptiones, teſtante Venerabili Beda lib. 2. capite 7. de Orientalibus Saxonibus: *Horum Metropolis Londonia Ciuitas*.

Britanniæ Secundæ à prima ſeparatæ Metropolis à ſcriptoribus Anglis ſtatuitur Carleona, cuius tamen Metropolitani Epiſcopi mentionem apud antiquos reperire non potui.

Maximæ Cæſarienſis Metropolis manſit Eboracum, cuius frequens mentio non modò apud prophanos, ſed etiam Eccleſiaſticos ſcriptores, teſtante Venerabili Beda, quòd Gregorius Magnus in ſecunda Britanniarum conuerſione iuſſerit, duos Metropolitanos inſtitui, quorum alter Londini, alter Eboraci ſederent, vt alibi oſtendimus. Sed ad tempora Gregorio Magno antiquiora redeamus

Enim-

Enimuerò tribus Britanniarum prouincijs duæ aliæ poſt Conſtantini tempora acceſſere; Valentia per Theodoſium, dum ſub Valente Imperatore militabat, recuperata, quæ in eiuſdem Imperatoris honorem Valentia nuncupata eſt: Flauia quoquè, quæ à Flauio Imperatore illius Theodoſij filio nomen deſumpſit. Vnde hæ duæ prouinciæ cum tribus præfatis comparent in antiqua vtriuſq; Imperij Notitia haud diù poſt Arcadij, & Honorij tempus conſcripta. Permanſit autem hæc Prouinciarum diuiſio in Britannijs, vſque ad Pictonum, & Scotorum irruptiones, quas Saxonum inuaſio ſubſecuta eſt. Præmiſſa hac Diſſertatione ſubdimus Opuſcula.

I. DI-

I.

# DIMENSVRATIO PROVINCIARVM.

Variæ lectiones ex Cod. 247. Vat.

*Ex M.S. ducentorum viginti annorum Cod. Vaticano 244. Correctione indigeret lectio, ſed fideliter, vt iacet in codice, hic exhibetur.*

INdia Vlterior finitur ab oriente Oceano Aegeo; ab occidente flumine Sintho; à ſeptentrione monte Tauro; à meridie Oceano Syrico. Cuius ſpatia patent in longitudine millia paſſuum xxx. & ccc. in latitudine millia *xi.* & cc. Ganges flumen ibi eſt, & regio vbi piper naſcitur, & elephanti, dracones, ſphinges, pſittaci.

vi. id eſt ſex millia

Media, Parthia, Appiania, Carminia, Perſida finiuntur ab oriente flumine Sintho; ab occidente Meſopotamia; à ſeptentrione monte Tauro; à meridie mari Perſico. Quarum ſpatia habent in longitudine millia paſſuum *dcccxi.*

Addit. xi. & ccc lx. in latitudine millia paſſuum dcccxi.

Meſopotamia finitur flumine Tygri, ab occidente flumine Euphrate, à ſeptentrione monte Tauro, à meridie mari Perſico: cuius ſpatia habent in longitudine millia paſſuum dccc.

Babylon Syria finitur ab oriente flumine Euphrate, ab occidente mari Aegyptico, à ſeptentrione, quod inter Cyprum, & Syriam eſt mari, à meridie Arabia, quæ eſt inter mare rubrum, & ſinum Perſicum. Cuius ſpatia in longitudine millia paſſuum *ccc.* in latitudine clxxv.

Mons Taurus, Inſula Cyprus ab oriente mari Syrio; ab occidente Pamphilio, à ſeptentrione Aulones Cyliciæ, à meridie mari Phœniceo: cuius ſpatia in longitudine millia paſſuum clxxv. in latitudine cxxv.

Armenia finitur à mari Caſpio, & quæ circa gentes ſunt ab Oceano, ab oriente Oceano Indico, ab occidente iugis montis Caucaſi, à meridie monte Tauro, qui ſuprà patet. Quod cognitum eſt millia paſſuum ccccclxxx. in latitudine millia paſſuum ccccclxxx.

Inſula Rhodus, Samus, Chius, & quæ circa ſunt Cyclades, finiuntur ab oriente littoribus Aſię, ab occidente mari Hicarico, à ſeptentrione mari Aegeo, à meridie mari Carpatio: qui patet in longitudine millia paſſuum d. in latitudine cc.

Dacia, Getica, finiuntur ab oriente deſertis Sarmatiæ; ab occidente flumine Iuſtula; à ſeptentrione Oceano; à meridie flumine Hiſtro: qui patet in longitu-

dine millia paſſuum cclxxx. in latitudine, qua cognitum eſt, ccclxxxvi.

Sarmatia, & Scythia Taurica finiunt ab oriente iugis Tauri montis, ab occidente flumine Boriſtene, à ſeptentrione Oceano, à meridie Prouincia Pontica. Qui expandit in longitudine millia paſſuum dcccclxxx. in latitudine, qua cognitum eſt, dcccxvi.

Inſula Creta, & quæ circa ſunt, finiunt ab oriente mari Carpatio, ab occidente mari Cretico, à meridie mari Libyco, à ſeptentrione mari Aegeo. Creta patet in longitudine millia paſſuum clxxiii. in latitudine. * . . . . . . . .

*Millia paſſuū vi. Macedonia, & Helleſpontus, & pars Ponti finiuntur ab oriente mari Pontico, ab occidente deſertis Dardaniæ, à ſeptentrione flumine Hiſtro, à meridie Aegeo. Quæ patet in longitudine millia paſſuum dccxx. in latitudine millia paſſuum ccccxxxij. ccxxxij.

Epirus, Achaia, Theſſalonia finiuntur ab oriente mari Oceano, ab occidente mari Adriatico, à ſeptentrione montibus Peuio, & Olympo, à meridie mari Siculo, & Libyco. Quarum ſpatia in longitudine millia paſſuum dccxx. in latitudine ccclxxvi.

Inſula Sicilia, & quæ circa ſunt, finiuntur ab oriente, & occidente, item ſeptentrione mari Tyrrhenico, à meridie mari Aphrico. Sicilia patet in longitudine millia paſſuum à Peloro vſque Pachynum clxxxvii. in latitudine millia paſſuum clxxxviiij.

Pars Italiæ finitur ab oriente mari Adriatico, & freto, quod eſt inter Siciliam, & Italiam, ab occidente vrbe Roma, à ſeptentrione ſinu Adriatico, à meridie mari Tyrrhenico, cuius ſuprà meminimus. In longitudine millia paſſuum occxlviij. in latitudine ccxxiiij.

Pars Italiæ ad Alpes finitur ab oriente iugis Alpium, ab occidente Hiſtria, & Carnia, à ſeptentrione ſinu Adriatico, à meridie mari Liguſtico, & Tyrrhenico. Cuius ſpatia in longitudine millia paſſuum dccc xx. in latitudine cccxxx.

Inſula Corſica ab oriente Promontorio ſacro, ab occidente Portuciano, à ſeptentrione Liguſtico, à meridie mari Aphrico. Inſula illa habet in longitudine millia paſſuum cxxx. in latitudine millia paſſuum xx.

Sardinia ab oriente Corſica, & mari Sardico, à ſeptentrione Tyrrhenico, à meridie mari Aphrico. In longitudine millia paſſuum cclxxx. in latitudine ccxxx.

Illyricum, Pannonia ab oriente flumine Trino, ab occidente deſertis, in quibus habitant Boi & Carni, à ſeptentrione flumine Danubio, à meridie mari Adriatico. Qui pandit in longitudine millia paſſuum *dcxxx.* in latitudine millia paſſuum cccxxv. dcxx.

Germania, Rhætia, ager Noricus, ab oriente flumine Wiſtula & Silua *Hirinnia*, ab occidente flu- *Hircania*.

flumine Aneo, à ſeptentrione Oceano, à meridie iugis Achemei flumine Danubio. Quæ pars pandit in longo millia paſſuum *dcxxiiij*. in lato millia paſſuum poſita cccxxviij.

dcxxiij.

GalliaComata finitur ab oriente flumine Rheno, ab occidente ſaltu Pyrrhenæo, à ſeptentrione Oceano, à meridie Gallia. Narbonenſis, & Aquitanica, ab oriente Alpibus, ab occidente ſaltu Pyrrheneo, à ſeptentrione montes Catauenæ, & Viribus, à meridie mari Gallico. Qui ſuprà in longitudine millia paſſuū *ccclxxiiij*, in latitudine millia paſſuum ccxl.

ccclxxiij.

Hiſpania Citerior finitur ab oriente ſaltu Pyrrhenæo, ab occidente Oretania, à ſeptentrione Oceano, à meridie mari Hiberico. Cuius ſparia in longo millia paſſuum dxxxv. in lato millia paſſuum clxiij.

Adſtodio, & Galicia, Luſitania, ab oriente Cantabria, & Oretania, ab occidente Oceano. Qui ſuprà in longo millia paſſuum dlxxx. in lato millia paſſuum *dlxxx*.

dxxxv.

Hiſpania Vlterior ab oriente Oretania, ab occidente Oceano, à ſeptentrione flumine Ana, à meridie mari Hiberico. Cuius expandit in longitudine millia paſſuum * *cclxxxiiij*.

* ccclxxx in latitudine millia paſſuū clxxxiij.

Getulia, & Mauritania finiuntur, ab Oriente flumine Anſabo, ab occidente Oceano Aethiopiæ. Cuius ſuprà in longo millia paſſuum cccclii. in lato ccccl xx.

Aphrica, Carthago, Numidia, finiuntur ab oriente Syrti minori, ab occidente fluuio Amſaca, à ſeptentrione mari Aphrico, à meridie oceano Aethiopico. Cuius ſunt in longitudine millia paſſuū ccccxx. in latitudine ccc.

Africa Cyrenaica ſuperior Libyæ, ab oriente Cathabatom, ab occidente Syrti minori, à ſeptentrione mari Cretico, à meridie mari Aethiopico. Cuius ſuprà longitudine millia paſſuū dcccclxxx. in latitudine ccccxx.

Aegypti pars inferior, & Mareotis, Libya finiuntur ab oriente Arabia, ab occidente Libya deſerta, à ſeptentrione mari, quod Aegyptium vocatur, à meridie Aegypto ſuperiori, & deſertis. Habet in longitudine millia paſſuum cxc. in latitudine clxxx.

[ Additur: *Arabia, Aethiopia, & Aegyptus ſuperior, & ſinus Arabicus, & Perſicus, ab oriente maritima Perſida, & Carminia, ab occidente Libya deſerta, à ſeptentrione Syria, à meridie mare rubrum. In longitudine millia paſſuum cxc. in latitudine millia paſſuum clxxx.* ]

Epitome totius orbis finitur ab oriente Oceano, à meridie Atlantico, à ſeptentrione Oceano Britannico. Britannia in longitudine millia paſſuum dccc. in latitudine ccc.

## Nota.

DE Orbis Romani dimenſuratione ſcribitur in Coſmographia Aethico tributa: [Iulius Cæſar Biſſextilis rationis inuentor, diuinis humaniſque rebus ſingulariter inſtructus, cum conſulatus ſui faſces erigeret, ex Senatus conſulto cenſuit, omnem Orbem iam Romani nominis admetiri per prudentiſſimos viros, & omni Philoſophiæ munere decoratos. Ergò à Iulio Cæſare & M. Antonio Conſulibus Orbis terrarum metiri cœpit, ideſt à conſulatu ſupraſcripti vſque ad conſulatũ Auguſti tertium, & Craſſi annis xxi. menſibus v. diebus ix. Zenodoxo omnis Oriens dimenſus eſt, ſicut inferiùs demonſtratur. A Conſulatu item Iulij Cæſaris, & M. Antonij vſque in Conſulatum Auguſti x. annis xxix. menſibus vij. diebus x. à Theodoto Septentrionalis pars dimenſa eſt, vt euidenter oſtenditur. A Conſulatu ſimiliter Iulij Cæſaris vſque in conſulatum Saturni, & Cinnæ à Polyclito Meridiana pars dimenſa eſt annis xxij. menſe 1. diebus x. ſicut definita monſtratur. Ac ſic omnis Orbis terræ intra annos 32. à dimenſoribus peragratus eſt, & de omni eius continentia perlatum eſt ad Senatum.] Hæc præfata Coſmographia etiam in M. SS. Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ codd. An autem hæc Orbis Romani dimenſuratio ſit eadem cum illa Iulij Cæſaris temporibus ex Senatus conſulto confecta? affirmare non auſim, eò quòd plura paſſuum millia in pleriſque locis deſiderentur.

## I I.

# DESCRIPTIO DE SITV LOCORVM

## *Ex manuſcripto codice bibliotheca Regina Suecia.*

Hanc Deſcriptionem ſub Eugeſippi nomine, qui an. 1040. ſcripſit, edidit Leo Allatius in Symmictis ex quodam codice, vt puto Bib. Barbarinæ. At adeò mutilam, adeò erroribus ſcatentẽ, vt dici poſſit aliud omnino opus, & à preſenti diuerſum.

( )Deſunt in edit. Allatij.

## HEBRON.

VErtam eia ſtylum meum, ſumens initium à Chebron, quæ eſt Hebron. Hebron Metropolis olim Philiſtinorum habitaculum Gigantum in tribu Iuda, ciuitas ſacerdotalis, & fugitiuorum Hebron (ſub *fabrica* manus & *nate*) ſita fuit in agro illo, in quo ſummus diſpoſitor primum patrem noſtrum plaſmauit Adam, & inſpirauit. Hebron Cariatharbe, quod Græcè ſonat & Sarracenicè quatuor ciuitates: Chariath græcè ciuitas; Arba ſarracenicè quatuor, eo quòd quatuor reuerendi Patres in ſpelunca duplici in ea conſepulti fuerunt; ſummus Adam, Abraham, Yſaac, & Iacob: & eorum quatuor vxores, Eua mater noſtra, Sarra, Rebecca, Lya. Eſt autem Hebron iuxta vallem *Lacimazi* ſita: vallis lacrymarum dicta, eò quòd centum annis in ea luxit Adam Abel filium ſuum, in qua & poſteà monitus ab angelo cognouit Euam vxorem ſuam, ex qua genuit filium ſuum Seth, de tribu cuius erat Chriſtus oriundus. Hebron 16. milliario à Iheruſalem circa meridiem deſerti confinium & Iudææ, condita eſt ſeptem annis, antequàm Thaſnis vrbs Aegypti conderetur ab eis. Hebron ab amico quondam Abrahæ nuncupatur Mambre, ad radicem cuius multo tempore manſit Abraham. Ab Hebron milliario 10. circa Philiſtijm Berſabee decens, & honeſta ciuitas, vbi nemus plantauit Abraham, & nomen æterni Dei inuocauit multo tempore colonus ibi, & poſt eum Yſaac.

Secundo milliario ab Hebron ſepultura Loth nepotis Abrahæ. In Hebron habetur ager quidam, gleba eius rubra eſt, quæ ab incolis effoditur, & comeditur, & per Aegyptum venalis aſportatur, & quaſi pro ſpecie cariſſimè emitur. Quarè tradunt Hebræi, quaſi rufi coloris extitiſſe Adam: quem poſtmodùm inde tranſlatum à Domino ad auſtralem plagam dominaturum in paradiſum Eden, quod ſonat hortum delitiarum, quem poſt lapſum eius inde pulſum à Domino inglorium & exulem hùc in Hebron, vt ad natale ſolùm regreſſum miſerum & agricolam vetus hiſtoria deſignat. Prædictus ager in quantum latè & profundè fuerit effoſſus, in-

tan-

tantùm Dei diſpoſitione anno finito redintegratus reperitur. Iuxta Hebron mons Mambre, ad radicem cuius Therebintus, quæ *dirps* vocatur, id eſt ylex aut quercus, ſecus quam per multum temporis manſit Abraham, ſub qua tres Angelos vidit, & vnum adorauit, hoſpitioque ſuſceptos, prout digniùs potuit, fouit, & pauit. Vnde prima *cdendi* via dictus eſt. Ylex prædicta ex tunc vſque ad tempus Theodoſij Imperatoris ſuum eſſe dilatauit teſtante Hieronymo, & ex illa hæc fuiſſe perhibetur, quæ in præſenti ab illic præſentibus videtur, & cara habetur; quæ licèt arida, medicabilis tamen eſſe probatur in hoc, quòd ſi aliquid de ea equitans quiſquam diù ſecum detulit, *al* ſuum non infundit. Secus ſitum prædictæ Ilicis feſtum Sanctæ Trinitatis glorioſè ſingulis annis celebratur. In Hebron primùm applicuerunt ſe cauſa terræ repromiſſionis explorandę Caleb & Ioſue, eorumque ſocij decem. In Hebron filios Enachim, id eſt Giganteam tribum inuenerunt. In Hebron regnauit Dauid 7. annis.

## *De Lacu Aſpaltide, qui eſt mare mortuum.*

Decimo milliario ab Hebron lacus Aſpaltidis circa orientem, qui & mortuum mare, verè mortuum, quia nihil viuum recepit, eſtque mare Diaboli, eò quòd inſtinctu eius quatuor ciuitates illæ miſerrimæ, Sodoma, Gomorra, Seboim, Adama perſeuerantes in turpitudine ſua igne ſulphureo concrematæ ex ſuperabundantibus amenis in lacum illum ſubmerſæ ſunt. Sodoma pecus ſilens, ſiue cæcitas interpretatur: Gomorra populi timor, ſiue, ſeditio: Seboim mare ſiue ſtatio maris: Adama deſiderabilis. Super lacum Aſpaltidis multum aluminis, & katanei legitur. Alumen terræ ſalſugo eſt, quod in hyeme coagulata ex limo, & aqua æſtiuis ſolibus maturatur. Alumen à lumine dictum, eò quòd tingendis coloribus lumen præſtat. Cataneum quaſi niger liquor, & olens ad vngendum camelos propter delendam ſcabiem valde neceſſariam, & ad fricandum vites pro expellendis vermibus conſumptoribus earum. Aſpaltidis mons affinis eſt ferè totus ex ſale gemineo. De ſale extrahuntur molæ partibus illis neceſſariæ. De lacu bitumen extrahitur vtile medicis. Lacus tantæ claritatis habetur, quòd per eum notari poſſunt antiqua ædificia & ruinæ: tantæ amaritudinis quidem, quòd à nullo animanti tollerari diù poteſt, nec ab aue aliqua tranſuolari. In lacu habentur inſulæ poma gignentes virentia ad veſcendum concupiſcibilia, quæ ſi carpas, ſtatim fateſcunt, & reſoluuntur in cinerem, fumum exhalantes, quaſi

ſi adhuc ardeant. Ligna quidem inſularum multociens cineribus, & fauillis conſpergi videntur, quaſi ciuitatum incendium repręſentantia. De ipſis inſulis ligna nauigio deferuntur vſibus patriæ neceſſaria. Si ſuprà lacum aliquem pernoctare contingit, vtremque ſuum vino, vel aqua plenum terræ commiſit, in craſtino ex dulci amarum, & impotabile reperiet. Eſt & in lacu circa Zodran inſula illa, quam ſolitariè quadrageſimandi cauſa beatus Sabas ingreſſus inſtinctu dæmonico ignis ſubitanea voragine ferè totus exuſtus fuit ſeptem diebus, quaſi exanimis. Sed miſerante Deo reſeruatus conualuit, imberbis poſtea manſit, domique regreſſus fratribus ſuis vix paruit eſſe Sabas.

Super lacum Aſpaldidis in accubitu Iudææ Segor: trinomia Segor; Bale, quod interpretatur abſorpta; Zoara, quod Syriacum nomen eſt, ex ſyro autem, & hebræo compoſitum Bale Zoara dicitur; & Segor, quæ parua interpretatur. Segor precibus Loth de incendio, & ſubuerſione reſeruata vſque hodie oſtenditur. In exitu Segor vxor Loth ſalis in effigiem mutata fuit, cuius adhuc parent veſtigia. Supra ripam maris prædicti multum aluminis, multumque catanij ab incolis reperitur, & legitur, & ex mari bitumen extrahitur, quod iudaicum appellatur, in quibuſdam neceſſarium. Segor verò modo *agpatoris* oppidum Palmæ vocatur. Lacus Aſpaltidis Iudæam diuidit & Arabiam.

## *De Arabia, & 40. manſionibus.*

Arabia in aduentu filiorum Iſrael ſolitudo erat, terra inuia, & inaquoſa. In ea vtique detinuit Dominus ſub 40. duabus manſionibus annis 40. populum ſuum Iſraeliticum, veſtibus eorum non attritis, ſatians eos de rore cæli, & manna ſingulis eorum pro velle ſuo varium ſolidumque ſaporem conferentibus; quarum manſionum ſignificationes, & catalogum hoc in libellulo meo tibi Domine mi deſignare diſpoſui, per quas verus Hebręus, qui ad cælum de terra tranſire feſtinat, currens, & Aegypto ſæculi relicto *derelicta* terram promiſſionis ingredi debet, id eſt cæleſtem patriam.

Prima manſio eſt Rameſes in finibus Aegypti vrbs, in qua congregatus Iſrael deſertum intrat, altera die poſt paſcha in conſpectu Aegyptiorum, quos à vaſis aureis, & argenteis aſtutè ſatis expoliauit. Rameſes commoratio, ſiue tonitruum interpretatur.

Secunda manſio Socòth, in qua primùm panes coquerunt azimos, primumque tentoria fixerunt. Socòth tabernacula ſiue ten-

tentoria ſonat.

Tertia manſio Ethan in ſolitudine, in qua Domino præeunte populo primùm miniſtrauit columna ignis per noctem, vt inde viderent in omnibus neceſſarijs ſuis; nubes verò per diem, vt & inde & obnubilarentur, & celarentur. Ethan fortitudo dicitur, ſiue perfectio.

Quarta manſio Phiairoth, quod eſt contra Beelſephon. Phiairoth ſonat os nobilium: Beelſephon dominus aquilonis.

Quinta manſio Mara, tranſito mari rubro per triduum. Mara ſonat amaritudo.

Sexta manſio Helim, vbi duodecim fontes, & lxx. palmas inuenerunt. Helim vertitur in arietes, fortes.

Septima manſio iterum ad mare rubrum, quodam ſinu eius occurrente.

Octaua manſio in ſolitudine Syn, quò tenditur vſque ad montem Synai. Syn ſonat rubus, ſiue odium.

Nona manſio Depheta, quæ dicitur pulſatio.

Decima manſio Aluz, quod ſonat fermentum. In ſolitudine illa murmurauit Iſraël fame coactus, coturnicem accipiens in veſpere, & manna mane altera.

Vndecima manſio Raphidim, quæ ſonat deſolatio, fortium ſiue manuum remiſſio. In hac ſitienti populo fons de petra emerſit Oreb. Ibi Ieſus expugnauit Amalech: ibi Ihetro venit ad Moyſen: ibi quidem populus murmurans contra Dominum abſente Moyſe conflauit ex auro vitulum adorans eum.

Duodecima manſio ſolitudo Synai, rubrus interpretatur. Synai mons eſt in Arabia elatæ ſublimitatis, & arduæ; trium millium quinquaginta graduum aſcenſus eius. De Synai dicitur à cohabitantibus ſanctiſſimis heremitis, & monachis, quod à tempore Moyſi deambulatorijs Angelis cæleſtibus extat locus. Synai mons ſæpe fumigat, igneoque fulgore coruſcat. De Synai prædicatur, & verum eſt, quod vnoquoque ſabbato cælicus ignis eum circumuolat, ſed nòn vrit; tangit quoſlibet, ſed non lædit; apparens multotiens quaſi in velleribus albis, leui motu montem ambiens, aliquando deſcendens ſub intolerabili ſtrepitu, atque terribili ſanctiſſimis accolis illis inde diuertentibus ſe per cęnobiorum cryptas. In ſupremis Synai venerabilis, & decora Eccleſia illo loco ſita eſt, in quo Deus digito ſcriptam in tabulis lapideis legem Moyſi attribuit. Et vtique tam reuerendæ dignitatis Eccleſia prædicta, quòd nulli niſi priùs ſe confeſſione reddant acceptos, priùs ſe ieiunijs, & orationibus affligant, eam intrare, nec etiam montem aſcendere audeant. Sunt tantæ religionis monachi, & heremitæ, quòd ex omni affectu corporis, & animi Deo ſoli militant; tam illuſtris verò famæ,

quòd

quòd à finibus Aethiopiæ vſque ad vltimos Perſarum, ab omni lingua Orientali venerantur, quæ inter eos habent, liberè poſſidentes, & quietè. Habent cœnobia ſua per Aegyptum, & in Perſide circa mare rubeum, & in Arabia, ex quibus eis neceſſaria largifluè confluunt. Sunt & tantæ reuerentiæ, quòd nullus eos in aliquo offendere præſumit, & ſi fortè aliquando contigit, grauiter à Deo vltum eſt. Circa montem habitant ſinguli per ſingulas cellulas, non in communi, ſed de communi viuentes. In Synai rubus adhuc ſua ſignat veſtigia, in quo Dominus Moyſi apparuit in flamma ignis.

Tertia decima manſio in ſepulchris concupiſcentię. Ibi filij Iſraël carnes concupierunt, propter quod ira Dei graſſante in populo multi perierunt; vnde & locus incendij nomen ſortitus eſt.

Quartadecima manſio fuit Aſſeròth, in qua Pontifex Aaron locum incidens offenſionis cum ſorore ſua Maria obtrectantes fratri ſuo Moyſi, quòd alienigenam duxiſſet vxorem. Ideò Aſſeròth ſonat offenſio.

Quinta decima manſio Rethina, quæ ſonat ſonitus, ſiue iuniperus. Et hinc exploratores xij. miſſi fuerunt ad terram promiſſionis botrum inde referentes. Ibi Datan, & Abyron filij *Chore inſurgentes contra Moyſen, & Aaron cum filijs eorum, & tentorijs omnibus, cumque ſupellectili, eorumque pecunia terræ vorago glutiuit. Aaron ibi virga florem protulit, & folium. Ibi homo die ſabbati ligna colligens à populo necatur.

Sextadecima manſio Temmon Phares, quod latinè ſonat mali punici diuiſio.

Septima decima manſio Lebna, quod latinè fertur in laterem.

Octaua decima manſio Rethſa, quæ in frenos vertitur.

Nona decima manſio Celatha, quæ interpretatur Eccleſia.

Viceſima manſio monsSephes, qui interpretatur pulchritudo, id eſt Chriſtus.

Viceſima prima manſio Arada, quod ſonat miraculum.

Viceſima ſecunda manſio Maceloth, quod ſonat in cętu, id eſt in Eccleſia.

Viceſima tertia Raath, quod interpretatur pauor.

Viceſima quarta Thare, quod ſonat in maliciam, ſiue paſturam.

Viceſima quinta Methcha, quæ vertitur in dulcedinem.

Viceſima ſexta Aſmona, quæ latinè feſtinationem ſonat.

Viceſima ſeptima Aſeròth, quod interpretatur vincula, ſiue diſciplina.

Viceſima octaua Baneiacam, quæ per interpretationem transfertur in filios neceſſitatis, ſeu ſtridoris.

Viceſima nona manſio mons Gadgad, qui ſonat nuntius, ſiue accenſio, & conciſio.

Triceſima manſio Gabarath, quod ſonat bonitas, ideſt Chriſtus.

Triceſima prima Ebrona, ideſt tranſitus.

Triceſima ſecunda Aſiongaber, quod ſonat in ligna viri.

Triceſima tertia in deſerto Sin, quod eſt Cades, ſiue Cades barne. Sin interpretatur Sancta per antifraſin, ſicut lucus cum minimè luceat, vel bellum cum ſit nimis horridum. Ibi Maria ſoror Moyſi, & Aaron moritur, & ſepelitur. Ibi Moyſes virga bis ſilicem percuſſit: inde duo manantes riuuli partes illas irrigant Arabiæ.

Triceſima quarta manſio mons Or in finibus Edom. Ibi Aaron obijt in loco, qui vocatur Oreb. In partibus Or mons arenarum vocatur, quòd in arenoſo territorio ſitus ſit, mons inacceſſibilis, & miræ ſublimitatis, in natura ſui, in modum turris erectus, quaſi artificiali manu abſciſus. Ambitus eius pluſquã vnius dietæ: per latera montis raró patent arbores. Multi, diuerſique generis aues agminatim montem circumuolant, licèt abſque virore, & humore mons appareat, ab omni vbertate longè remotus, ſitus in ſolitudine. De eo viciniores eius pro certo aſſerunt, quòd aliquando viris duobus montis aſcenſus Dei nutu patefactus eſt, quorum prior alacri pede, celeri greſſu, clauſtra montis liberè ſubijt; ſecundus mediam partem montis vix aggredi potuit, feſſus ibi reſpirans, & reſidens. Prior peragratis ſuperioribus, dum miratur montis amenitatem, loci tranquillitatem, ſerenitatem aëris, florum redolentiam, ſuperum odorem, lapillorum varietatem, per riuulos fontium, pomiferarum arborum affluentiam, fructuumque decorem, garritum, & ſonos auium, vmbrarum ſpacia, ſpaciorumque virorem, ibi viuere, & mori, ſi liceret ei à Domino, lætus diſpoſuit, & viuit. Reſpiciens circa ſe ſocij ſui miratur abſentiam, ſtatimque iucundus, & hilaris ſocio ipſi arridens, & manibus plaudens feſtinat ad verticem montis, ſocium vocat, amicum inuitat, quem parem deſiderat ad cohabitandum montem illum, in quo dicit ver eſſe æternum, & ſpondet ei quaſi ſecundum paradiſum. Ille quidem à ſocio ſuo diligenter licèt admonitus, neſcimus, ſi ex difficultate, montis attonitus, ſiue ex prohibitione diuina repulſus, aſcenſum tamen, & ingreſſum renuit, & illic morari: ſed notatis quæ audierat, & viderat, dicto vale ſocio, ſatis laborioſè deſcendit, regreſſus vnde venerat, viſa ſua manifeſtans & audita. Circa 1. montem Eden ſunt, & alij montes, colles, & rupes, & tumuli quamplures, qui à ſummis vſque deorſum inciſi ſunt per arcus, per ſpecus, per criptas, per diuerſarum manſionum cellulas, in quibus contendunt antiquitùs habitaſſe here-

heremitas, & ſanctos monachos. Ad radicem montis Eden oritur fons breuis, riuuloque carens, quem ſi videres, duobus equis, aut tribus vix ſufficere poſſe putares, ſufficeret tamen pluribus: de quo etiam probatum eſt, quòd nunc augeri, vel minui poteſt, vt videtur.

Triceſima quinta manſio Selinona.

Triceſima ſexta manſio in Sion. Hæ duæ in ordine hiſtoriæ non inueniuntur.

Triceſima ſeptima Oboth, quod vertitur in Magos, ſiue Phitones.

Triceſima octaua Heber, quæ ſignificat aceruos lapidum tranſeuntium.

Triceſima nona Dibongat, in qua geſſit Iſrael prælium contra Seon Regem Amorræorum, & Og Regem Baſan. Seon interpretatur oculorum tentatio: Og ſonat excluſio: Baſan confuſio.

Quadrageſima manſio Dedibongat in Selmon, Deblathaym, quod vtitur in contemptum Palatarum, ſiue obprobriorum. Ibi propè contra Iherico Rhaphon locus, in quo Moyſes Deuteronomium ſcripſit. Ibi & Cademoth locus, ex quo Moyſes miſit Legatos ad Seon Regem Amorræorum.

Quadrageſima prima manſio, mons Abarim, contra faciem Nabo. Abarim mos ſonat tranſeuntium, in quo Moyſes obijt, & ſepeliri ibi meruit à Domino, licèt eius nunquam apparente tumulo. Succeſſit autem ei fungens eius ducatus officio Ioſue filius Nun, vnde & primus Ieſus dicitur.

Quadrageſima ſecunda manſio, in campeſtribus Moab ſupra Iordanem iuxta Iherico, vbi ſua fixerunt tentoria, à domo ſolitudinis vſque ad Beſſacathaim in planicie Moab, ſedens vbi populus à diuino Balaam, quem mercede conduxerat Balach ſupra Carnaim, in monte Moab maledicitur: ſed maledictio mutata in laudes fuit. Sedebat autem Balaam ſuper aſinam, quæ Angelum Domini videns ante ſe euaginato gladio, præter morem cum eo locuta eſt. Prædicta Karnaim cauea eſt in monte Moab. Mons quidem propter vehemens proruptum abſciſus interpretatur. In loco prædictæ planitiei Balach cū filio Balaam in merito mulieres poſuit, & ante ianuas earum aras conſtruxit, vt veniens Iſrael ad ſacrificandum Idolis fornicaretur cum filiabus Madian, & ſic decipi poſſet. Sed Finees ſacerdos zelans, vt furorem Domini placaret, Zambu, & ſcortum pugionē transfixit. Numeratur iterum ibi populus, numerantur & Leuitæ. Dehinc initur à populo Iſrael prælium contra Madianitas. Balaam quoquè moritur. Iordanis in aduentu filiorum Iſrael contra Arcā fœderis Domini retinetur; conuerſus quaſi in aggerem ſe conglomerauit, donec omnes illæſi tranſiſſent.

iſſent. Deinde filij Ruben,& Gad, & dimidia tribus Manaſſe habentes iumenta plurima citra Iordanem poſſeſſionem primi acceperunt, & in terram promiſſionis Ieſu hoſpitatò in Galgala, fixoque in ea tabernaculo Domini, tentorijſque Iſrael. Deinde admonetur Iſrael, ne in terram ſanctam ferantur Idola, nec habeantur. Galgala volutatio, ſiue reuelatio.

## De Iherico.

Deinde Tribus Iuda Iudæam expugnat, & Tribus Beniamin eam occupantes, antea deleta Iherico, aduerſus quam neque gladij terror, neque arietis impetus, neque teli iubar tunc terruerant: ſed ante archam fœderis Domini circa eam ſepties delatam, muri eius Domini nutu corruerunt, in qua quidem nec aliquis ſuperſtes remanſit abſque Raab, & quos ſeruare voluit Tribus dimidia Manaſſe: & Tribus Effraim Samariam: Tribus Zabulon, & Tribus Neptalim Galilææ ſuperiora: ſic & cæteræ Tribus vniuerſas regiones triginta duorum Regum inter Philiſtijm, & Idumæam.

## De Bethagla.

Tertio lapide ab Iherico, duobus millibus ab Iordane Bethagla, quod interpretatur locus giri, eò quòd ibi more plangentium circuiſſent funera Iacob filij eius, genſque ſua referentes eum de Aegipto in Hebron.

## Engadi.

In ſolitudine ſupra Iherico, in Tribu Iuda Engadi, vbi abſcondit ſe Dauid. Engadi iuxta mare mortuum regio vocatur, vnde & Opobalſamum afferri ſolebat, & ibi oriri. Inde & vineæ Engadi nuncupantur. Iuxta Iherico haud procul à Galgala Emethamcor, quod interpretatur vallis Achor, tumultus, atque turbarum, vbi Acham lapidibus oppreſſus fuit, eò quòd quiddam de anathemate ſuſtuliſſet. Iherico à Iebuſæis condita eſt, & nominata.

Gal-

## *Galgala.*

SEcus antiquam Ihericõ contra orientem Galgala prædicta, vbi Ieſus populum circumcidit ſecundò, & paſcha celebrauit, mannaque deficiente triticeis panibus vſus eſt Iſrael: quo in loco lapides, quos de Iordane tranſtulerant, ſtatuerunt, vbi tabernaculũ teſtimonij multò tempore fixum fuit. Supra regionem Aſpaltidis Saue ciuitas antiqua, in qua quondam habitauerunt Ommer gens robuſta, quam excidit Codolagomer.

## *Mons Regalis.*

IN Arabia inter Abarim, & Sinay mons regalis, quem Balduinus Bononienſis impiger ille leo primus Comes Edeſſenus, poſteà primus Francorum Rex in Ieruſalem, ad Arabiam Chriſticolis ſubiugandam, & ad tuendũ regnum Dauid, in caſtrum firmumre ddidit.

## *Mons Faran.*

IN Arabiam contra auſtrum mons Faran, de quibus in pſalmo, Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.

## *Idumæa.*

ARabia iungitur Idumeæ in confinijs Boſtron, olim Idumeæ metropolis, quæ eſt Boſor, ex qua Barach Buzates.

## *Boſor.*

ESt & alia Boſor in montibus Idumææ, de qua Iſaias: Quis eſt iſte, qui venit de Endon, tinctis veſtibus de Boſra? Vltra Boſtron contra auſtrum quaſi ad Damaſcum reſpiciens Traconitidis regio, ſiue Ituræa, cuius Tetrarches fuit Philippus iuxta Euangelium Lucæ.

Tra-

## *Traconitidis.*

VS primogenitus Aram nepotis Abraham Traconitidem condidit, à quo terra illa terra Vs vocata eſt, ex qua beatus Iob.

## *Syria.*

IDumeæ iungitur Sedrath. Sedrath autem regio Damaſci teſtante Zacharia. Sedrath autem & Idumça ſub Syria, Syriæ verò caput Damaſcus.

## *Damaſcus.*

DAmaſcus quidem trinomia eſt, Damaſcus, Azam, Arphath. Damaſcus reuerenda Syriæ metropolis.

## *Libanus.*

SEdrath, & Phœniciam diuidit Libanus.

## *Tyrus.*

PHænicia in qua Sor, ideſt Tyrus Phœnicum nobiliſſima metropolis, quæ Chriſtum perambulantem Maritimam, vt Syri aſſerunt, recipere noluit: ſed IESV reſuſcitato à mortuis Paulum recepit ei prædicantem legem, & Euangelium, qui & poſteà poſitis genibus in ſabulo orauit, vt in fide eam corroboraret Chriſti clementiam, quæ & Beda venerabili teſtante tot martyres Domino reddidit, quorum eius ſolius ſcientia numerum colligit.

## *De Tiro.*

TIrus originem celat tumulatam. Ante Tyrum lapis ille marmoreus haud modicus, ſuper quo Chriſtus ſedit, manens illæſus ab eius tempore, vſque ad expulſionem gentium ab vrbe: ſed priùs ea defractatus à Francis, necnon & Veneticis. Supra verò reſiduum lapidis huius Eccleſiola quædam in honore Saluatoris funda-

data eſt. De Tyro Rex Apollonius regnante Antiochiæ Antiocho, Rex & Iran regnante Salomone in Ieruſalem. Tyrum expugnauit Magnus Alexander, terram muro coæquans, quæ & mari tunc temporis ambiebatur. Tyrum beatæ memoriæ Patriarcha Warmundus Domini præeunte gratia viriliter tempore Francorum terra, marique Veneticorum auxilio obſedit, & cepit, regnum inde Dauid ſublimans, & accreſcens.

Hinc collige authorem vix iſſe poſt Frãcorum in Palæſtinã aduentũ adeòque poſt 12. ſeculum.

## *Sarphen.*

OCtauo miliario à Tyro contra Orientem ſupra mare, Serphen quæ eſt Sarapta Sidoniorum, in quo quondam Helias habitauit, in quo & reſuſcitauit filium viduæ, Ionam videlicet prophetam, quæ & eum hoſpitata fuerat, & caritatiuè fouerat, & pauerat.

## *Sydon.*

SExto decimo miliario à Sydone Berytus opulentiſſima ciuitas. In Beryto quædam noſtri Saluatoris iconia Nicodemi proprijs manibus fabricata non multùm poſt paſſionem Chriſti ad ignominiam eius à quibuſdam Iudæis ridiculosè crucifixa ſanguinem produxit, & aquam, vnde & multi in vero crucifixo crediderunt: quicumque etiam ex ſtilla yconiæ fuerunt peruncti à quacumque grauarentur infirmitate, reddebantur incolumes.

## *De Damaſco.*

DAmaſcum conſtruxit Elyezer ſeruus Abrahæ in agro illo, in quo Caim fratrem ſuum peremit Abel: vnde & Damaſcus ſanguinis potus, ſiue ſanguinis oſculum ſonat. In Syria Damaſcus, Damaſcus caput olim Syriæ: ſed ab Antiocho Antiochiæ olim tranſlatum eſt. Syria dicta à Syrim nepote Abrahæ Cetē filio. Syria ſublimis interpretatur, ſiue humecta. Partes Damaſci habitauit Eſau, qui & Seir, & Edom: inde trinomius. Seir piloſus; Edom rubeus vel rufus; Eſau factum.

## *Idumæa*.

AB Edom pars præſentis Syriæ vocatur Idumæa, de quo in pſalmo: In Idumeam extendam calceamentum meum. Eſt & Edom vocata; vnde & Hyſaias, Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſtra?

## *Mons Syria*.

IN Idumęa mons Seir, ſub quo Damaſcus. In Seir Idumææ ciuitas. Seir habitauit Chorcus, quem interfecit Godolagomer.

## *Fluuius Iacob*.

IN finibus Idumeę ſecundo milliario à Iordane fluuius Iacob, quo tranſito à Iacob, cum à Meſopotamia rediret, luctatus eſt cum Angelo, qui de Iacob mutauit nomen eius Iſraël.

## *Locus*.

SEcundo miliario à Damaſco locus, in quo Saulo Christus apparuit dicens. Saule, Saule quid me perſequeris? In quo Saulum claritas de cælo non modica circumfulſit. Vnde & apud Damaſcum venerabilis habetur Eccleſia in eius honore ſub Archiepiſcopo græco. In Damaſco baptizauit Saulum Ananias, nomen ei imponens Paulum. In Damaſco viſum recepit Paulus in baptiſmate ſuo. De muris Damaſci per feneſtram demiſſus fuit Paulus in ſporta perſecutorum rabiem fugiens.

## *Malbech*.

MIliario à Damaſco contra orientem in introitu Vallis Lachar Malbech ciuitas nimis idoneo loco ſita. Hanc Salomon propter bonorum affluentiam, & ſaltuum amenitatem condidit, in qua domum eburneam conſtruxit; vnde domus ſaltuum Libani appellata eſt.

Ar-

## *Archas*.

ARchas illam ferè inexpugnabilem vrbem condidit Arachius ſeptimus filius Chanaan ad radicem Libani, octauo miliario ab vrbe Tripoli contra orientem. Archas initium Phœniciæ, cuius mons Carmeli terminus, à quo incipit Palæſtina.

## *Antilibanus*

LIbanus candidatio ſonat à candore niuium. Libanus interpretatur candidatio, de quo in Canticis: Veni de Libano columba meâ, ſponſa mea. Sub Libano Antilibanus Damaſci regionem ſupereminens, & multum ex ea vallans.

Ad radicem Libani oriuntur Pharſar, Albana, fluuij Damaſci. Montes Libani, & planiciem Archados transfluit Albana, mari magno ſe copulans finibus illis, in quibus beatus Euſtachius ab vxore ſua priuatus, & filijs deſolatus receſſit.

## *Albana*.

PHarſar per Syriam tendit Reblata, ideſt Antiochiam, quæ alijs duobus nominibus Emath nuncupatur, & Epiphania, labens ſecus muros eius decimo miliario ab vrbe, in portu Solini, porta videlicet ſancti Symeonis, mediterraneo mari ſe circumdans. Ex Antiochia beatus Lucas Euangeliſta, vnde & dictus eſt natione Syrus. Ex Antiochia Rex Antiochus radix peccati, & Antiochus Illuſtris, ſub quo ſeptem Machabæi cum eorum matre Antiochiæ paſſi fuerunt Kalendis Auguſti: in Antiochia conſepulti quieſcunt in Eccleſia venerabili, & decora, ſub Dei, & eorum nominibus fundata. In Antiochia paſſa eſt beata Barbara, in honore cuius venerabilis Eccleſia habetur in ea auro muſiuo, marmore multo, & vario decorata. In Antiochia ſedit beatus Petrus Apoſtolus ſeptem annis pontificali ſublimatus infula. Cui ſucceſſit beatus Euodius, Euodio beatus Ignatius, qui Romæ pedes ductus, fune ligatus in ea martyr expirauit.

## *Belinas.*

AD radicem Libani xxiiij. miliario à Damaſco ciuitas Paneas ſita eſt, idest Belinas ex habilitate locorum Abilina dicta, quæ & Cæſarea Philippi à Cæſare vocabulum ſortita.

## *Ior & Dan.*

AD radicem Libani oriuntur Ior & Dan, fontes illi duo, de quibus ſub montibus Gelboe Iordanis conficitur, illo loco, in quo vox Patris ſuper eum intonuit dicens: Hic eſt filius meus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Super Chriſtum ibi deſcendit Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie. In Iordane præcepto Heliſei prophetæ Naaman Syrus ſepties lotus à lepra mundatus eſt.

## *Gortus Vallis.*

IN montibus Gelboe vſque ad lacum Aſpaltidis Vallis, per quem Iordanis vallis labitur, Gortus appellatur.

## *Aulon.*

AVlon, quod etiam hebrẹum vocabulum eſt, appellatur Vallis illa, quæ grandis & campeſtris ex vtraque parte vallibus montibus continuis, à Libano vſque ad deſertum Faram, ſub Aulone continetur vallis Scitopolitana.

## *Baal.*

IN Aulone trans Iordanem Baal vrbs filiorum Ruben.

## *Beelmon.*

IN Aulone trans Iordanem Beelmon, quam ædificauerunt filij Ruben.

## *Betharan.*

IN Aulone trans Iordanem Betharam, quam ædificauit tribus Gad. Iordanis deſcenſus interpretatur: diuidit autem Galileam, & terram Boſtron Metropolim Arabiæ.

## *Dan fluuius.*

DAn ferè ab ortu ſuo ſubterraneum ducit gurgitem ſuum vſque Meddan, haud procul à Theman, quæ eſt Suetæ Metropolis, planitiem illam, in qua ſatis patenter ſuum foras emittit alueum. Planities illa Meddan vocatur, eò quòd in ea Dan medius eſt. Sarracenè quidem ſonat platea Meddan, latinè autem platea forum.

## *Meddan.*

MEddan verò vocatur, eo quòd ſingula ætate populus innumerabilis ibi ſecum omnia, quæ poterat habere venalia, ducens, ac deferens conuenit, & in planis illis moratur, genſque Parthorum, & Arabum militia ad tuendum populum, & ad paſcendos greges ſuos in paſcuis illis vberrimis. Meddan componitur ex Med, & Dan; Med Sarracenè, latinè aqua; Dan fluuius.

## *Sueta.*

EX planitie prædicta Dan ſe reddens in fluuium Suetam peragrat, in qua Pyramis beati Iob ſuperſtes adhuc agnoſcitur, & à gentibus ſolemnis habetur.

## *Hus Theman Metropolis.*

ESt autem pars quædam Sueta terræ Hus, ex qua & beatus Iob; à Sueta Baldath Suites: in qua & Theman Metropolis Idumeæ; ex Theman Eliphaz Temanites.

## *Naaman Oppidum.*

IN qua & Naaman oppidum, à quo Sophar Naamanites. Hi tres conſolatores Iob. Item Dan contra Galilæam ſe obligans ſub vrbe Cedar, ſecus medicabilia balnea Spineti plana tranſfluens Ior copulatur.

## *De Geruaſio Principe Galilea.*

IN Campeſtribus Spineti tertius à Tancredo Galilææ Princeps Geruaſius de Baſilicis nobili Francorum proſapia ortus Regis Syriæ Tuldequini triumpho ſuccubuit, captiuatus ab eo in Damaſcum, vbi idem Tuldequinus non poſt multum temporis potatione vini adductus extra ſe, capite illius truncato, martyrem Domino celebrem reddidit: vnde in craſtinum ad ſe reuerſus mœrore repletus & ira, quia tantum virum tam inſanè peremerat, ſepeliri eum fecit, ſed abſque capite, vas cuius auro, gemmiſque pretioſis decenter ornatum, quaſi memoriale illius ſibi earum detinuit potans ab eo.

## *Ior fluuius.*

IOr haud longè à Paneis lacum illius reddit ex ſe poſteà mare Galilææ, ſumens initium inter Bethſaida, & Capharnaum.

## *Bethſayda.*

A Bethſayda Petrus, & Andreas, Iohannes, & Iacobus, & Iacobus Alphæi.

## *Corozaim.*

QVinto miliario à Bethſaida Coroſaim Cedar excellentiſſima ciuitas, in qua nutrietur Antichriſtus ſeductor orbis. De Coroſaim, & Bethſaida ait Chriſtus: Væ tibi Coroſaim, væ tibi Bethſaida.

## *Cedar.*

QVinto milliario à Coroſaim Cedar excellentiſſima ciuitas illa, de qua in pſalmo: Cum habitantibus Cedar multùm incola fuit anima mea. Cedar ſonat in tenebris.

## *Capharnaum.*

CApharnaum in dextro maris capite ſita eſt, ciuitas Centurionis, filium cuius in ea ſanauit Chriſtus, de quo ait: Non inueni tantam fidem in Iſraël. In Capharnaum multa ſigna operatus eſt, & perſæpe docebat in ſynagoga. Capharnaum filia pulcherrima interpretatur, vel filia pulchritudinis, quæ nobis ſanctam Eccleſiam, ad quam cum qui de Lybano deſcendunt, ideſt candore, ab ea, & in ea lucidiores redduntur.

Secundo milliario à Capharnaum deſcenſus montis eſt illius, in quo Dominus ſermocinauit ad turbas, & inſtruxit Apoſtolos ſuos, docens eos, in quo & leproſum curauit.

Milliario à deſcenſu illo locus, in quo pauit quinque millia hominum de quinque panibus, & duobus piſcibus: vnde locus ille menſa vocatur, quaſi locus refectionis. Cui loco ſubiacet ille, in quo poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis ſuis apparuit, comedens cum eis partem piſcis aſſi, ſupra mare, quod & idem Dominus ſicco pede perambulabat, cum circa quartam noctis vigiliam Petro, & Andreæ piſcantibus apparuit; vbi & Petro ſupra mare ad eum ire volenti, & mergenti ait Chriſtus: Modicæ fidei quarè dubitaſti? Vbi & alia vice diſcipulis ſuis in naui periclitare ſperantibus mare quietum reddidit.

## *Gergeſſa.*

SVpra littus maris Galilææ Gergeſſa, locus, vbi eos, qui a dæmonibus vexabantur, ſanitati reſtituit IESVS, ſupra montem, ex quo in mari, quos ſupradicti dæmones eius præcepto ſubintrauerant, in præcipitium ſe dederunt.

### *Genazareth.*

IN ſiniſtro capite maris, montis in concauo Genezareth locus generans auram, qui adhuc ab illic præſentibus ſentitur, & ſtagnum Geneſareth.

### *Magdalum.*

MIlliario ſecundo à Geneſareth Magdalum oppidum, à quo Maria Magdalene: hæc autem regio Galilea gentium in Tribu Zabulon, tamen & Neptalim, ex qua & Tobias. In ſuperioribus huius Galileæ viginti fuerunt ciuitates illæ, quas Rex Salomon Yram Regi Tyri amico ſuo dono dedit.

### *Cynereth.*

SEcundo milliario à Magdalo Cynereth ciuitas, quæ & Tyberias à Tyberio Cæſare nuncupata, quam in iuuentute ſua IESVS frequentare ſolebat, à quo & lacus Tyberiadis.

### *Bethulia.*

QVarto milliario à Tyberiade, Bethulia Ciuitas, ex qua Iudith illa bona vidua, quæ pro gente ſua ſaluanda Babilonium Oloſernem Bethuliam obſidentem in papilione ſuo eius proprio pugione ſatis aſtutè peremit, cuius conopeum ſericum auro gemmiſque contextum ſecum ad vrbem detulit.

### *Dothaim.*

QVarto milliario à Tyberiade contra meridiem Dothaim, in quo fratres ſuos greges paſcentes repperit Ioſeph, qui & ibi Iſmaëlitis eum odientes vendiderunt. Dothaim
Nazareth pabulum ſonat …….. duodecimo milliario à Tyberiade Nazareth ciuitas Galileæ, ciuitas propriè Saluatoris, eo quòd in ea conceptus, & nutritus fuit. Nazareth interpretatur flos, ſiue virgultum, nec ſine cauſa, cum in ea flos ortus ſit, ex fructu cuius ſeculum repletum eſt. Flos ille Virgo Maria, ex qua Gabriel Archan-

changelus ille in prædicta Nazareth filium Altiſſimi naſciturum nuntiauit, inquiens: Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum. Cui Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

Sephor.

## *Nazareth.*

SEcundo milliario à Nazareth Sephoris ciuitas, via quæ ducit Achon. Ex Sephori beata Anna mater matris Domini noſtri IESV Chriſti.

Kana Galilee.

## *Sephoris Ciuitas.*

QVarto milliario à Nazareth, ſecundo à Sephori contra Orientem in Tribu Aſer, Kana Galileæ, ex qua Philippus, de quo Saluator: Philippe qui videt me, videt & patrem meum, & Nathanael, de quo & Dominus: Hic eſt Iſrahelita, in quo dolus non eſt. In Kana Galileæ puer IESVS cum matre diſcumbens ſua, in nuptijs conuertit aquam in vinum. In Nazareth labitur fons exiguus, ex quo in pueritia ſua IESVS haurire ſolebat, & inde miniſtrare matri ſuæ & ſibi.

## *Locus ſiue præcipitium.*

MIlliario à Nazareth contra meridiem, locus qui præcipitium dicitur, ex * iuuenem IESVM præcipitare voluerunt parentes eius æmulantes eius prudentiam; ſed per medium illorum tranſiens ab eis in momento diſparuit.

## *Mons Thabor.*

QVarto milliario a Nazareth contra orientem mons Tabor, in quo transfigurauit ſe IESVS Apoſtolis ſuis præſentibus Petro, & Ioanne, & Iacobo, coramque Moyſe, & Helya, cuius & vox Patris audita eſt, in quo & eius maieſtas circumfulſit eum intonans: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui: quod & Petro, & Ioanni, & Iacobo vetuit, ne quod viderant, alicui reuelarent, donec filius hominis à mortuis reſurgeret. Ibi & Petrus ait: Domine bonum eſt nos hic eſſe. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Heliæ vnum.

Mons

## *Mons Hermon*.

SEcundo milliario à Thabor contra Orientem mons Hermon, de quibus Pſalmiſta Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia. Eſt & alius Hermon in Iudæa affinis Antilybanus. In deſcenſu montis Thabor obuiauit Abrahæ redeunti à cæde Amalech domnus Melchiſedech Sacerdos, Rex Salem, præſentans ei panem & vinum, quod figurat oblationem altaris Chriſti ſub gratia. Melchiſedech ſonat Rex iuſtus.

## *Naim*.

SEcundo milliario à Thabor Naim ciuitas, ad portam cuius IESVS reſtituit vitæ filium viduæ.

## *Mons Endor*.

Super Naim mons Endor.

## *Radunum*.

INter Endor, & Thabor, in planitie Naim, Radunum, ideſt Torrens Cyſon, ſupra ripas cuius Delboræ prophetiſſæ conſilio, & inſtinctu Barach filius Abinoë deuicit Idumæos, Syſara videlicet occiſo à Gael vxore Aber Cyney. Zeb autem, & Zebee, Salmana trans Iordanem perſequens gladio peremit Barach in Endor, & ſub Endor eorum cæſo exercitu. Vnde in pſalmo: Diſperierunt in Endor, facti ſunt vt ſtercus terræ.

## *Ieſrahel*.

QVinto milliario à Naim, Ieſrahel ciuitas, ideſt Zaraim. Ieſrahel ſonat ſomniauit Dominus: ex qua Iezabel impijſſima Regina fuit, quæ abſtulit vineam Naboth, quæ etiam pro importunitate ſua de ſummo palatij ſui præcipitata interijt, cuius adhuc pyramis ſuperſtes videtur.

*Cam-*

## *Campus Mageddo.*

IVxta Ieſrahel campus Mageddo, in quo Rex Ioſias à Rege Aegypti ſubactus occubuit, deinde tranſlatus in Syon, & ſepultus.

## *Montes Gelboe.*

MIlliario à Ieſrahel montes Gelboë, in quibus dimicantes Saul, & Ionathas ſubacti ſiluerunt, vnde Dauid: Montes Gelboë, nec ros, ne pluuia veniant ſuper vos &c. Montes Gelboe, montes alienigenarum. In montibus Gelboë victus quidam, qui dicitur Zelbus.

## *Scitopolis.*

SEcundo milliario à Gelboe Scitopolis ciuitas, Galileæ metropolis, quæ eſt Betſan, ideſt domus ſolis, ſiue ſolis ciuitas. Supra muros eius ſuſpenderunt caput Saulis in Aulone ſupra Iordanem octauo milliario à Betſan.

## *Emmon.*

EMmon ideſt Bethania, in qua habitauit Ioannes, vt in Euangelio legitur.

## *Saron.*

IN Galilæa Saron, de quo meminit Iſaias: In paludes euerſus eſt Saron. Ex quo Sarona vocatur regio, quæ eſt inter Thabor, & Cynereth.

## *Thabor.*

THabor in medio Galileæ mons mira rotunditate ſublimis. Quinto milliario à Ieſrahel Genuinum oppidum illud, à quo incipit Samaria. Inter Genuinum oppidum, & Mageddo Ger locus, in quo percuſſit Geu Rex Iſrael Ochoziam Regem Iudææ.

## *Samaria.*

DEcimo milliario à Genuino Samaria, quæ eſt & Sebaſten & Auguſta ab Auguſto Cæſare dicta, ex qua Symon Magus, in qua ſepultus fuit paranymphus ille præcurſor Domini Ioannes Baptiſta ab Herode decollatus trans Iordanem iuxta lacum Aſpaltidis, in caſtello Macheronta, à diſcipulis ſuis inde tranſlatus Sebaſten, ibique ſepultus inter Heliſeum,& Abdiam. Aſſumptum inde poſteà corpus à Iuliano Apoſtata, eiuſque iuſſu concrematum perhibetur fuiſſe, datis vento cineribus, ſed abſque capite, quod Alexandriæ à Marcello ſacerdote antè tranſlatum fuerat, poſteà Conſtantinopolim, ad vltimum in Galliam in pago Pictauenſi à Felici monacho cum tribus Innocentibus Aquitaniæ delatum eſt, Pipino regnante, cui tunc temporis à cæde Wandalorum reuertenti viginti milites, qui in bello ceciderant, meritis beati Ioannis vitæ redditi ſunt. Et abſque indice, quo veniente ad baptiſmum IESVM indicauerat, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Indicem illum detulit ſecum inter Alpes virgo beata Tecla. Ibi ſub maxima veneratione in Eccleſia tenetur Morianenſi. Samaria nomen vrbis & patriæ. In Samaria Sunam, ex qua mulier Sunamitis. Sunam verò Sanym dicitur. In Samaria Terraſila, ex qua fuit Manaën.

## *Neapolis.*

QVarto milliario à Sebaſten Neapolis, quæ eſt Sichem, à Sichen patre Emor vocata eſt terra illa Sychem. Ex Sychen Emor, qui Dinam filiam Iacob rapuit finibus illis deambulantem. Tunc recenter cum à Meſopotamia redierat, in Sychem relata fuerunt oſſa Ioſeph ex Aegypto, & ſepulta. In Sichen iuxta fontem fabricauit Iheroboam vitulos aureos duos, quos adorari fecit à decem Tribubus, quas ſecum de Ieruſalem adduxerat, & ſeduxerat: vnum ex eis poſuit in Dan, & alium in Bethel. Sychem vrbem illam deleuerunt filij Iacob, Emoro quoquè peremerunt dolentes de adulterio Dinæ ſororis ſuæ. Sichem his diebus Neapolis dicitur, id eſt Noua ciuitas.

## *Sichar.*

SIchar oppidum ante Sichem iuxta prædium, quod dedit Iacob filio ſuo Ioſeph, in quo fons Iacob, qui & puteus, ſupra quem euangelizatum feſſum itinere ſediſſe IESVM, & ſermonem habuiſſe cum Samaritana: vbi nunc & Eccleſia conſtruitur. Iuxta Sichen terebyntus illa, ſub qua Iacob abſcondit idola. Supra Neapolim affirmant Samaritani Gabel & Gazirim duos illos montes ſitum illum habere, Gabel ad orientem, Gazirim ad meridiem. Quod deſtruit Hieronymus dicens, eos eſſe in terra repromiſſionis reſpicientes ſe ad inuicem ſupra Iherico. Gebal, vbi ad imperium Moyſi ex non ſectis lapidibus altare Domino conſtruxit Ioſue: & ei vicinum Gazirim, de quibus inuicem benedicentium, & maledicentium voces inter ſe audiri poſſunt; quod ſic eſſe nequit de montibus Neapolim ſupereminentibus.

## *Thamnaſare.*

QVinto milliario à Sichen contra meridiem Thamnaſſare ciuitas. Ioſue ibi manens obijt, eius adhuc ſepultura ſuperſtite.

## *Luza.*

IN Bethel milliario à Sychem Luza ciuitas, quæ hebraicè vocatur Vlamaus, in qua per multum ſpatium temporis habitauit Abraham, vbi præcepto Angeli voluit immolare filium ſuum Iſaac, ſed aries pro eo immolatus eſt: quod ad imitationem Abrahæ gentiles ſingulis annis repræſentant. Soldanus Perſa, qui eſt maximus inter eos, & Memphis Admiraldus proprijs manibus camelos immolant. Poſteà verò Bethel à Iacob vocata eſt. Sed & priuſquàm Iheroboam poſuit ibi vitulum aureum, dicta eſt Bethaueum, id eſt domus idoli, quæ ab Abraham appellata fuerat, Dominus videt. Iacob ibi dormiens ſcalam vidit ad caput eius cælum tangentem, Angeloſque per eam deſcendentes & aſcendentes, vnde ſtatim euigilans inquit: Hic locus verè ſanctus eſt, & porta cæli: erigenſque lapidem in titulum, oleum fudit deſuper, nomen loci illius imponens Bethel, quod primitùs Lu-

za vocabatur. In Bethel Angeli præcepto voluit Abraham immolare Domino filium ſuum Iſaac.

Decimo milliario à Sychem Caſale ſancti Aegidij, ſibi nomen adeptum à Comite ſancti Aegidij, qui caſtra ſua metatus eſt ibi in exercitu Francorum pridiè quàm viderent Ieruſalem.

## *Mons Sylo.*

VIceſimo milliario à Syché, quartoque ab Ieruſalem via quæ ducit Dioſpolim, mons Sylo & ciuitas, quæ eſt Rama. Rama, vbi archa teſtamenti, & tabernaculum Domini ab aduentu filiorum Iſrael remanſerunt vſque ad tempora Samuelis prophetæ, & Regis Dauid.

## *Rama.*

*Ieruſalē.*

VIceſimo quarto milliario ab Sychem, quarto decimo à Caſali Sancti Aegidij, ſexto decimo à Dioſpoli, ſextodecimo ab Hebron, tertio decimo ab Iherico, quarto à Bethleem, ſexto decimo à Berſabee, viceſimo quarto ab Aſcalone, totidemque ab Ioppe, ſexto decimo à Ramatha, IERVSALEM ſanctiſſima Metropolis Iudeæ, quæ eſt Syon, de qua dictum eſt: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, quæ & Helia ab Helio Imperatore Adriano, qui eam reſtituit.

## *Bethleem.*

QVarto milliario ab Ieruſalem contra meridiem Bethleem, de qua dictum: Bethleem nequaquam minima es in principibus Iuda. Quæ eſt Effrata, de qua in pſalmo: *Audiuimus ea in Effrata.* Effrata vbertas ſonat, ſiue puluerulenta. Ex Bethleem Iſay ſiue Ieſſe, de quo propheta: Orietur virga ex Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Ex qua & Dauid Chriſti typum gerens in ſe. Dauid manu fortis, viſuque deſiderabilis. Dauid proſtrauit Goliam, Chriſtus Sathanam. Dauid facie decorus, Chriſtus ſpecioſus forma præ filijs hominum. Bethleem domus panis interpretatur, nec ſine cauſa, quia de flore Nazareno proceſſit in ea fructus vitæ de Virgine MARIA, videlicet filius Dei viui, qui panis eſt Angelorum, totiuſque mundi vita. In Bethleem iuxta locum natiuitatis præſepium, in quo latita-

titauit infans IESVS. Vnde & propheta: Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Ex quo fenum illud, in quo infans IESVS latitauerat, Romæ delatum fuit ab Helena Regina, & honeſtè reconditum in Eccleſia beatæ Mariæ Maioris.

Milliario à Bethleem contra boream refulſit ſtella paſtoribus, nato Domino, eis apparente Angelo, & dicente: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. In Bethleem noua ſtella duce venerunt Magi ab oriente venerari natum Emmanuel, & vt Regem Angelorum adorarent præſentantes ei munera, aurum, thus, & mirram. In Bethleem, eiuſque finibus Innocentes decollari iuſſit Herodes, quorum pars maxima contra meridiem tertio milliario à Bethleem, ſecunda à Thecua, ſepulta quieſcit.

Secundo milliario à Bethleem contra zephirum Ramale, de qua dicitur: Vox in Rama audita eſt. In Bethleem infra baſilicam haud longè à præſepio Domini requieſcit corpus beati Hieronymi. Paula quidem, & Euſtochium, quibus ipſe Hieronymus ſcribit, ſic & in Bethleem ſepultæ quieſcunt.

## *Thecua.*

QVarto milliario à Bethleem Thecua, ex qua Amos propheta, cuius & ibi tumulus oſtenditur.

Quarto milliario à Bethleem Eccleſia ſancti Karioth contra meridiem. Vbi & ipſo tranſeunte de hoc mundo monachi eius, quibus paſtor pius præfuerat, cum eo agonizauerunt. Id quidem à Deo deuotè petierant, eo quòd pater eorum clemens extiterat, nec poſt eum in mundo viuere volebant, eius amore feruentes, quorum ſingulorum compages in Eccleſia prædicta videri poſſunt modo illo, quo ſe habuerant in deſolatione patris eorum agonizantis, tranſlati poſteà in Ieruſalem, vbi & in Mauſelea integer habetur.

Milliario à Bethleem, via quæ ducit Ieruſalem, Kabrata ſonans quaſi electum, ſiue quaſi graue, locus, in quo cum Beniamin peperiſſet Rachel, præ dolore obijt, ibique à Iacob viro ſuo tumulata quieſcit: cuius in tumulo ſuperpoſuit Iacob duodecim lapides non modicos, in teſtamento duodecim filiorum Iſrael, cuius adhuc pyramis cum eiſdem lapidibus ſuperſtes videtur.

Ex Hebræorum traditione nobis aſſeritur, primogenitum Noe Sem, quem dicunt Melchiſedech, primum poſt diluuium condidiſſe Salem, in qua regnauit Rex & ſacerdos, quam Iebuſei poſſidentes, aui eorum Iebuz nomine ter-

tij

tij filij Chanaan nominauerunt Iebuz, quibus conuictis Iebuſſalem vocatur, poſt à Salomone Ieroſolima, quaſi Iebus Salomonia, à poëtis Solima, ab Elyo Adriano, qui eam reſtituit, Elya nuncupata eſt. Ipſa eſt Syon, quod ſpeculatio hebraicè ſonat; Ieruſalem viſio pacis. Ipſa etiam cunctis in orbe vrbibus præpollet, & oratione, & elemoſina.

## *De Ieruſalem & conditione eius.*

Hieruſalem glorioſa Iudææ metropolis iuxta Philoſophos in medio mundi ſita eſt. Regnauit autem in ea Dauid triginta tribus annis, & dimidio, reprobato Saule. De Dauid inquit Dominus: Inueni virum ſecundùm cor meum. In Ieruſalem ortum habuit Iſayas propheta, qui quum de Chriſto præ cæteris manifeſtiùs prophetabat ſub Manaſſe Rege Iudæorum, inuidia ſerra lignea ſectus per medium martyr expirauit. Eſt quidem in Ieruſalem mons Moria, ſuper quem videns Dauid Angelum percutientem euaginato gladio, qui populum Dei grauiter cæderat, timens ne in ſe, & in vrbem vlciſceretur, quod in populo numerato deliquerat, pronus in terram corruit, verè pœnitens, grauiterque ſe affligens, exauditus à Domino veniam meruit. In monte Moria regnante Dauid florebat Area hornan Iebuzei, à quo & ipſe Dauid emere voluit ad conſtruendam domum ibi Domino, eò quòd ab eo miſericordiam illo loco conſecutus fuerat, & quòd Angelus ei parcens & vrbi ibidem reſtiterat, emit quidem, ſed vetitum ei fuit à Domino, ne intromitteret ſe inde, quia vir ſanguinum erat. Ergo quas ad hoc preparauerat expenſas, Salomoni filio ſuo, cui à Domino concedebatur, tradidit, quatenus inde domum Domino conſtrueret. Aedificauit eya Rex Salomon patre defuncto templum Domino, id eſt Betel, id eſt altare, quæ ſub incomparabili ſumptu deuotè, ac ſolemniter encheniauit, poſcens à Domino, quòd quicumque de quocumque conſuleret eum, in eo exaudiri mereretur: quod conceſſum ei fuit à Domino. Ergo domus Dei, domus conſilij: iſtud inquam templum tempore Roboam prædicti Salomonis filio *, Pharao Nechao Rex Aegypti prophan ans expoliauit. Nabugodonoſor autem per Nabuzardan principem cocorum ſuorum tempore Sedechiæ totam deleuit & vrbem, quod quidem in vrbe pretioſum refulgebat, & in æde tolli iuſſit, ſibique præſentari in Babilonem Regem, ipſum & Sedechiam, & populum. Reſtituitur poſteà ſub Cyro Rege ab Eſdra ſcriba, & Neemia ſacerdote, reduciturque populus duce Zorobabel, Ieſuque ſummo ſacer-

do-

dote primo. Quod & ab Antiocho deſtructum iterum fuit, ſub que Machabeis reędificatum: quod & prophanauit Pompeius hoſpitatus in eo, cum fugeret à facie Iulij Cæſaris. Ad vltimum ſub Tyto & Veſpaſiano tertium illud templum funditus euerſum eſt.

## *De præſenti templo Domini, à quo ſit conditum.*

Reuera de hoc præſenti Bethel, ideſt domo Dei, prout veriùs queam, tibi pie Antiſtes elucidare conabor, licèt tempus ignoretur, ſub quo, & à quo Principe reſtitutum ſit. Quidam enim ſub Conſtantino Imperatore ab Helena Regina ſua matre reædificatum eſſe perhibent pro reuerentia ſanctæ crucis ab ea repertæ: alij ab Eracleo Imperatore pro reuerentia ligni Domini, quod de Perſide triumphans glorioſè retulerat: alij à Iuſtiniano Auguſto: alij à quodam Admiratore MemphisAegypti ſub honore Allachiber ideſt ſummi Dei. Et quoniam ad ipſum Deum colendum ab omni lingua reuerendè veneratur, quod verius fuiſſe, Sarracena ſuperſcriptio nobis manifeſtè declarat. Nam & in aduentu Francorum nihil legis, ſeu gratiæ in eo pictum apparebat. Præſens vtique hoc templum quartum prædicatur, cuius in penultimo octauo die natalis ſui puer IESVS circumciſus eſt, præputium cuius in Ieruſalem in templo de cælis ab Angelo Carolo Magno præſentatum fuit, & ab eo delatum in Gallijs Aquis grani, poſteà quidem à Carolo Caluo pij Ludouici filio tranſlatum Aquitaniæ in pago Pictauenſi apud Karoſium in Eccleſia, quam in honore ſancti Saluatoris conſtruxit in eo, largiſque donis, & ampliſſimis ſub monachali religione ditauit, quod ex tunc, & modò ſolemniter ibi veneratur. In Ieruſalem ab Herode ſanctus Iacob decollatus eſt, inde tranſlatus eſt Ioppe, tunc ad Hiſpanos.

Infra ſitum templi nouorum manſio militum cuſtodientium Ieruſalem.

In Ieruſalem Xenodochium, ſiue Muſcomion. Xenodochium grecè, latinè pauperum, & peregrinorum ſuſceptio. Muſcomion ideſt hoſpitale, vbi de plateis, & vicis ægrotantes colliguntur, & fouentur. Xenodochia princeps Iudæorum Hyrchanus de pecunia, quam abſtraxerat de ſepulchro Dauid, primus inſtituiſſe fertur.

Ypapanti ſuo IESVS à matre ſua præſentatus eſt in templo, receptus à beato Simeone dicente: O Domine lumen gentium, & gloria Iſraël, nunc dimittis ſeruũ tuum in pace, quia viderunt ocu-

li

li mei ſalutare tuum. De templo vendentes, & ementes eiecit IESVS. In templo liberauit adulteram ab accuſatoribus, dicens: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eum lapidem*. Et ille: Mulier vade in pace, & ampliùs noli peccare. In templo librum aperuit Iſayæ, quædam ex eo Iudæis exponens. In templo laudauit munus pauperculæ, quod in gazophilatio poſuerat, quia totum quod habuerat, dederat. In templo dum moraretur Ieruſalem, docebat Iudæos, licèt eum æmulantes. Suprà pinnaculum templi ſtatuit IESVM diabolus tentans eum, & dicens: Si filius Dei es, mitte te deorſum. Cui & Dominus: Vade Sathanas, non tentabis Dominum Deum tuum. De templo præcipitatus fuit beatus Iacobus primus ſub gratia pontifex in Ieruſalem. In templo nunciatum fuit ab Angelo Zachariæ natale filij ſui Ioannis Baptiſtæ. Inter templum, & altare Zacharias filius Barachiæ martyr occubuit. Supra quod in veteri teſtamento ſacrificari ſolebant turtures, & columbæ. Quod & Sarracenis poſteà in orologium mutatum eſt, & adhuc videri poteſt. Per ſpecioſam portam templi tranſiens Petrus, & Ioannes reſpondit petenti elemoſinam ab eis, qui claudus ab vtero matris ſuæ baiulabatur: Argentum, & aurum &c.

xxx. Viminacio m. p. *xxxi.*
Lacobrigam m. p. xv.
Legiſamone m. p. xv.
Teobrigula m. p. xv.
Tritium m. p. xxi.
Viroueſia m. p. xi.
Vindelcia m. p. xii.
Deobriga m. p. xiiii.
Beleia m. p. xv.
Sueſſatio m. p. vii.
Tullonio m. p. vii.
Alba m. p. xii.
Araceli m. p. xxi.
Alantone m. p. xvi.
Hic in editis reſtituitur ordo. Pompelone m. p. viii.
Turiſſa m. p. xxii.
Summo Pyreneo m. p. xviii.
Imo Pireneo m. p. v.
Carasa m. p. xii.
AquisTerebellicis m.p.xxxviiii
Moſconnum m. p xvi.
Segoſa m. p. xii.
Loſa m. p. xii.
Boios m. p. vii.
Burdigalam m. p. xvi.

ITEM AB AQVIS TEREBELLICIS

Burdigalam m. p. lxiiii. ſic
Cocquoſa m. p. xvi.
Telonnum m. p. xviii.
Salomaco m. p. xii.
Burdigala m. p. xviii.

ITEM AB AQVIS TEREBELLICIS

Toloſam m. p. cxxx.
Benearnum m. p. xviiii.
Opido nouo m. p. xviii.
Aquis conuenarum m. p. viii.
Lugdunum m. p. xvi.
Calagorris m. p. xxvi.
Aquis Siecis m. p. xvi.
Vernoſole m. p. xii.
Toloſa m. p. xv.

DE AQVITANICA IN GALLIAS

ITEM A BVRDIGALA

Auguſtodunum *m. p. cclxxiiij* lxxiiij. ſic
Blauto m. p. xviiii.
Tamnum m. p. xvi.
Nouio Regum m. p. xii.
Mediolanum Santonum m. p. *xv.* xvi.
Aunedonacum m.p. xvi.
Rauranum m. p. xx.
Leomonum m. p. xxi.
Fines m. p. xx.
Agrantomago m. p. xxi.
Ernodorum m. p. *xxvij.* xxvi.
Auaricum m. p. xiii.
Tincontium m. p. xx.
Deccide m. p. xxir.
Aliſincum m. p. xiiii.
Auguſtoduno m. p. xxii.

DE AQVITANIA IN GALLIAS

ITEM A BVRDIGALA

Argantomago m. p. cxcvii.
Sirione m. p. xv.
Vſubium m. p. xx.

Fi-

Fines m. p. xxiiii.
Aginnum m. p. xxv.
Exciſum m. p. xiii.
Trauectus m. p. xxi.
Veſunna m. p. xviii.
Fines m. p. xxi.
Auguſtoricum m. p. xxviii.
*Auguſto mago* m. p. xxi. *Argantamago.*

ITEM AB AGINNO

Lugdunum m. p. lxv
Lactura m. p. xv.
Cliniberrum m. p. xv.
Belſino m. p. xii.
Lugdunum m. p. xxiii.

ITER BRITANNIARVM A GESSORIGIACO

De Gallis Ritupis in Porto Britanniarum ſtadia numero ccccl

A LIMITE

Ideſt à Vallo Prætorio m. p. clvi.

*Ab Remaenio Corſtropilum.* *A Bremenia Corſtopitum* m. p. xx.
Vindomora m. p. viii.
Vinouia m. p. xviiii.
Cataractoni m. p. xxii.
Iſurium m. p. xxiiii.
Eubragum leug. vi.
Victria m. p. xvii.
Deruentione m. p. vii.
Delgouicia m. p. xiii.
Pretorio m. p xxv.

ITEM A VALLO

Ad Portum Ritupis m. p. cccc lxxxi. ſic
Ad Latobulgio Caſtra Exploratorum m. p. xii.
Lugu Vallo m. p. xii.
Voreda m. p. xiiii.
Brouonacis m. p. xiii.
Verteris m. p. xiii.
Lauatris m. p. xiiii.
Cataractone m. p. xvi.
Iſuriam m. p. xxiiii.
Eburacum m. p. xviii.
Calcaria m. p. viiii.
Campoduno m. p. xx.
Manutio m. p. xviii.
Condate m. p. xviii.
Deualeg xx. Vici m. p. xx.
Bouio m. p. x.
Mediolano m. p. xx.
Rutunio m. p. xii.
Vrio Cunio m. p. xi.
Vxacona m. p. xi.
Penno Crucio m. p. xii.
Otoceto m. p. xii.
Manduesedo m. p. xvi.
Venonis m. p. xii.
Bannauenta m. p. xvii.
* *Addunt edita Lactodoro m. p. xii. Magio Vinto m. p. xvii.*
Durocobriuis m. p. xii.
Verolamio m. p. xii.
Sulloniacis m. p. viiii.
Londunio m. p. xii.
Nouio mago m. p. x.
Bagniacis m. p. *xviiij.* *xviii.*
Durobrouis m. p. viiii.
Duroleuo m. p. *xiij.* *xvi.*
Duro verno m. p. xii.
Ad Portum Ritupis m. p. xii.

ITEM A LONDINNIO

Ad

xiiii. Ad Portum Dubris m. p. *lxvi.*
Dubobrius m. p. xxvii.
*Durarueno* m. p. xxv. Durarueno.
Ad Portum Dubris m. p. xiiii.

ITEM A LONDINIO

Ad Portum Lemanis m.p.lxviii
Durobriuis m. p. xxvii.
Duraruenno m. p. xxv.
Ad Portum Lemanis m.p. xvi.

ITEM A LONDINIO

Lugu Valio ad Vallum m. p. cc ccxliii.
Cæſaromago m. p. xxviii.
Colonia m. p. xxiiii.
Villa fauſtini m. p. xxxv.
* Addunt edita. *Icianos m. p xviii. Camboricọ m. p. xxxv.*
Duroliponte m. p. xxv.
Durobriuas m. p. xxxv.
Cauſennis m. p. xxx.
Lindo m. p. xxvi.
Segeloci m. p. xiiii.
Dano m. p. xxi.
Legeolio m. p. xvi.
Euburaco m. p. xxi.
Iſubrigantum m. p. xvii.
Cataractoni m. p. xxiiii.
Leuatris m. p. xviii.
xiiii. Verteris m. p. *xviii.*
Brocauo m. p. xx.
Lugu Valio m. p. xxv.

ITEM A LONDINIO

Lindo m.p. clvi. ſic
Verolami m. p. xxi.
xiii. Durocobrias m. p. *xxii.*
Magio Vinio m. p. xii.
Lactodoro m. p. xvi.
Iſannautia m. p. xii.
Tripontio m. p. xii.
Venonis m. p. viiii.
Ratas m. p. xii.
Verometo m. p. xiii.
Margeduno m. p. xii.
Ad Pontem m. p. vii.
* Addunt edita. *Croco Calana m. p. vii.*
Lindo m. p. xii.

ITEM A REGNO

*Lundunio m. p. xcvi.* *Londinio m. p. cxv. ſic.*
Clauſentum m. p. xx.
Ventabelgarum m. p. x.
Galleua atrebatum m. p. xxii.
Pontibus m. p. xxii.
Londinio m. p. xxii.

ITEM AB ERVRACO

Londinium m. p. ccxxvii.
Lagiecio m. p. xxi.
Dano m. p. xvi.
Ageloco m. p. xxi.
Lindo m. p. xiiii.
Crococalono m. p. xiiii.
Margiduno m. p. xiiii.
Verneniceto m. p. xii.
Ratis m. p. xii.
Vennonis m. p. xii.
Bannauanto m. p. xviiii.
Magio Vinio m. p. *xxviiii.* *xxviii.*
Durocobriuis m. p. xii.
Verolamo m. p. xii.
Londinio m. p. xxi.

### ITEM A VENTACINORVM

Londinio m. p. cxxviii. ſic
xxxi. Sitomago m. p. *xxxii.*
Combretouio m. p. xxii.
Ad Anſam m.p. xv.
Camoloduno m. p. vi.
Canonio m. p. viiii.
Cæſaromago m. p. xii.
Durolito m. p. xvi.
Lindinio m. p. xv.

### ITEM A CLANOVENTA

Mediolano m. p. cl. ſic
Galaua m. p. xviii.
Alone m. p. xii.
xix. Calacum m. p. *viiii.*
Bremetomaci m. p. xxvii.
Coccio m. p. xx.
*Macunio m.p.xviii.* *Macocunio m. p. xvii.*
Condate m. p. xvii.
Mediolano m. p. xviiii.

### ITEM A SEGONTIO

Deuam m. p. lxxiiii. ſic
Conouio m. p. xxiiii.
xix. Varis m. p. *xviii.*
Deua m. p. xxxii.

### *A Murideno.* ITEM *A CONRIDVNO*

Viroconiorum m. p. clxxxvi.
Vindomi m. p. xv.
Ventabelgarum m. p. xxi.
Brige m. p. xi.
Soruioduni m. p. *viii.* ix.
Vindogladia m. p. *xii.* xiii.
Durnouaria m. p. viii.
*Conriduno* m. p. xxxvi. *Muriduno.*
Scadum *Nonniorum* m. p. xv. *Nuntiorum.*
Leucaro m. p. xv.
Nido m. p. xv.
*Bocoio* m. p. xv. *Bomio.*
*Iſcaelegij Aug.* m. p. xxvii. *Iſcaleia augusta.*
Burrio m. p. viiii.
Gobannio m. p. xii.
Magnis m. p. xxii.
* *Addunt edita Brauonio m.p.xxiiii. Virocomio m. p. xxvii.*

### ITEM A BISCA

Calleua m. p. cviiii. ſic
Burrio m. p. viiii.
Bleſtio m. p. xi.
Ariconio m. p. xi.
Cleuo m. p. xv.
Durocornouio m. p. *xviiii.* xiv.
Spinis m. p. xv.
Calleua m. p. xv.

### ITEM ALIO ITINERE A BISCA

Calleua m. p. ciii. ſic
Ventaſilurum m. p. viiii.
Abone m. p. *xiij.* ix.
Traiectus m. p. viiii.
Aquis *Sulis* m. p. vi. *Solis.*
Verlucione m. p. xv.
Canetione m. p. xx.
Spinis m. p. xv.
Calleua m. p. xv.

### ITEM A CALLEVA

Iſca-

*Numerum.* Iſcadũ *nomiorum* m.p. cxxxvi.
ſic.
Vindomi m. p. xv.
VentaBelgarum m.p. xxi.
Brige m. p. xi.

Sorbiodoni m. p. viii.
Vindocladia m. p. xii.
Duronouaria m. p. *xviij.* *viii.*
Moriduno m. p. xxxvi.
Iſcadum *nomiorum* m. p. xv. *Nuuiorum.*

IV.

## ΕΞΗΓΗΣΙΣ ΟΛΟΥ ΤΟΥ ΚΟΣΜΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΕΘΝΩΝ.

# EXPOSITIO

## TOTIVS MVNDI ET GENTIVM

*Edita à Iacobo Gothofredo Græcè & Latinè Geneuæ* 1628. *in* 4.

*Incipit:* Sunt autem & regum expertes. *Et poſtquàm egit de Regionibus barbaris ex alio auctore; inde verò ſic proſequitur*,

POſt hos iam noſtra terra eſt: ſequitur ſcilicet Meſopotamia, & Oſroëna.

Et Meſopotamia quidem multas & varias ciuitates habet, è quibus eximiæ ſunt, quas dicturus ſum. Sunt igitur hæ.

Niſibis, & Edeſſa, quæ viros habent vt cæteroqui præclaros, ita in commercijs valde induſtrios, nauigationibus claros, & locupletes, omnibus denique bonis inſtructos. Accepta quippe à Perſis ipſi in omnem orbem Romanum tranſdant, & viceuerſa alia cum Perſis commutant, excepto ære, & ferro, quia hoſtibus æs, aut ferrum dare non licet. Hæ porrò ciuitates ſemper in ſtatione locatæ, deorum & Imperatoris prouidentia, mœnijſque bello inclytis inſtructæ impetum vimque Perſarum diſſoluunt; commercio feruentes, & cum omni prouincia bene commercantes.

Inde Edeſſa Oſroënæ, quæ & ipſa clara vrbs eſt.

Poſt hæc iam tota Syriæ regio, quæ in tres Syrias diuiditur, Phœnicem, Palæſtinam, & Cœlem: & habent eæ varias, & excellentes vrbes, & maximas, quibus ex parte memoratis cognoſcendi cupidos delectabo.

Prima igitur eſt Antiochia vrbs regia; beata in omnibus, vbi & Dominus orbis terrarum ſedet. Quod ciuitatem ipſam attinet, decora ea, & operibus publicis eximia eſt: quæque cum multitudinem hominum vndique excipiat, omnes tamen ſuſtinet, vtpote omnibus bonis abundans.

Sequuntur iam aliæ ciuitates,

veluti Tyrus, quæ omnis generis commercium feruidè agitans, magnificè beata eſt: nulla enim fermè Orientis vrbs eſt, quæ commercio magis frequentetur: diuiteſque viros habet, præpotenteſ in omnibus portis.

Iam Berytus vrbs valde delitioſa, vbi etiam Iuris auditoria ſunt, per quæ omnia Romanorum tribunalia ſtant: ibi quippe viri edocti per omnem orbem terrarum iudicum aſſeſſores fiunt, & legum periti prouincias tuentur, quibus conſtitutiones mitti ſubinde ſolent.

Item Cæſarea ciuitas ſimiliter delicioſa eſt, & omnibus abundat, & ſtructuræ elegantia in multis eminens eſt: Tetrapylum enim eius vbique celebratur, quod vtique ſingulare eſt, & viſu ſpectabile.

Iam aliæ omnes, quarum & ipſarum ex parte nomina apponere neceſſe eſt, quia ſingulare quid ſingulæ habent.

Præcipua igitur & beata ciuitas eſt Laodicia: ea omnis generis merces accipit, mox & eminens Antiochiam validè adiuuat, & frequentat.

Similiter & Seleucia ciuitas beatiſſima, quæ & ipſa omnia ad ſe delata prædictæ Antiochiæ prebet, tum fiſcales, tum & priuatas ſpecies. Quarè & Dominus orbis terrarum Imperator Conſtantius videns, quòd ea adeò ſibi & exercitui ſuo vtilis eſſet, maximo monte ſecato mare induxit, portumque fecit magnum & bonum, vbi venientes naues conſiſterent ſaluæ, & onus fiſcale non periret.

Deinceps aliæ iam ciuitates omnes, veluti Aſcalon, & Gazæ ciuitates eminentes, & commercio feruentes, omnibuſque abundantes præter alias merces mittunt Syriæ & Aegypto vinum optimum.

Neapolis item & ipſa ciuitas glorioſa, & valde nobilis.

Tripolis, & Schytopolis, & Biblus, quæ & ipſa ciuitas linificio clara eſt.

Heliopolis, quæ Libano monti propinqua eſt, formoſas mulieres alit, quæ apud omnes Libanotides nominantur: ibique Venerem magnificè colunt, quandoquidem ea ibi habitare, & mulieribus decus formæ dare dicitur.

Sunt prætereà & hæ ciuitates, Sidon, Sarepta, Ptolemais, Eleutheropolis, pariter & beatiſſima Damaſcus.

Deſcriptis & deſignatis ita ex parte prædictis ciuitatibus, linificio claræ ſunt hæ, Schytopolis, Laodicia, Biblus, Tyrus, Berytus, quæ linteamen in omnem orbem terrarum emittunt, quo ſcilicet abundant: pariter autem & Saraphta, & Cæſarea, & Neapolis: ſimiliter vt Lydda purpuram alitinam. Omnes porrò prędictæ vrbes & glorioſæ, & frugiferæ frumento, vino, oleo. Habent præter hæc & cum omnibus alijs bonis & Nicolai palmulam in regione Palæſtinæ, loco quodam. Quibus mercibus ciuitates Syriæ abundabant.

dam.

dam, qui vocatur Iericho, ſimiliter & Damaſcena, & aliam palmulam minorem, & pſittacium, & omne genus pomorum abundè. Cum autem oporteat & ſigillatim cuique propria deſcribere, quodnam videlicet in ſingulis his vrbibus voluptatum genus excellat, & hoc dicere neceſſe eſt.

Syriæ ciuitates earumq; caput Antiochia, vbi & Imperator Conſtantius auctoris ætate ſedebat.

Eſt igitur Antiochia in omnibus voluptatum generibus abundans: maximè autem circenſibus. Quarè autem quæſo omnia ibi ſunt? Quia ſcilicet cum ibi Imperator ſedeat, neceſſe eſt & omnia ibi eſſe propter eum. Ecce pariter & Laodicia circenſibus excellit, & Tyrus, & Berytus, & Cæſarea. Quin & Laodicia ſuppeditat alijs ciuitatibus optimos agitatores; Tyrus & Berytus mimarios; Cæſarea pantomimos; Heliopolis choraulas: ideò maximè, quod muſæ Libanotides his canendi diuinitatem inſpirent. Habet & aliquando Gaza bonos acromaticos; quinimò dicitur eà habere & pammacharios; Aſcalon athletas luctatores; Caſtabula funambulos.

Auctor Syrus fuiſſe videtur, & fortè Antiochenus.

Omnes porrò per commercia ſtant; viroſque diuites habent in omnibus, & verbo, & opere, & potentia: aëres etiam temperatos habent. Et hæc quidem de Syria ex parte dicta ſint. Plurima enim prætermiſimus, ne extra inſtitutum ſermonem protendere videamur: quò etiam cæteras regiones & prouincias deſcribere poſſimus.

Sunt igitur à læua parte Syriæ, & Aegypti, & Alexandriæ, & totius Thebaidis partes, quas deſcribere neceſſe eſt.

Habes itaque vniuerſam Aegypti regionem coronatam fluuio, qui vocatur Nilus: qui exiens rigat omnem faciem terræ. Et omnis generis frugum frugifera eſt, oleo tantùm excepto; tritico verò, hordeo, leguminibus, & vino abundat; viris pariter nobilibus, quique Deos eximiè colunt: nuſquam enim terrarum ſacra deorum ita celebrantur, vt ibi iam ab antiquo, & vſque nunc: & verò ipſa propemodùm omni orbi terrarum Deorum cultum tradidit. Dicunt equidem nonnulli, Chaldæos meliùs adhuc colere; ſed enim quos videmus, & miramur, & in omnibus primos eſſe aſſerimus: ſiquidem ibi Deos habitaſſe, imò & habitare ſcimus. Sed & nonnulli litteras ab eis inuentas eſſe dicunt, quas alij à Chaldæis, alij verò à Phœnicibus, alij verò Mercurium inuentorem litterarum aſſerunt: & cum multa ſuper hac re dicantur, nemo verum ſcit, neque etiam ſcire poteſt.

Ægyptus

Inuentores litterarum.

Interim Aegyptus ſupra omnē orbem viris ſapientibus abundat. Ex Metropoli quippe eius Alexandria per omnes prouincias videas omnis generis Philoſophos. Quarè & cum aliquando certamen inter Aegyptios & Græcos obortum fuiſſet, vtris principatus deberetur; argutiores & perfe-

ctiores Aegyptij inuenti ſunt, viceruntque, & principatus eis adiudicatus fuit. Denique impoſſibile eſt, in quocumque tandem genere volueris, ſapientem talem inuenire, cuiuſmodi Aegyptij ſunt. Quarè & omnes ij Philoſophi, ſcientiamque litterarum aſſecuti, qui ibi morati ſunt, præſtantiores euaſerunt. Neque etiam vlli apud eos impoſtores ſunt, verùm ſinguli eorum quod pollicentur, certè ſciunt: eò quòd non omnes omnia, verùm ſinguli ſua negotia per ſingularem diſciplinam ornantes, perficiant.

Alexandria. Alexandria porrò ciuitas eſt lōgè maxima, ſtructuræq; diſpoſitione eximia omnibuſq; bonis abundans, & omnis generis eſcarum diues: nam & tria piſcium genera comedit, quod alia prouincia non habet; piſcem fluuiatilem, ſtagnenſem, & marinum. Omnes etiam ſpecies ſiue aromatum, ſiue aliarum mercium barbaricarum, in ea abundant. Supra caput quippè Thebaidis cum Indorum genus habeat, quæ inde accipit, omnia omnibus præſtat. Dij quoquè coluntur eximiè, & templum Serapis ibi eſt, quod quidem ſingulare eſt toto orbe, viſuque ſpectabile opus: nullibi quippè terrarum talem aut ſtructuram, aut templi diſpoſitionem, aut cultus inuenire eſt; quin huic principatus debetur. Poſſidet præter alia, quibus potitur bonis, & rem quamdam, quæ nuſpiam niſi Alexandriæ & in eius regione conficitur, abſque qua neque iudicia, neque priuata negotia celebrari poſſunt; quin eius ope fermè omnis hominum natura ſtare videtur. Et quid quæſo eſt, quod adeò à nobis commendatur? Nempè quod cum chartam ipſa conficiat, & in vniuerſum orbem emittat, vtiliſſimam ſpeciem omnibus præbeat: ſola nempè hoc ſupra omnes ciuitates & prouincias cum poſſideat, citra inuidiam tamen hæc bona ſua alijs communicat. Sed & Nili fælicitatem præ omnibus alijs prouincijs habet. Nilus enim fluuius æſtiuo tempore exundans omnem terram rigat, & ad ſementem præparat: quam vbi fecere, magna benedictione & abundè replentur: apud eos enim vnus modius centum, immò centum & viginti modios reddit. Cumque ſingulis annis eum in modum terra producat, iam & alijs prouincijs opitulatur. Conſtantinopolis ſcilicet Thraciæ ab ea fermè paſcitur, pariter & partes Orientis præcipuæ propter exercitum ſeu comitatum Imperatoris, & bellum Perſicum: cui ſanè rei nulla alia prouincia ſufficere poteſt, quàm diuina Aegyptus. Diuina, inquam, quo à Dijs deſumpto elogio nullum maius puto: ſanè enim cum ibi, vt anteà iam diximus, benè Deos colant, viſui maxima quæque offerunt. Etenim omnia fana, & templa vndique exornata ſunt. Neocori etiam, & ſacerdotes, & miniſtri, & aruſpices,

Charta Ægyptiaca.

ces, & adoratores, & optimi vates apud eos abundant; ſed & omnia ritè fiunt: quarè inuenias ibi aras ſemper igne ſplendentes, ſacrificijs thureque plenas: ſerta etiam & thuribula aromatibus plena ſacrum ritum ſpirantia. Iam & ciuitatem à magiſtratibus benè adminiſtrari videas. Hoc ſolum habet populus Alexandrinus, quod contumacem his ſe prębeat: quarè & magiſtratus illam ciuitatem cum metu & tremore ingrediuntur, populi iuſtitiam timentes: nam neque igni aut lapidum iactationi parcunt, ſi quando magiſtratus quid peccent. Eſt & in omnibus ciuitas & regio profunda, totiuſque penè orbis terræ ſola vera Philoſophia abundat, & in qua variaPhiloſophorum genera reperiuntur. Quarè & Aeſculapius ei medicinæ peritiam concedere voluit, dignatuſque id ei præſtare, vt per totum orbem medicos ſpargeret: quo fit, vt ciuitas propemodùm iſta omnibus hominibus initium ſalutis ſit.

Et hæc quidem de prædictis regionibus & ciuitatibus ex parte dicta ſint; neque enim omnia deſcribere iam licet. Aëres tandem habent valdè temperatos.

Exinde iam à dextera & ſupra Syriam occurrit Arabia, cuius ciuitas maxima eſt Boſtra, quæ commercia maxima agitare dicitur; propinqua ea Perſis, & Sarracenis. In ea quoquè publicum opus Tetrapylum admirabile viſu.

Deinde rurſum regio Ciliciæ, quæ magna copia vini abundans, & alias prouincias lætificat, & habet ciuitatem maximam, & beatam, quæ vocatur Tarſus.

Poſt hæc in ſuperiori parte eſt Cappadocia, quæ habet viros nobiles & maximam ciuitatem Cæſariam. Dicitur autem frigora maxima pati, adeò vt locorum imperitus non niſi cum aliquo artificio ibi habitare poſſit. Merces autem has optimas vbique eam mittere aiunt, veſtem leporinam, Babylonicas pelles, & celebratos imperatorios equos formoſiſſimos.

Inde occurrit Galatia prouincia beatiſſima ſibi ſufficiens. Commercium exercet veſtium quamplurimarum: quandoque etiam bonos milites Imperatoribus præſtat. Habet vero ciuitatem maximam, quæ dicitur Ancyra: dicitur diuinum & præſtantiſſimum panem comedere.

Rurſum Phrygia, quæ & ipſa beata regio eſt, & ipſa fortes viros habens ſecundùm antiquorum ſcripta, Homeri, & Virgilij, & aliorum, qui bellum horum Phrygum, & Græcorum conſcripſerunt. Ea verò maximam ciuitatem habere dicitur Laodiciam, quæ veſtem ſimplicem & celebratam emittit, quæ vocatur Laodicena.

Exinde ſupra hanc Armenia minor, quæ equites & ſagittarios præſtare ad bellum idoneos dicitur.

Deinde Paphlagonia & Pontus virorum locupletum habitatio, & excellentiſſimorum (haud aliter atque Cappadoces & Galatæ) in doctrina, tum & in omnibus bonis: habet & mulieres formoſiſſimas. Hiſtoria quippe de ijs narrat, eas ſpecioſas eſſe & candidiſſimas, ſic vt viſæ Deæ eſſe credantur. Viroſæ tamen ſunt prædictę prouinciæ & ciuitates, hoc eſt Pontus, & Paphlagonia, & Galatia, & Cappadocia. Habent item viros prudentes. Quòd ſi velis eorum prudentiam certò noſſe, in vtrumque Comitatum, Orientis videlicet & Occidentis intuere, & plures ibi inuenies, quàm ex alijs ciuitatibus, & prouincijs Ponticos, aut Paphlagones, & Cappadoces, & Galatas. Quare & his negotia & iuſſa Imperatorum exequenda creduntur: ſunt enim valdè fideles, felicitate naturæ bonum iſtud in ſe habentes; vnde & ad maiores & meliores proceſſus adiguntur, & ſubuehuntur. Verùm de his orationem hìc abrumpo, & de alijs dicere nunc aggredior.

Imperiũ Conſtantij tempore in Oriente & Occidentem diuiſum.

Sunt igitur hæc mediterranea. Quoniam verò neceſſe eſt & mari vicinas partes indicare, rurſum ſub Cilicia eſt Iſauria, quæ viros bellicoſos habere dicitur: qui latrocinia aliquando facere inſtituerunt; quin & Romanis infeſti quoquè fuerunt: ſed enim inuictum Romanorum nomen ſuperare non valuerunt.

Poſt hanc eſt Pamphylia regio beatiſſima, ſibique ſufficiens: olei porrò plurimum cum habeat, & alias regiones eo implet. Habet verò duas ciuitates claras, Pergen & Siden.

Poſt hanc Lycia Regio ſibi ſufficiens, vbi mons eſt maximus, qui Caucaſus vocatur, quo maiorem ſub cælo nullum eſſe aiunt.

Poſt Lyciam Caria eſt.

Et ſic tandem eſt maxima Aſia, quæ ſupra omnes prouincias eminet, & innumeras ciuitates habet; habet autem & maximas, & mare quamplurimas, è quibus duas memorare neceſſe eſt.

Epheſum videlicet, vbi portus eximius eſſe dicitur; tum & Smyrnam, quæ & ipſa ciuitas clara eſt. Regio autem tota læta, & ferax eſt omnis generis bonorum, vini ſcilicet varij generis, olei, hordei, purpuræ bonæ alitinæ, & eſt longè admiratione digna, cuius laudes nonniſi multis explicari poſſunt.

Poſt hanc eſt Helleſpontus regio fructifera; frumenti, vini, oleique diues. Ciuitates porrò in ea antiquæ illę, Troia & Ilium; his verò maior Cyzicum, quæ & ſtructuræ elegantia, & magnitudine, & ornatu, & formoſitate omni laude maior eſt. Ibi quippe etiam Venus ſagitta Cupidinis ornata mulierum decus conſtituere voluit.

Poſt Helleſpontum occurrit admiranda Bithynia, maxima ea & beata, quæque pariter omnium rerum ferax eſt. Ciuitates equidem

dem multas habet, ſed admirandas, Niciam & Nicomediam. Eſt Niciæ quidem ciuitati ſtructuræ elegantia; parem alibi difficulter inuenias. Regulam quippe toti ciuitati aptatam quis putet, adeò ęqualia ibi omnia & formoſa: denique vndique ornata eſt, ſibi conſtans. Nicomedia verò & ipſa eminens, & admiranda, & in omnibus abundat. Inque ea opus publicum egregium eſt Baſilica antiqua, quam aiunt diuinum ignem de cælo miſſum combuſſiſſe, ſed quam poſtea inſtaurauit Conſtantinus. Eſt & in ea Circus ſtructura elegantiſſima, vbi eminet Circenſium ſpectaculum, quod ſtudioſè ibi ſpectatur.

Poſt Bithyniam rurſum eſt Thracia prouincia, & ipſa frugum diues, & maximos viros habet, & bello fortes: quo fit etiam, vt crebrò inde milites deligantur. Habet porrò ciuitates claras, Conſtantinopolim, & Heracleam: quæ quidem Conſtantinopolis cum olim Byzantium diceretur, Conſtantinus ei à ſe conditæ ſuum nomen indidit. Heracleæ verò eximium opus eſt, puta Theatrum, & regale Palatium. At Conſtantinopolis omnia ſumma habet propter Conſtantinum. Ibi ſanè inter cætera Circenſium ſpectaculum animoſè ſpectatur.

Poſt Thraciam iam occurrentem inuenies Macedoniam. Ea, cum omnibus abundet, ferri & plumbi commercium agitat, quandoque etiam & lardi & caſei Dardanici (nam & ei adiacet Dardania) habet autem ciuitatem claram Theſſalonicam, quæ & ipſa vna eſt ex eminentiſſimis.

Poſt Macedoniam eſt Theſſalia, quæ cum multa producat, etiam alijs ſufficere dicitur, & eſt in ea mons Olympus, quem Homerus ait eſſe deorum habitaculum.

Poſt Theſſaliam eſt Achaia, Græcia, & Laconica terra, quæ ſibi quidem ſufficiens, non etiam alijs ſufficit: nam & cum ipſa prouincia parua ſit, & montoſa, neque adeò frugifera eſſe poteſt. Olei etiam parum producit, & mel Atticum: denique doctrinæ & orationis fama magis clara eſt; de cætero vero fermè haud adeò. Ciuitates porrò has habet, Corinthum, & Athenas: & Corinthum quidem ciuitatem commercio florentem, in qua etiam eſt opus eximium Amphiteathri; Athenas verò & viſu antiquas, & dignas etiam ob celebrem arcum, qui ibi eſt; vbi & innumeræ ſtatuæ ſunt, & iucundum eſt videre bella antiquorum decantata. Laconica verò ſolo cronico lapide, quem Lacedemonium vocant, ornari dicitur.

Poſt Achaiam occurrunt Epiri partes, & ciuitas, quæ vocatur Epyrus. Prouincia verò, quæ à quibuſdam vocatur Epirus, ab alijs Aetolia vocatur. Ciuitas in ea Nicopolis, quæ piſce marino plurimùm abundat: adeò quidem vt qui ſpeciei iſtius multitudinem

dinem viderit, iam etiam propemodùm oderit.

Poſt hanc paulò altius eſt Dalmatia, quæ commercijs eminere dicitur, caſeum ſcilicet Dalmatenum, & materiam ædificijs aptam; tum & ferrum: tres has inquam ſpecies vtiliſſimas, quibus abundat, emittit. Et eſt in ea ciuitas clara Salona. Dyrrachium enim, propter malitiam inhabitantium à Deo (id enim vero ſimilius dicitur) abſorpta eſt, & euanuit.

Exinde iam ordine prouinciæ hæ: Calabria, quæ & frumenti ferax, & omnibus bonis abundat.

Poſt hanc Bryttia occurrit, quę & ipſa beatiſſima eſt, & emittit mercem veſtem byrram, & vinum magna copia, & optimum.

Poſt Bryttiam Lucania regio beatiſſima & ipſa cum omnibus abundet, lardum magna copia emittit, eo quòd ſit in montibus, in quibus varia paſcua animalium ſunt.

Deinceps Campania prouincia, non ea quidem magna, locupletes autem viros habens, & ipſa ſibi ſufficit, & cellarium eſt Reginæ vrbi Romæ.

Poſt hæc Italia, quæ & ſolo verbo, ſeu nomine tenus deſignata gloriam ſuam oſtentat. Multas ea, & varias ciuitates cum habeat, omnibuſque bonis abundet, à diuina prouidentia regitur. In Italia quippe inuenias multa vini genera, veluti Picenum, Sabinum, Tyburtinum, Tuſcum (nam & Tuſcia in prædicta prouincia eſt, cuius formoſitatem non multo poſt narrabimus.) Italia igitur omnibus abundans hoc inſuper maximum bonum poſſidet nempe Vrbem maximam, eminentiſſimam & Regiam, quæ & de nomine ipſo fortitudinem ſuam oſtentat, vocaturque Roma, quam condidiſſe aiunt Romulum puerum. Eſt igitur ea quammaxima, diuiniſque ædificijs ornata. Singuli quippe Imperatores, vel ſuperiores, vel etiam qui nunc ſunt, in ea aliquid condere in animum induxerunt, ſingulique opus aliquod de nomine ſuo fecere. Si vel Antoninum ſpectes, innumera eius opera inuenies. Similiter inuenies & Forum, quod Traianum dicitur, in quo & Baſilica præcipua & celebrata. Habet autem & Circum eleganti ſtructura, & æramento multo ornatum. Sunt etiam ibidem, Romæ ſcilicet, ſeptem virgines ingenuæ & patriciæ, quæ ſacra deorum pro ſalute vrbis, iuxta antiquorum morem, faciunt, vocanturque virgines Veſtę. Pariter & fluuium habet multis notum, puta Tyberim, qui prędictæ vrbi plurimum confert, eam quippe ſecans in mare effluit, & per eum omnia, quæ aliundè veniunt, ab octodecim milliaribus ſubuehuntur. Habet & Senatum maximum locupletum virorum: quòd ſi ſingillatim eos recenſeas, reperies omnes aut magiſtratu

fun-

fungentes, aut functos; vel qui poſſint quidem, nolint tamen, eo quòd ſuis bonis frui tranquillè malint. Colunt porrò & deos, & in his Iouem & Solem: ſed & ſacra matris Deũ facere dicuntur. Aruſpices quoquè apud eos boni ſunt. Sic Romam habes.

Vicina huic Tuſcia, quæ quidem Tuſcia fermè à Dijs nomen iſtud ſortita eſt. Ibi quippe aiunt primitùs inuentam Haruſpicinã; item quod dixerint bonum eſſe, vt Dij credantur. Quarè & ipſa bonis omnibus abundans, & hoc maximè habet, nempe frequentia deorum ſacrificia: etenim huius rei peritia apud eos eſſe dicitur. Et hæc quidem de Roma & Tuſcia.

Italiæ verò ciuitates, & aliæ claræ ſunt, puta Aquileia & Mediolanum. Nunc dicamus deinceps poſt Italiam & eas ciuitates, quas prætermiſimus, Myſiam videlicet & Daciam prouincias: quæ ſibi quidem ſufficiunt, frigidæ autem maximè ſunt, quarum ciuitas maxima Næſſus dicitur.

Deinceps occurrit Pannonia regio, terra omnibus diues tum frugibus, tum & iumentis,& mercibus, quin ex parte & mancipijs: ſemperque ea Imperatorum ſedes eſt. Habet porrò & ciuitates maximas,puta Sirmium,& Noricum, vnde & veſtis Norica prodire dicitur. Et hactenùs de Pannonia regione.

Huic adiacet trans fluuium Danubium barbara gens Sarmatarum. Poſt Pannoniam Galliæ prouincia eſt, quæ cum maxima ſit, & Imperatore ſemper egeat, hunc etiam ex ſe deſiderat. Sed & propter maris opportunitatem omnibus copioſè abundat, quamquàm caro pretio. Ciuitatem porrò maximam habere dicitur, quæ vocatur Triuiris, vbi etiam Imperator morari dicitur, eaque mediterranea eſt. Pariter & aliam ciuitatem habet in omnibus ei adminiculantem, quæ ad mare ſita eſt, quam vocant Arelatum, quę cũ ab omni orbe commercia ſuſcipiat, & prædictæ ciuitati ea ſubmittit. Omnis autem regio viros habet bellicoſos, & nobiles: quarè & in bello frequens inde miles, & fortis ex Gallia eſſe dicitur: eſt & in omnibus alijs Prouincia admiratione digna. Adiacentem habet ea barbaram gentem Gothorum.

Deinceps propè Galliam Hiſpania eſt terra lata, & maxima, & viris doctis diues, & omnis generis mercibus, quas ex parte memorabimus: oleum ſcilicet, & liquamen, & varias veſtes, & lardum, & iumenta emittit, totique orbi ſuppeditat; denique omnis generis bona poſſidet, & in omnis generis bonis eximia eſt. Inſuper & ſparti vſum omni orbi præſtat: quod quidem præſtans multis videtur, eò quòd omnis generis naues ſeruet, eiuſquẽ beneficio omne fermè commercium ſtet. At enim multis debile id

videtur.

Nota Americã Auctori fuiſſe incognitã. Poſt hæc Oceanus eſſe dicitur, eaque orbis pars, quam nemo hominum enarrare poteſt. Sed quid queſo ibi eſſe poteſt? Nempe deſertum, & vt aiunt, finis mundi ibi eſt.

Deinceps vergentem ad Auſtri terram inuenies terram Mauritaniam; cuius homines barbari quantum ad vitam & mores, Romanis tamen ſubditi. Hæc prouincia veſtium & mancipiorum mercaturam exercet, frumentoque abundat: & ciuitatem habet Cæſaream.

Exinde poſt Mauritaniam Numidia prouincia eſt, frugibus abundans, ſibique ſufficiens, queque veſtium variarum, & optimorum animalium ſeu equorum mercaturam exercet.

Proxima huic prouincia Africæ regio in omnibus diues occurrit, quæ omnis generis bonis ornata eſt, frugibus etiam, & iumentis; & ipſa fermè omnibus gentibus vſum olei preſtat. Ea cum multas, & varias ciuitates habeat, vnam habet præcipuam, & admiratione dignam, quæ dicitur Carthago, quam Tyria mulier condidit nomine Dido, quæ cum in Lybiam veniſſet, locum emit,

*Taurinum quantum poſſet circumdare tergum*,

vt Virgilius ait, cognomine *Byrſam*. Hæc ſtructure elegantia glorioſiſſima conſtat: formoſiſſimum verò locum inſtar luci habet oliuum, vbi arbores ordine conſitæ ſunt. In vicos æqualis eſt, & cum portum habeat in primis viſu admirandum, mare citra vllum nauium metum ſerenum præſtare videtur; adeò is tutus eſt. Eximium item opus publicum in ea inuenies, vicum argentariorum. Inter voluptatũ autem genera, vnicum ſpectaculum, munerum [gladiatoriorum] contentioſiſſime habitantes ſpectant. Ipſa verò Africæ regio eſt longè maxima, & beata & diues: homines verò habens patria indignos: regio quippe ipſa optima, homines verò non æquè. Fraudulenti quippe fermè omnes eſſe dicuntur, qui aliud quidem dicant, aliud verò faciant. Quarè haud facilè bonus quis inter eos reperitur. Quamquàm & inter multos pauci boni eſſe poſſunt.

Inde poſt Africæ regionem omnem adiacet terra deſerta maxima ad Auſtri partes: vbi aiunt in minima quadam iſtius deſerti parte habitare modicam barbarorum gentem, quæ vocatur Mazicum, & Aethiopum.

Poſt hos occurrit regio Pentapolitana modica, ſed frugibus, & iumentis diues: quæ duas vetuſtas ciuitates habet, Ptolemaidem, & Cyrenem: quas etiam aliquando regnum obtinuiſſe aiunt.

Poſt hanc eſt alia prouincia, quæ vocatur Libya, & ipſa Alexandriæ ab occaſu propinqua, quæ de cælo aquam non accipit. Viros quidem habet ea paucos, attamen bonos, pios, & pruden-

tes: quarè & ita cenſeo bona illis obtingere non niſi ob Dei eruditionem, & cultum, quandoquidem de cælo ſingulis annis apud eos non pluit. Exinde iam iterum occurrit Alexandria.

Et hæc quidem, quæ de orbe terrarum Romanorum, tum barbarorum terra iacet, ex parte dicere potuimus: neque enim omnia exactiſſimè deſcribere poſſibile eſt. Attamen etſi forte aliqua pars nos latuit, non tamen, vt opinor, multum.

Ne autem vel vnicam ſpectabilis terræ partem omiſiſſe videar, etiam inſulas, quæ medio mari iacent, memorare iuuat: quo facto ſermonem hunc finiam.

Habes igitur ab Oriente inſulas ſequentem in modum: primam & maximam Cyprum. Ea nauium fabricam exercet, & dicitur nullius Prouinciæ indiga ad nauium fabricam: neceſſaria ſcilicet ipſa hæc inſula habet omnia ſequentia; ligna, æs, ferrum, picem, quin & linteum pro velis, & funium copiam. Dicunt & alijs omnibus bonis eam abundare.

Poſtea Eubœam, quæ & ipſa inſula eſt, nobilem eſſe dicunt.

Inde Cyclades inſulæ plurimæ, quæ ſic vocantur. Hæ cum numero ſint 53. omnes vnicum rectorem habent. Earum aliquas nominibus ſuis deſignare neceſſe puto: & quidem Rhodum inſulam, & ciuitatem maximam, quæ, ſicut prophetauit Sibylla, ira Dei eſt peritura. Eſt autem in hac ciuitare ſtatua, quam omnes Coloſſeum vocant, viri inuſitatæ magnitudinis. Dolus verò in ea fuit iuxta Prophetiam prædictæ Sibillæ. Iam & altera inſula Apollinis Tenedos.

Poſt has occurrit Ymbrus, quę Ymbrus leporinam veſtem numeroſam emittit propter eius abundantiam: magna enim ibi leporum copia eſt. In cæteris verò rebus mediocris, ipſaque ſibi tantum ſufficiens: vinum autem abundanter cum habeat, & Macedoniæ & Thraciæ regionibus id communicat.

Poſt hæc Creta inſula occurrit, quæ centum numero ciuitatibus decoratur. Eſt ea in omnibus diues & admrabilis, habet maximam ciuitatem nomine Gortinam, vbi & Circum [inſignem] eſſe dicunt. Denique habet ea viros partim diuites & doctos.

Inde Cithera inſula eſt: tum Zacinthus & Cephalonia inſulæ quæ habent, & abundant omnibus bonis.

Poſt has inſulas omnes beatiſſima & maxima Sicilia inſula, quæ continentem diuidit: multa ſanè bona ſcilicet producit, & vbique emittit merces vtiles magna copia, lanam infinitam pariter, & iumenta. Habet autem & viros diuites & doctos omni eruditione, tum græca tum latina. Ciuitates autem habet claras Syracuſam & Catanam, in quibus ſpectaculum Circenſium benè per-

agitur, ſiquidem bonos & fortes equos habet: quarè voluptatibus ſeruientes equorum vi contendere amant.

In hac inſula eſt & mons, qui vocatur Aetna: in quo monte, ſi qua fides, diuinitas eſt, quandoquidem die noctuque in vertice montis ignis eſt, vnde etiam fumus aſcendere videtur. Hic mons in circuitum vineta multa habet, & præſtantia vina generat.

Poſt hanc alia inſula, quæ vocatur Sardinia, & ipſa frugum ditiſſima, & iumentorum: eaque eſt longè clariſſima.

Deinde alia, quæ vocatur Britannia inſula: quæ ſicut narrant, qui ibi fuerunt, longè maxima eſt, & in omnibus præſtantiſſima.

Διαπλοῖζμ ἡ ἔκθεσις ὅλȣ τȣ̃ κόσμȣ, καὶ τῶν ἐθνῶν.

*Explicit expoſitio totius mundi & Gentium.*

V.

# NOTITIA

## VTRIVSQVE IMPERII ORIENTALIS, ET OCCIDENTALIS, Arcadij Honorijque temporibus conſcripta.

*PRAEFECTI PRAETORIO QVATVOR.*
Orientis, Illyrici, Italiæ, Galliarum.

*Sub Diſpoſitione Virorum Illuſtrium Præfectorum Prætorio per Orientem Diœceſes infraſcriptæ.*

Oriens, Aegyptus, Aſiana, Pontica, Thracia.

*Prouinciæ Orientis quindecim.*

PAleſtina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Iſauria, Paleſtina ſalutaris, Paleſtina ſecunda, Phœnice Libani, Eufratenſis, Syria ſalutaris, Oſrohena, Meſopotamia, Cilicia ſecunda.

Aegy-

*Aegypti ſex.*

Libya ſuperior, Libya inferior, Thebais, Aegyptus, Arcadia, Auguſtamnica.

*Aſianæ decem.*

Pamphylia, Helleſpontus, Lydia, Piſidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia ſalutaris, Lycia, Caria, Inſulæ.

*Ponticæ decem.*

Galatia, Bithynia, Honorias, Cappadocia prima, Cappadocia ſecunda, Pontus Polemoniacus, Hellenopontus, Armenia prima, Armenia ſecunda, Galatia ſalutaris.

*Thraciæ ſex.*

Europa, Thracia, Hemimontis, Rhodope, Mæſia ſecunda, Scythia.

## *Sub Diſpoſitione Virorum Illuſtrium Præfectorum Prætorio per Illyricum Diœceſes infraſcriptæ*

Macedonia, Dacia.

*Prouinciæ Macedoniæ ſex.*

Achaia, Macedonia, Creta, Theſſalia, Epirus vetus, Epirus noua, & pars Macedoniæ ſalutaris.

*Prouinciæ Daciæ quinque.*

Dacia mediterranea, Dacia ripenſis, Mæſia prima, Dardania Præualitana, & pars Macedoniæ ſalutaris.

## *Sub Diſpoſitione Viri Illuſtris Præfecti Prætorio Italiæ Diœceſes infraſcriptæ*

Italia, Illyricum, Africa.

*Prouinciæ Italiæ ſeptemdecim.*

Venetiæ, Aemiliæ, Liguriæ, Flaminiæ, & Piceni Annonarij, Tuſciæ, & Vmbriæ, Piceni Suburbicarij, Campaniæ, Siciliæ, Apuliæ; & Calabriæ, Lucaniæ, & Brutiorum, Alpium Cottiarum, Rhetiæ primæ, Rhetiæ ſecundæ, Samnij, Valeriæ, Sardiniæ, Corſicæ.

*Illy-*

*Illyrici ſex.*

Pannoniæ ſecundæ, Sauiæ, Dalmatiarum, Pannoniæ primę, Norici mediterranei, Norici ripenſis.

*Africæ ſex.*

Byſacium, Numidia, Mauritania Sitifenſis, Mauritania Cæſarienſis, Tripolis, & Proconſularis.

## *Sub Diſpoſitione Viri Illuſtris Præfecti Prætoro Galliarum Diœceſes infraſcriptæ*

Hiſpaniæ, Septem prouinciæ, Britanniæ.

*Prouinciæ Hiſpaniarum ſeptem.*

BAetica, Luſitania, Gallecia, Tarraconenſis, Carthaginenſis, Tingitania, Baleares.

*Prouinciæ Galliarum ſeptemdecim.*

Viennenſis, Lugdunenſis prima, Germania prima, Germania ſecunda, Belgica prima, Belgica ſecunda, Alpes maritimæ, Alpes Penninæ, & Graiæ, Maxima Sequanorum, Aquitania prima, Aquitania ſecunda, Nouempopuli, Narbonenſis prima, Narbonenſis ſecunda, Lugdunenſis Secunda, Lugdunenſis tertia, Lugdunenſis Senonia.

*Britanniarum quinque.*

Maxima Cæſarienſis, Valentia, Britannia prima, Britannia ſecunda, Flauia Cæſarienſis.

ANA-

V I.

## ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΤΑΤΩΝ ΠΑΤΡΙΑΡΧΩΝ

Τῶν ὁροθεσιῶν, καὶ συναρίθμησις τῶν Ἀποστολικῶν θρόνων.

# BREVIS DESCRIPTIO

## FINIVM SANCTISSIMORVM PATRIARCHARVM, & Apoſtolicarum Sedium enumeratio.

*Ex M.S. Codicibus Vaticanis ſub num.* 1167. *&* 1183. *correctiùs edita.*

Ὁ πρῶτος θρόνος τοῦ Κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων Πέτρου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης προέδρου· διέπον... τὸν Ἀποστολικὸν καὶ πατριαρχικὸν θρόνον, ἄχρι τῶν ὁρίων Σάξων, καὶ Γάλων, καὶ Κάμπων, καὶ Φεράγγων, καὶ Ἰλλυρικῶν· καὶ μέχρι Γαδείρων καὶ Ἡρακλείων στηλῶν, καὶ ὠκεανοῦ· ἀρχὴν ἐχόντων ἐκ δυσμῶν τοῦ ἡλίου, ἐν ᾧ εἰσι νεκρὰ ὕδατα, καὶ ἀκίνητα, καὶ ἰλυώδη, ἐν ᾧ καὶ νῆσός τις εἰς τὰ ἄκρα τῶν ὠκεανικῶν πελάγων, πολύανδρος χριστιανῶν ἄπειρον πλῆθος ἔχουσα, ἄνδρες εὐμήκεις, καὶ ῥωμαλαῖοι, καὶ παναλκέστατοι· ἄχρι Ῥαβέννης, καὶ Λογγιβάρδων, καὶ Θεσσαλονίκης, Σκλάβων, καὶ Ἀράβων, καὶ Ἀβάρων, καὶ Σκυθῶν, ἕως Δανουβίου τοῦ ποταμοῦ τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις, ὁροθεσίας τῶν ἐπισκόπων περιέχουσα· ὡσαύτως καὶ Σαρδηνίαν, καὶ Μαγυρικὰς, Καρθαγίναν τε, καὶ τὰ Ἑσπέρια μέρη, καὶ ὑφ' ἓν τὸ πᾶν περιέχουσα κλίματα, καὶ περικλείουσα, ἐν οἷς περιπολεύοντες διαπνέουσιν ἄνεμοι, θρα-

PRimus Thronus Coryphei Apoſtolorum Petri, ſenioris Romæ preſulis, Apoſtolicam, & Patriarchicam ſedem moderantis, ad terminos vſque Saxorum, Gallorum, Camporum, Francorum, & Illyricorum, & Gades vſque ad Herculis columnas, atq; Oceanum (populorum) initium habentium ab occaſu Solis, vbi ſunt mortuæ aquæ, & quietæ, ac denſæ, vbi & inſula quædam ad extrema maris Oceani virorum admodùm ferax, Chriſtianorum innumeram multitudinem continens, qui ſunt homines proceri, robuſti, & fortiſſimi, atque inde Rauennam vſque Longibardos, ac Theſſalonicam, Sclauos, Arabes, Auares, & Scythas, ac Danubium flumen, Eccleſiaſticas conſtitutiones terminorum Epiſcopalium complectens. Tum etiam Sardiniam, & Magiricas, Carthaginemque; & Heſperias oras, & ſi-

& ſimul omnes complectens regiones, atque concludens, in quibus circumfluentes ſpirant vẽti, circius ſeptentrionalis, aquilo, quin & choreus, cuius in Actibus Apoſtolorum mentio fit, medius deinde fauonius, heſperius, occidentalis, africus, atque auſtrafricus. Hæc amplectitur omnia ſupremus Apoſtolorum, & præſtantiſſimus Patriarcharum magnæ, ſcilicet Romæ Antiſtes.

θρασκίας ἀρκτῷος, καὶ ἀπαρκτίας χόρειος, ὁ ἐν ταῖς πράξεσι τῶν Ἀποστόλων, κἄμμενος ὁ μέσος ὁ ζέφυρος, ὁ ἑσπέριος, ὁ δυτικός, ὁ λίψ, ὁ λιβόνοτος. τοῦτο πάντα περικυκλοῖ ὁ κορυφαιότατος τῶν Ἀποστόλων, καὶ ἐξοχώτατος τῶν πατριαρχῶν τῆς μεγάλης Ῥώμης.

Secundus ſanctiſſimus Apoſtolicus Thronus, & Patriarchicus Conſtantinopoleos, primi inter Apoſtolos à Chriſto vocati Andreæ, & magni Theologi, Euangeliſtæ, atque Apoſtoli Ioannis; Europam, & Aſiam ad Siciliam vſque, quæ ad Occidentem eſt, ac Cycladas, indeque ad Cherſenem, Abaſgiamque, & Chaldeam, & Chazariam ad Cappadociam vſq; borealia cuncta climata complectens.

Δεύτερος ὁ ἁγιώτατος Ἀποστολικὸς θρόνος, καὶ πατριαρχικὸς Κωνσταντινουπόλεως τοῦ πρωτοκλήτου τῶν Ἀποστόλων Ἀνδρέου, καὶ τοῦ μεγάλου θεολόγου καὶ εὐαγγελιστοῦ καὶ Ἀποστόλου Ἰωάννου, Εὐρώπην, καὶ Ἀσίαν, καὶ μέχρι τῆς δυτικῆς Σικελίας, καὶ τὰς Κυκλάδας ἄχρι Πόντου καὶ Χερσῶνος· Ἀβασγίας τε καὶ Χαλδίας· καὶ Χαζαρίας ἕως Καππαδοκίας τὰ τοῦ Βορρᾶ πάντα κλίματα περιλαμβάνοντα.

Ἀβασγίας χαλδίας Βορρᾶ λαμβάνοντα.

Tertius ſanctiſſimus, & Apoſtolicus Thronus Alexandriæ, Euãgeliſtæ & Apoſtoli Marci, qui factus eſt filius ſummi Apoſtolorũ Petri, obtinens vſque ad interiorem Indiam, & Aethiopiam, quæ ſedes fuit Sancti Apoſtoli Thomę; atque inde ad Marmaricam, Africam, Tripolim, & vniuerſam Aegyptiorum Prouinciam ad Palæſtinæ vſque fines auſtri, atque auſtroafiici climata continens.

Τρίτος ὁ ἁγιώτατος καὶ Ἀποστολικὸς θρόνος Ἀλεξανδρείας τοῦ εὐαγγελιστοῦ καὶ Ἀποστόλου Μάρκου υἱοῦ τοῦ κορυφαίου Πέτρου γεγονότος, περιέχων ἕως τῆς ἐσωτέρας Ἰνδίας καὶ Αἰθιοπίας, θρόνου τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Θωμᾶ, ἄχρι Μαρμαρικῆς, καὶ Ἀφρικῆς, καὶ Τριπόλεως, καὶ πᾶσαν τῶν Αἰγυπτίων χώραν ἄχρι τῶν ὁρίων Παλαιστίνης, τοῦ τοῦ νότου καὶ λιβονότου κλίματα περιέχοντα.

Quartus ſanctiſſimus & Apoſtolicus Thronus Antiochiæ, & Patriarchicus, ac Coryphæi Apoſtolorum Petri prima Sedes, complectens verſus ortum Solis iter lxxxvii. dierum versùs Iberiam, & Abaſgiam, atque Armeniam, & vſque ad interius deſertum Choroſa-

Τέταρτος ἁγιώτατος καὶ Ἀποστολικὸς θρόνος Ἀντιοχείας καὶ πατριαρχικὸς τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων Πέτρου πρώτιστος θρόνος, περιέχων ἕως τῶν ἀφ' ἡλίου ἀνατολῶν, πορείαν ἐχόντων ἡμερῶν πζ' ἕως Ἰβηρίας, καὶ Ἀβασγίας, καὶ Ἀρμενίας· καὶ μέχρι τῆς ἐσωτέρας ἐρήμου Χορσᾶν· Περσῶν,

καὶ

καὶ Μηδῶν, καὶ Χαλδαίων ἕως ἄκρων τῆς Ἀραβίας ἡγεμονίας, Πάρθων, καὶ Ἐλαμιτῶν, καὶ Μεσοποταμιτῶν, τὰ τοῦ εὔρου, καὶ ἀφηλιώτου, καὶ εἴ τις ἀνατολικοῦ ἀνέμου, ἔνθα ὁ ἥλιος ἀνατέλλει, τὰ κλίματα περιέχοντα. ἔχει δὲ Μητροπόλεις ιβ.

περιέχων

rosani, Perſas, Medos, Chaldæos, inde ad extrema Arabiæ Præfecturæ Parthos, Elamitas, & Meſopotamios: vulturni, ſubſolani, & ſi quis eſt alius orientalis ventus, climata comprehendit. Habet autem Metropoles xii.

* Deſunt numeri horum 2. Epiſcopatuum.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Τύρου ἔχων Ἐπισκόπους * τρεῖς. | | Tyri habentis Epiſcopatus | III. |
| Τάρσου ἔχων Ἐπισκόπους * | δ. | Tarſi habentis Epiſcopatus | IV. |
| Ἐδέσσης ἔχων Ἐπισκόπους | ια. | Edeſſæ habentis Epiſcopatus | XI. |
| Ἀπαμείας ἔχων Ἐπισκόπους | ζ. | Apameæ habentis Epiſcopat. | VII. |
| Ἱεράπολις ἔχων Ἐπισκόπους | θ. | Hierapolis habentis Epiſcop. | IX. |
| Ἀνασάρβας ἔχων Ἐπισκόπους | η. | Anaſarbæ habentis Epiſcop. | VIII. |
| Σελευκείας Ἰσαυρίας ἔχων Ἐπ. | κδ. | Seleuciæ Iſauriæ habẽtis Ep. | XXIV. |
| Δαμασκοῦ Ἐπισκόπους | ια. | Damaſci habentis Epiſcop. | XI. |
| Ἀμιδῆς | η. | Amidæ | VIII. |
| Σεργιούπολις | ε. | Sergiopolis | V. |
| Δάρας | γ. | Daras | III. |

[illegible] (margin, beside Anasarba)

[illegible] (margin, beside Daras)

Deeſt apud Carolum à S. Paulo.

Αὐτοκέφαλοι.

Βηρτὴ, Ἐμέσης, Λαοδικείας, Σαμοσάτων, Κύρου.

*Autocephali.*

Berti, Emeſe, Laodiceæ, Samoſatorum, Cyri.

Ἐπαρχιότας ζ.

Βεῤῥοίας, Καλκηδόνος, Γαβάλων, Σελευκείας Πιερίας, Ἀναζαρθῶν, πλουτουγαβύλων, Λιτθοὶ β. Σαλαμίαδος, Μαρκουσῶν. ὁμοῦ ρνα.

*Archiepiſcopatus VII.*

Berrhoeæ, Chalcedonis, Gabalorum, Seleuciæ Pieriæ, Anatzarthon, Pluti Gabulorum, Litti duo, Salamiadis, & Marcuſorum. Omnes 151.

Πέμπτος ὁ ἁγιώτατος καὶ Ἀποστολικὸς θρόνος Ἱεροσολύμων τῆς ἁγίας πόλεως τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ ἀδελφοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ Ἰακώβου αὐτόπτου καὶ ὑπηρέτου τοῦ λόγου γινομένου, καὶ μύστου τῶν ἀποῤῥήτων ἀθεάτων μυστηρίων τῶν οὐρανίων θεαμάτων· περιέχων πᾶσαν τὴν Παλαιστίνην χώραν ἄχρι Ἀῤῥαβίας.

Quintus ſanctiſſimus & Apoſtolicus Thronus Hieroſolymorũ ſanctæ Ciuitatis Diui Apoſtoli & fratris Domini noſtri Ieſu Chriſti Iacobi, qui oculatus teſtis, & miniſter fuit verbi ac myſtes ineffabilium inuiſibiliumq; myſteriorum cæleſtium ſpectaculorum; continẽs totam Palæſtinam vſq; ad Arabiã.

Hic finit Notitia in Codicibus Vaticanis, & deſunt ea, quæ habentur apud Carolum à Sancto Paulo.

# VII.

# NOTITIA

## PROVINCIARVM ET CIVITATVM GALLIÆ.

Honorij Auguſti, vt videtur, temporibus condita, cum Gallias, & ſeptem Prouincias diſtingui mos erat.

*Ex Iacobi Sirmondi Tomo I. Conciliorum Galliæ.*

In Prouincijs Gallicanis quæ Ciuitates ſint.

*Prouincia Lugdunenſis prima numero III.*

Metropolis Ciuitas Lugdunenſium.
Ciuitas Aeduorum.
Ciuitas Lingonum.
Caſtrum Cabilonenſe.
Caſtrum Matiſconenſe.

*Prouincia Lugdunenſis ſecunda numero VII.*

Metropolis Ciuitas Rotomagenſium.
Ciuitas Baiocaſſium.
Ciuitas Abrincatum.
Ciuitas Ebroicorum.
Ciuitas Sagiorum.
Ciuitas Lexouiorum.
Ciuitas Conſtantia.

*Prouincia Lugdunenſis Senonia numero VII.*

Metropolis Ciuitas Senonum.
Ciuitas Carnotum.
Ciuitas Autiſidorum.
Ciuitas Tricaſſium.
Ciuitas Aurelianorum.
Ciuitas Pariſiorum.
Ciuitas Melduorum.

*Prouincia Belgica prima numero IV.*

Metropolis Ciuitas Treuerorum.
Ciuitas Mediomatricorum Mettis.
Ciuitas Leucorum Tullo.
Ciuitas Verodunenſium.

*Prouincia Belgica ſecunda numero XII.*

Metropolis Ciuitas Remorum.
Ciuitas Sueſſionum.
Ciuitas Catuellanorum.
Ciuitas Veromanduorum.
Ciuitas Atrabatum.
Ciuitas Cameracenſium.
Ciuitas Turnacenſium.
Ciuitas Siluanectum.
Ciuitas Bellouacorum.
Ciuitas Ambianenſium.
Ciuitas Morinum.
Ciuitas Bononenſium.

*Prouincia Germania prima numero IV.*

Metropolis Ciuitas Moguncíacenſium.
Ciuitas Argentoratenſium.
Ciuitas Nemetum.
Ciuitas Vangionum.

*Prouincia Germania ſecunda numero II.*

Metropolis Ciuitas Agrippinenſium.
Ciuitas Tungrorum.

*Prouincia Maxima Sequanorum numero IV.*

Metropolis Ciuitas Veſoncienſium.
Ciuitas Equeſtriũ Noiodunus.
Ciuitas Eluitiorum Auenticus.
Ciuitas Baſilienſium.
Caſtrum Vindoniſſenſe.
Caſtrum Ebredunenſe.
Caſtrum Rauracenſe.
Portus Abucini.

*Prouincia Alpium Graiarum, & Penninarum.*

Ciuitas Centronum Darantaſia.
Ciuitas Valenſium Octodoro.

## ITEM IN PROVINCIIS SEPTEM.

*Prouincia Viennenſis numero XIII.*

Metropolis Ciuitas Viennenſium.
Ciuitas Genauenſium.
Ciuitas Gratianopolitana.
Ciuitas Albenſium.
Ciuitas Deenſium.
Ciuitas Valentinorum.
Ciuitas Tricaſtinorum.
Ciuitas Vaſienſium.
Ciuitas Arauſicorum.
Ciuitas Cabellicorum.
Ciuitas Auennicorum.
Ciuitas Arelatenſium.
Ciuitas Maſſilienſium.

*Prouincia Aquitanica prima numero VIII.*

Metropolis Ciuitas Biturigum.
Ciuitas Aruennorum.

Ciuitas Rutenorum.
Ciuitas Albienſium.
Ciuitas Cadurcorum.
Ciuitas Lemouicum.
Ciuitas Gaballum.
Ciuitas Vellauorum.

*Prouincia Aquitanica ſecunda numero VI.*

Metropolis Ciuitas Burdigalenſium.
Ciuitas Agennenſium.
Ciuitas Ecoliſmenſium.
Ciuitas Santonum.
Ciuitas Pictauorum.
Ciuitas Petrocoriorum.

*Prouincia Nouempopulana numero XII.*

Metropolis Ciuitas Eluſatium.
Ciuitas Aquenſium.
Ciuitas Lactoratium.
Ciuitas Cõuenarum.
Ciuitas Conſorannorum.
Ciuitas Boatium.
Ciuitas Benarnenſium.
Ciuitas Aturenſium.
Ciuitas Vaſatica.
Ciuitas Turba, vbi Caſtrum Bigorra.
Ciuitas Elloronenſium.
Ciuitas Auſciorum.

*Prouincia Narbonenſis prima numero VI.*

Metropolis Ciuitas Narbonenſium.
Ciuitas Toloſatium.
Ciuitas Beterrenſium.
Ciuitas Nemauſenſium.
Ciuitas Luteuenſium.
Caſtrum Vcecienſe.

*Prouincia Narbonenſis ſecunda numero VII.*

Metropolis Ciuitas Aquenſium.
Ciuitas Aptenſium.
Ciuitas Reienſium.
Ciuitas Foroiulienſium.
Ciuitas Vappincenſium.
Ciuitas Segeſteriorum.
Ciuitas Antipolitana.

*Prouincia Alpium Maritimarum numero VIII.*

Metropolis Ciuitas Ebrodunenſium.
Ciuitas Dinienſium.
Ciuitas Rigomagenſium.
Ciuitas Sollinienſium.
Ciuitas Sanitienſium.
Ciuitas Galannatina.
Ciuitas Cemelenenſium.
Ciuitas Vincienſium.
In Prouincijs xvii. Ciuitates cxv.

DE

VIII.

# DE CIVITATIBVS METROPOLES,

Vel quales ſub ſe habent Ciuitates.

*Ex peruetuſto Codice* 238. *Bibliotheca Regina Suecia peſſimè temporum iniuria habito, & ante* 700. *annos ſcripto.*

IN Italia, Roma, Rauenna, Gradus, Aquileia, Mediolanũ.

Prima Prouincia Lugdunenſis habet Ciuitates quinque.

Metropolis Ciuitas Lugdunũ, Ciuitas Eduorum, Lingonum, Cabillonenſis, Caſtrum Matriſconenſe.

Secunda Prouincia Lugdunenſis habet Ciuitates numero vii.

Metropolis Ciuitas Rotomagus. Ciuitas Baiocaſſiam, Abrincatum, Ebroicorum, Saiorum, Lixouiorum, Conſtantia.

Tertia Prouincia Lugdunenſis habet Ciuitates numero ix.

Metropolis Ciuitas Turones. Ciuitas Cenomania, Redonis, Andegauis, Nannetis, Coriſopitus, Venetus, Oſiſmus, Dioblentus.

Quarta Prouincia Lugdunenſis habet Ciuitates numero viii.

Metropolis Ciuitas Sennones. Ciuitas Carnotum, Otiſſiodoro, Otriſcus, Tricaſium, Aurilianis, Pariſius, Meldis.

Prima Prouincia Belgica habet Ciuitates numero iv.

Metropolis Ciuitas Treueris, Ciuitas Mediomartis, ideſt Metis. Lecorum, ideſt Tullo, Viriduno.

Secunda Prouincia Belgica habet Ciuitates numero xii.

Metropolis Ciuitas Remes. Ciuitas Seſſiones, Catalonis, Veremundus, ideſt Nouiomacus, Atrauitum, Camaracus, Turnacus, Siluanectis, Beluiaco, Ambianus, Morinus, ideſt Fernacus, Bononia.

Prima Prouincia Germaniæ habet Ciuitates numero ii.

Ciuitas Metropolis Agrippina, ideſt Colonia. Ciuitas Tungris.

Secunda Prouincia Germaniæ habet Ciuitates numero vi.

Metropolis Ciuitas Mogontiacus. Ciuitas Argentoracenſis ideſt Strasburg, Nemnetis ideſt Spira, Vangionum ideſt Wormatiũ, Wirzburgenſis, Conſtantia, Caſtrum Rubilocus, quod Heiſtete dicitur, Auguſta Vindelicum ideſt Ausburg.

Prouincia Baioariorum ideſt Noricus Ripenſis ſuper Danubiũ ſiue

ſiue Noricus mediterranea habet Ciuitates numero vi.

Metropolis Ciuitas Iuuano ideſt Salzburg. Ciuitas Regino, Pataula, Frigiſienſis, Ciuitas noua, Sabionenſis.

Prouincia Sequanorum habet Ciuitates numero vii.

Ciuitas Metropolis Veſontio, Ciuitas Equeſtris ideſt Auentic. Baſilea, Vindonenſis, Argentarienſis, Ebraturcenſis, Rauracēſis.

Prouincia Alpium Pennitarum habet Ciuitates numero ii.

Metropolis Ciuitas Centronum ideſt Tarentaſia. Ciuitas Valenſis.

* Vienenſis. Prouincia* Meninſis habet Ciuitates numero x.

Metropolis Ciuitas Vienna. Ciuitas Gennouenſis, Gratianopolis, Abbenſis nunc Viuario dicitur, Detenſis, Valentina, Trecaſtina, Vaſenſis, Auracenſis, Carpentoratenſis, quæ nunc Vitaſca dicitur.

Vienenſis. Item Prouincia Meninſis habet Ciuitates numero iv.

Metropolis Ciuitas Arelas, Maſſilia, Auennicus, Cabellicus.

Prima Prouincia Aquitanica habet Ciuitates numero viii.

